LIBER

PRECUM.

Ex typis viduæ Caroli Deis.

LIBER

PRECUM

IN QUO

VARIÆ ET MULTÆ EGREGIÆ PRECES

EX OPERIBUS SS. PATRUM DESUMPTÆ CONTINENTUR

AD USUM

CLERI TUM REGULARIS TUM SECULARIS.

TOMUS PRIMUS.

LUTETIÆ,

APUD LUDOVICUM VIVES, BIBLIOPOLAM EDITOREM,

23, IN VIA CASSETTE, 23.

1857

APPROBATION.

Les prières des Saints Pères se recommandant assez d'elles-mêmes, nous autorisons la publication de l'ouvrage intitulé : *Liber precum*, etc.

† PIERRE, *évêque de Saint-Claude.*

PROOEMIUM.

Quoniam in medio laqueorum positi sumus, facile a cœlesti desiderio frigescimus. Quapropter assiduo indigemus munimento, ut expergefacti ad Deum nostrum verum et summum bonum cum defluimus recurramus. Idcirco non præsumptionis temeritate, sed magna Dei mei dilectione huic opusculo ad laudem ejus operam dedi, ut ex piis dictis sanctorum Patrum breve et manuale verbum de Deo meo mecum semper haberem, ex cujus lectionis igne quoties tepesco, in ejus accendar amorem (*Hugo a S. Victore, de Anima, lib.* IV, *cap.* 1).

INSTRUCTIO SACERDOTIS

A SANCTO BERNARDO.

1°. Qui datus est nobis primo in redemptionis pretium, non cessat se nobis dare quotidie in viaticum : primo passibilis et passionibus expositus, nunc impassibilis et gloria et honore coronatus; tunc homo mortalis, nunc homo victor mortis; tunc paulo minus ab Angelis minoratus, nunc præ Angelis omnibus sublimatus : tanto melior, ait Apostolus, Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim aliquando Angelorum dixit Pater, filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum, ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium? Et rursum, cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei (*Hebr.* I, 4-6). In hoc loco, dilecte Dei sacerdos, videtur mihi maxime consistere summa desiderii tui, quod cupis illustrari aliquatenus claritate illa,

quam habuit Verbum incarnatum post glorificationem humanitatis assumptæ. Cupio satisfacere voto tuo, et velle adjacet mihi, perficere autem ex me non invenio, nisi ille det qui dat omnibus abundanter, et non improperat. Quod ergo dare dignabitur, mihi quidem pigrum scribere non erit, tibi autem necessarium.

2°. Primo adverte quod scriptum est, Deus habitat lucem inaccessibilem ; et rursum : Deus noster ignis consumens est. Quod utrumque dictum est de divina essentia, in qua Pater unum est cum Filio, et Spiritu Sancto : quia in illa Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus vel minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales. Unde et Filius : Ego et Pater unus sumus. Si ergo unum sunt, habitant eamdem lucem inaccessibilem : sunt idem ignis consumens, et eadem claritas, eadem potentia, eadem sapientia, eadem majestas, eadem eternitas. Est itaque Filius a Patre, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Est utique splendor paternæ gloriæ. Hinc et Apostolus ait : qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus ; haud dubium quin Patris. Splendet ergo æque Filius ut Pater, imo idem splendor Filius qui Pater. Sufficiuntne ista tibi testimonia de claritate filii ? Aut fortasse dices, te magis desiderare, te delectari claritate ejus, prout Deus est et homo ? Nec in hac parte ipsius opitulante gratia deerunt testimonia.

3°. Primo te esse monitum volo, ne æstimes offuscatam Verbi claritatem, per assumptam in Deo humanitatem. Audi quid scriptum est : « Deus assumpsit humana, non re-

liquit divina : assumpsit quod non erat, manens quod erat. » Angelus ad Mariam ait : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi. Cujus dicti intelligentia est : Spiritus Sanctus operabitur in te incarnationem verbi incarnandi, separando a carne tua partiunculam, quæ animabitur, et divinæ essentiæ in unitate personæ copulabitur. Verum quæ causa obumbrationis altissimi virtutis ? hæc nimirum præcipua. Caro virginis nisi quadam latente operatione obumbrata fuisset, splendorem tantæ majestatis sine sui consumptione nequaquam ferre potuisset. Unde Dominus ad Moysen : Non videbit me homo super terram, et vivet ; ac si diceret : tantæ sum in natura divina claritatis, quod homo constitutus in mortali carne videre me nequaquam poterit absque sui consumptione. Inde est quod cum Moyses in multa constantia Domino supplicaret, dicens : « Domine, ostende teipsum mihi ; » ait ; « sta in foramine petræ, et cum pertransiero, videbis posteriora mea ; faciem autem meam videre non poteris ; » hoc ait, per faciem designans divinitatem, per posteriora humanitatem, quam tamen Moyses corporali intuitu non vidit, sed posteris videnda reliquit. Exemplariter quidem cognoscitur, quando gloriosa caro Christi, quæ in altari conficitur, et fidelibus in viaticum distribuitur, igne divini ardoris clarificatur. Sicut enim clarissima purpura candidissimam lanam inficit, et totam in sui colorem transire cogit ; et quemadmodum anima totum corpus animat, vegetat, et vivificat ; sicut et ignis ferrum transverberans ignitum reddit ; candorem suum et calorem conferens,

ipsum scintillare, flammescere, et urere contra naturam suam facit: sic Deus hominem sibi unitum deificat, et supra omnem creaturam exaltatum puritatis omnipotentia et deitatis prærogativa secum clarificat. Filius de se ipso testimonium perhibet, dicens : « Ego lux veni in hunc mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem ; » et iterum : « Ego sum lux mundi. » Joannes id ipsum expresse loquitur, inquiens : « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Ad Patrem quidem ante Passionem orans locutus est Filius, dicens : « Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret ; » cui Pater : « Et clarificavi, et clarificabo. » Quid clarius ? quid manifestius ? quid evidentius ?

4°. Ex Evangelio collige claritatem, quam nunc habet Deus homo secundum hominem clarificatus, qui apropinquante tempore, quo transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, assumpsit Petrum et Joannem et Jacobum, et ascendit supra montem Thabor, et transfiguratus est ante eos, et splendida facta est facies ejus sicut sol, et vestimenta ejus sicut nix, qualia fullo non potest facere super terram ; et apparentibus Moyse et Elia, cum intuerentur claritatem vultus ejus, ferre fulgorem non poterant, sed timentes valde et consternati animis, quasi examines lapsi sunt super terram. Si igitur tanti jubaris, tam radiosi splendoris, humanis obtutibus tam importabilis claritatis apparere dignatus est, corpore adhuc mortalitati obnoxio, et membris nondum corruptione exutis : quantam claritatem credere

debemus inesse Filio Dei in forma hominis assumpti, jam glorificati, jam super cœlos cœlorum exaltati, jam habentis nomen quod est super omne nomen, ita ut in nomine ejus omne genus flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum; jam constituto in die virtutis suæ, in splendoribus sanctorum, ubi Pater jucunditatem et exsultationem thesaurizans ait : Ante Luciferum genui te. Ibi revera lucet, in die virtutis suæ, in die æternitatis suæ. Hanc nimirum diem nulla nox interpolat, nulla interrumpit obscuritas, nulla caligo sequestrat. Ibi circumdatur abysso luminis, ob immensum pelagus claritatis. Ibi ipse Christus tanquam sol refulget in clypeos aureos, et resplendent montes ab eo. Ibi illustrantur ab eo sancti. Unde Propheta : illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. Et rursum scriptum est : « In circuitu tuo, Domine, lumen est, quod nunquam deficiet, ibi requiescunt Sanctorum animæ ; » et iterum : « Sanctum est verum lumen et admirabile, ministrans lucem his qui permanserunt in agone certaminis : recipiunt a Christo splendorem sempiternum, in quo assidue felices lætantur. »

5°. Ecce quam vera, quam consona testimonia de illa beata et ineffabili claritate, in qua Christus est, imo quæ Christus est, quæ, nequit minui, augeri non potest, quia immensa, quia æterna est, quia superat omnem sensum, quia omnem cogitatum excedit, omnem æstimationem supergreditur; et homo accedit ad cor altum, et incomprehensibiliter in sua claritate exaltabitur Deus. Semper eadem manet claritas, in nullo accessu assumit

augmentum, et nullo decessu patitur detrimentum. Non decrevit per assumptum hominem, non magis excelluit in Deo per glorificatum hominem. Quod manifestat Propheta dicens : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Habacuc quoque Propheta intuens hanc lucem ait : « Splendor ejus, ut lux erit; cornua in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors : » aperte designans, quod etiam, cum manus ejus cruci affixæ fuissent, licet ipse sol radios suos obumbrasset, ne Christum morientem in cruce videret, lux deitatis non minus in Christo nituit. Unde præmisit : « Splendor ejus ut lux erit. » Tu, Judæe, insultans dicebas : « Vidimus eum non habentem speciem neque decorem. » Oculo lippo vidisti; imo oculo cæcutienti penitus, quia tunc cæcitas cecidit in Israel. Ast Habacuc claros oculos habebat; et populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, in regione umbræ mortis lux orta est eis.

Manet igitur claritas Verbi incarnati in homine glorificato, persistit in isto ad dexteram Patris collocato. Non tempore decrescit, nec tempore minuitur, nullo eventu obfuscatur. Splendet æque, cum est in altari, ut in sublimitate cœli; non minus radiat, cum est in manibus sacerdotis, quam in sinu Patris.

6°. Gloriare igitur semper, sed in Domino, sacerdos Dei altissimi; dignitatem tuam considera, intuere mentalibus oculis eminentiam tuam, cogita prærogativam tuam, vide sortem tuam. Certe funes ceciderunt tibi in præclaris, si hæreditatem tuam præclaram non negligis. Attende quan-

tum Deus tuus te extulit, quantum præ omnibus creaturis sublimavit. Oratio tua munda sit, quia datur locus voci tuæ in cœlo, cum rite assistis sacris altaribus, cum sanctissimum mysterium cœlestis sacrificii celebrare intendis. Ad vocem tuam prolatam, ad Verbum tuum vivificum, ad postulationem tuam salutarem, summus Pater, cujus nutu omnia subsistunt, quem indesinenter laudant Angeli, cui jubilant astra matutina, quem adorant Dominationes, quem tremunt Potestates; qui respicit terram et facit eam tremere; qui fecit mirabilia magna solus; ipse, inquam, tantus, tam immensus, dulcissimum filium suum deponit, et manibus tuis imponit; transmittit ab altissimis, et digitis tuis immittit. Ibi holocaustum tuum pingue fit, plus quam in millibus agnorum et arietum pinguium.

7°. Multum enim acceptum fuit munus Abel, sed non ita; multum placuit sacrificium Abrahæ patriarchæ, sed non adeo; multum approbata fuit oblatio Melchisedech, sed multo minus isto. Denique quid ait Propheta? « Sacrificium et oblationem noluisti, holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi, Ecce venio: » dixit ille, qui non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Omnia in figura contingebant antiquis. Hic veritas, ibi figura; ibi umbra, hic lux; ibi nubes, hic claritas; ibi agnus legalis, hic agnus innocens qui tollit peccata mundi. Verus est enim Filius Dei, quem tu sacerdos immolas, quem manibus tractas, quem ore sumis, quem in corpus tuum transmittis; sed non sola ad te venit illa

majestas. Venit ad te Filius, sed non sine Patre. « Qui me misit, inquit, mecum est, et non me reliquit solum. » Venit ad te Filius, sed non sine Spiritu Sancto. Quid enim ait Joannes ! « Super quem videris descendentem Spiritum et manentem, ipse est Christus. » Super alios descendit Spiritus Sanctus, sed non semper manet. Super Christum vero semper mansurus descendit. Adest nihilominus totus supernorum exercitus civium. « Millia, inquit, millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei. » Semper enim Angeli, licet sint administratores spiritus, et in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vident tamen faciem Patris, semper assistunt vultui majestatis, in quem desiderant prospicere : fruuntur, nec fastidiunt, qui eo magis frui sitiunt. Quanta luce credis te circumfundi, sancte sacerdos, in præsentia tantæ majestatis ; in tam solemni adventu et conventu Trinitatis, et totius militiæ cœlestis ? quantam æstimas claritatem adesse, et inesse toti curiæ cœlesti ? Tantam nimirum quantam ferre non posses, nisi virtus Altissimi tuæ infirmitati ad ferendum obumbraret.

8°. Attende igitur, ut prædixi, et semper in mente habe, jugi memoria retine gratiam tibi singulariter a Deo collatam, quam nec Angelis præstitit, nec cæteris hominibus concessit. Panis enim in manibus tuis in corpus unigeniti Filii Dei transubstantiatur ; vinum in sanctissimum sanguinem Domini nostri Jesu Christi tua benedictione convertitur. Multum ardent Seraphim sanctæ Trinitati præ cæteris cunctis spiritus loco et charitate conjuncti. Unde et ardentes,

sive incendentes Seraphim interpretatur. Unusquisque enim ordo ejus rei censetur nomine, quam copiosius accepit in munere. Non tamen hoc privilegio pœnitent, ut corpus vel sanguinem Redemptoris nostri in subjecta creatura sanctificent. Cherubim, quibus inest plenitudo scientiæ, quod etiam testantur nomine, quia familiarius omnibus cognoscunt de mysteriis cœlestibus; mirantur quod mirabilis facta est scientia et potentia sacerdotalis ex eis, et non possint ad eam. Throni, qui tantæ dignitatis sunt, ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua judicia decernat, non hoc prævalent, quo sacerdotes præeminent. Dominationes, licet dominium super cæteros a Domino acceperint; Principatus quamvis principentur aliis sibi subjectis; Potestates, cum potentatus sublimitate præemineant; Virtutes cœlorum, cum potestates aereas sua virtute coerceant, ne omnem nequitiam suam in genus humanum exerceant; Archangeli, cum summa mysteria divinæ voluntatis inferioribus spiritibus nuntiare habeant, et eosdem inferiores spiritus ex auctoritate ad homines mittant; Angeli, licet semper videant faciem Patris qui in cœlis est; hi, inquam, omnes sancti Beatorum Spirituum ordines, quamvis perfruantur beatitudine, ut nihil eis desit a summa felicitate, gloriam tamen sacerdotis reverentur, admirantur dignitatem, cedunt privilegio, honorant potentiam.

9°. O genus ecclesiasticum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, virtutes annuntiate ejus qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum et ineffabile mysterium suum. Vos estis lux mundi, vos estis sal

terræ. Levitis dicitur : *Mundamini, qui fertis vasa Domini;* vobis dicendum est : Mundamini, qui estis vasa Domini. Glorificate et portate Deum in corpore vestro. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi. In vobis sepelitur illud corpus gloriosum et glorificatum, quod olim in Jerosolymis est sepultum exanime et defunctum. Certe sanctus ille Joseph noluit illud sepelire nisi in sepulcro novo, in quo nondum quisquam positus fuerat, studuit illud involvere in sindone munda. Væ tibi, si non posueris et illud in sepulcro novo, vel saltem innovato, id est in corpore a peccatis penitus mundo; vel, si peccasti, per pœnitentiam et satisfactionem mundato! Væ tibi, si non posueris illud in sindone munda; id est conscientia ab omni immunditia penitus defœcata et absoluta! Non sit in corpore tuo conventio Christi ad Belial, non sit consensus Dei cum idolis, non sit societas luci ad tenebras; peccatum non regnet in mortali corpore tuo, et sic dedicabis venerabile sepulcrum Christo, templum Spiritui Sancto. « Templum, inquit Apostolus, Domini sanctum est, quod estis vos; » et iterum : « An nescitis, quia corpora nostra templa sunt Domini, et Spiritus Sanctus habitat in nobis? Si hoc vere dicitur de quolibet charitatem habente, multo amplius dici debet de sacerdote Deo placente.

10°. Perpende et attende etiam, devote sacerdos, quanta diligentia, quanta vigilantia sancti Angeli conservarunt locum sepulcri, corpore Dominico jam sublato, redivivo et glorificato : in quanta claritate, in quanta vultus et vestium venustate apparuerunt sanctis mulieribus sepulcrum

visitantibus, et corpus requirentibus. Procul dubio scire debes, quod si tu idem Dominicum corpus, jam supra modum gloriosum, et in cœlis regnans, et ad dexteram Patris honorificatum digne tractaveris, mundum et novum sepulcrum tui corporis præparaveris; ipsa angelorum non deerit tibi frequens custodia, animam tuam servabunt, corpus gubernabunt, in omnibus viis tuis te protegent; et dicent tibi tuisque similibus: Vos sancti Domini vocabimini, ministri Dei nostri. Vide ergo ne tangas illud sacrificium, nisi innocens manibus et mundo corde; alioquin ipse dicet tibi: Noli me tangere, quia tactus tuus contagium est.

11°. Meditare, dilecte Dei sacerdos, et meditatio cordis tui semper sit, quod Joannes Baptista præcursor Domini, amicus sponsi, paranymphus sponsæ, propheta, et plus quam propheta, in utero sanctificatus, in eremo justificatus; hic tantus, tam præcipui meriti, tam singulariter sanctificatus contremiscit, et non audet tangere sanctum Dei verticem, sed clamat cum tremore: Sanctifica me, Salvator. Meditare quod Petrus clavicularius regni cœlorum a Domino designatus, Pastor ovium trina dilectionis confessione constitutus, et princeps Apostolorum præfiguratus; in periculo mortis, naufragio incumbente, positus penes Dominum approximare pertimuit, et se elongare ab eo præ formidine voluit dicens: *Exi a me, Domine, quia peccator sum.* Joannes ille electus et prædilectus discipulus, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, cui Christus in cruce Matrem Virginem virgini commendavit, cui nihilominus adhuc in mortali carne constituto revelata sunt se-

creta cœlestia ; ipse supra modum gloriatus est de solo auditu, visu extrinseco et tactu Dominici corporis , dicens : *Quod fuit ab initio , quod audivimus , et vidimus oculis nostris ; quod perspeximus , quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Si ergo isti gloriosi principes terræ , curiæ cœlestis proceres eximii , tantum reverebantur forinsecus tactum Dominici corporis, nondum in gloria ad cœlos translati ; quanta reverentia , quanto timore, et tremore, quanta corporis castitate et animi puritate oportet sacerdotem , nunc illud gloriosum , et in claritate paternæ gloriæ sublimatum super omnia , illud conficere , tangere , sumere , et in corpus proprium trajicere ?

12°. Quapropter si offers munus tuum ad altare , quicumque sacerdos , si disponis illud venerabile et ineffabile mysterium celebrare , et recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te , ille magnus frater, qui Filius Dei est per naturam , et nobis potestatem dedit Filios Dei fieri , et fratres suos per gratiam ; qui nos dignatus est vocare fratres suos , per prophetam dicens : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* , et rursum post resurrectionem : *ite , dicite fratribus meis* , etc. Si ille frater habet aliquid adversum te , si offendisti in illam majestatem cogitatu , dicto vel facto ; si candorem innocentiæ tuæ aliqua macula offucasti , si conscientiam habes vel valde ægram , vel minus bene sanatam ; relinque ibi munus tuum , differ mysterium, et vade prius reconciliari fratri tuo, per devotam cordis contritionem , per puram oris confessionem , per duram corporis in pœnitentia attritionem , et condignam

satisfactionem; lava per singulas noctes lectum tuum, per singula peccata munda conscientiam tuam. Ascende tribunal conscientiæ tuæ, sedeas in loco judicis; teipsum condemna, et reum constitue. Accedat memoria peccati accusatrix, actio sit testis, consensus et delectatio aggravet peccatum sive reatum. Omnia accusent, nihil te excuset. Veniat timor carnifex, et tortor reum cruciet. Sanguinem cordis, scilicet lacrymas, fundat; et sic per judicium proprium evades divini judicii supplicium, juxta illud Apostoli: *Quod si nosmetipsos judicaremus, non utique a Domino judicaremur;* et tunc veniens offeres munus tuum, et placebit Deo super vitulum, cornua producentem et ungulas.

13°. Ritu quoque legalis sacerdotis ingressuri sancta sanctorum, fac tibi luterem de speculis mulierum, quæ excubant ad ostium tabernaculi, ut dum te lavas, si maculam in corpore deprehenderis, abluas. Luterem, sacram scripturam accipe: mulieres excubantes ad ostium tabernaculi, intellige sanctas animas vigilantes ad introitum regni cœlestis. Specula earum sunt exempla sanctorum, sive testimonia scripturarum: in his animæ justorum velut in speculo se considerant, et quidquid deformitatis in se deprehenderint castigant. Litterarum igitur divinarum sacris meditationibus jugiter vaca, his tanquam divinitus illuminatus te oblecta, ibi totum in speculo quodam refulgente considera: si quid in te pravum deprehenderis, corrige; quod rectum, tene; quod deforme, compone; quod pulchrum, excole; quod sanum, serva; quod infirmum, corrobora. Dominica præcepta infatigabiliter lege,

inexplebiliter dilige, efficaciter imple : et per hæc quid cavendum, quidve sectandum tibi sit, sufficienter instructus agnosce.

Ecce habes qualemcumque initialem formam declinandi mala et faciendi bonum ; quæ si tenueris, dabit tibi benedictionem legislator, et eo duce ibis de virtute in virtutem ; et ipse erit tibi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum te faciat ; et dicet tibi : Ecce ego tecum sum omnibus diebus vitæ tuæ, usque ad consummationem sæculi. Vere erit tecum, quia dabit seipsum in viaticum, ne deficias in via, donec plene reficiat in patria. Proba igitur te modo prædicto, et sic de pane illo sanctæ Eucharistiæ edas, et de calice bibas.

PARS PRIMA.

ORATIONES ANTE ET POST MISSAM.

1. ANTE MISSAM.

PRÆPARATIO AD MISSAM,

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA. (EX MISSALI.)

Ant. Ne reminiscaris. *In duplicibus duplicatur.*

Psalm. 83. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! * concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea, * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum; * rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine : * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te : * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem : * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam : * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus : * et respice in faciem Christi tui :

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus : * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia : * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri, etc.

Psalm. 84. Benedixisti Domine terram tuam : * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ : * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam : * avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster : * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis : * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos : * et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam : * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : * quoniam loquetur pacem in plebem suam :

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verum tamen prope timentes eum salutare ipsius : * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi : * justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est : * et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulavit : * et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri, etc.

Psalm. 85. Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me : * quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam quoniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die : * lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis et mitis : * et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam : * et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te : * quia exaudisti me.

Non est similis tui in Diis Domine : * et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine : * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : * tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua : * lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, * et glorificabo nomen tum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me : * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam : * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator et misericors, * patiens et multæ misericordiæ, et verax.

Respice in me, et miserere mei, * da imperium tuum puero tuo : et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur : * quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri, etc.

Psalm. 115. Credidi, propter quod locutus sum : * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo : * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, * pro omnibus, quæ retribuit mihi ?

Calicem salutaris accipiam : * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea : * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri, etc.

Psalm. 129. De profundis clamavi ad te, Domine : * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine : * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus : * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia : * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, etc.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Tempore Pasch. additur Alleluia.

Postea sacerdos dicit. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Ego dixi, Domine miserere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi. ℣. Convertere, Domine, aliquantulum. ℟. Et deprecare super servos tuos. ℣. Fiat misericordia tua Domine super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te. ℣. Sacerdotes tui induantur justitiam. ℟. Et sancti tui exultent. ℣. Ab occultis meis munda me, Domine. ℟. Et ab alienis parce servo tuo. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris; et gratia Sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri; ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum,

Domine ; ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet : et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus Sancti : quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti ; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica : ut veniens Dominus noster Jesus Christus filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit.

ORATIONES

DICENDÆ CUM SACERDOS INDUITUR SACERDOTALIBUS PARAMENTIS.

Cum lavat manus.

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam : ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad amictum, dum ponitur super caput.

Impone, Domine, capiti meo, galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad albam, cum ea induitur.

Dealba me, Domine, et munda cor meum : ut in sanguine agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad cingulum, dum se cingit.

Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ et castitatis.

Ad manipulum, dum imponitur brachio sinistro.

Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris : ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad stolam, dum imponitur collo.

Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis : et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad casulam cum assumitur.

Domine, qui dixisti : jugum meum suave est, et onus meum leve : fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

ORATIONES

ANTE CELEBRATIONEM ET COMMUNIONEM DICENDÆ.

ORATIO SANCTI AMBROSII EPISCOPI.

Die dominica. Summe sacerdos, et vere Pontifex Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus Sancti tui, dicens : hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Rogo per eumdem sanguinem tuum, magnum salutis nostræ pretium : rogo per hanc miram et ineffabilem charitatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo. Doce me servum tuum indignum, quem inter cætera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ : doce me, quæso, per Spiritum Sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et docet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare quod tibi placet, et expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta

velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia, ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti Angeli tui, repelle a me, et a cunctis servis tuis, durissimum spiritum superbiæ et xenodochiæ, invidiæ et blasphemiæ, fornicationis et immunditiæ, dubietatis et dissidentiæ. Confundantur qui nos persequuntur, pereant illi qui nos perdere festinant.

Feria 2ª. Rex virginum et amator castitatis et integritatis, cœlestis rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis : ut maneat in me tenor castitatis corporis et animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones; et da mihi veram et perpetuam castitatem, cum cæteris donis tuis, quæ tibi placeat in veritate; ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animæ puritate istud divinum et cœleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis junguntur, ubi adest sanctorum Angelorum præsentia, ubi tu es sacrificium et sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus.

Feria 3ª. Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu Deus

omnipotens offerentem feceris dignum? Scio Domine, et vere scio, et idipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas. Sed scio, et veraciter ex toto corde meo credo, et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore cum cordis puritate et lacrymarum fonte, cum lætitia spirituali, et cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria 4ª. Ego enim, Domine, memor venerandæ Passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, et offere præcepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quæso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, et pro populo quem acquisivisti Sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquid boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses; nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse redemptio. Profero etiam Domine (si digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias

orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria 5ª. Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia : quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras : et ignem Sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra : et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem, aspicere digneris : et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere quas ipse propitius audire, et exaudire delecteris.

Feria 6ª. Rogamus etiam te, Domine, sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum : ut sit illis salus, sanitas, gaudium, et refrigerium, hoc magnum pietatis sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de cœlo descendisti, et das vitam mundo, de tua carne sancta et benedicta, agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de sancto et glorioso beatæ virginis Mariæ utero est assumpta, et de Spiritu Sancto concepta, ac de

illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit : ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati, exultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ benedictionis, et sanctificatio tuæ divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa Sancti Spiritus tui invisibilis incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras corpus et sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate et lacrymarum devotione, cum reverentia et tremore, ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum.

Sabbato. Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium corporis et sanguinis tui, quo quotidie in ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summæ divinitatis participes efficimur : da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœlestia sacramenta mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto : Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam præter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem

saporem, qui nos semper reficis, et nunquam in te deficis, comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de cœlo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen, et continua salus animæ et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes, recedant procul a presentia potentiæ tuæ, ut foris et intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam : ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica : ita ut nec esuriam nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu Sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ALIA ORATIO ANTE MISSAM.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te

fontem misericordiæ recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et quem judicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiæ tuæ, Domine Jesu Christe, Rex æterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te : et miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare Domine, creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea : ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear sancta sanctorum : et concede, ut hæc sancta prælibatio corporis et sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia animæ quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

ORATIO SANCTI THOMÆ AQUINATIS.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti filii tui Domini nostri Jesu Christi : accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper et egenus ad Dominum cœli et terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tüæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem ; ut panem angelorum, Regem regum, Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici corporis et sanguinis suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus ! da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere : ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater ! concede mihi dilectum filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

ALIA ORATIO.

Sacerdotes ante celebrationem sacri recitantes sequentem orationem lucrantur indulgentiam quinquaginta annorum, ex concessione Gregorii XIII.

Ego volo celebrare missam, et conficere Corpus, et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque curiæ triumphantis; ad utilitatem meam totiusque curiæ militantis; pro omnibus qui se commendarunt orationibus meis in genere et in specie, ac pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam et consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

SECUNDA PRECATIO SANCTI AMBROSII.

ITEM IN PRÆPARATIONE AD MISSAM.

1. Summa et incomprehensibilis natura, virtus vitaque beata, lux inaccessibilis, vera, singularis, et una sapientia, veritas incommutabilis, sancta, incomparabilis, et æterna dilectio, temporalium rerum sine tempore conditor, visibilium et invisibilium invisibilis æternus-

que patrator, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, unus et verus in Trinitate Dominus Deus : Pater non habens a quo sis, habens tamen sapientiam, id est filium, cui major vel anterior non sis : Filius habens Patrem a quo sis, non tamen habens cui minor vel posterior sis : Spiritus Sanctus habens Patrem et Filium, a quibus sis, non tamen habens quibus vel inæqualis vel impar sis ; quia totum in hac tua divinitate, cui tempus accidit nunquam, æternum ac coæternum, æquale ac coæquale est, in qua alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus : Sed Pater in filio et Spiritu Sancto, filius in Patre et Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus in Patre et filio est; quia sicut tua, Deus noster, natura personas recipit, sic partes nequaquam admittit : cui nec supra, nec subtus, ante vel retro convenit, quia corporum lineamenta non recipit. Unde et tota omnibus in locis sine loco habetur, nec tamen tota comprehenditur; tota namque ubique habetur, quia profecto pars in ea nulla reperitur : tota autem non comprehenditur, quia videlicet eum in creaturis unicuique tota præsens efficitur, etiam ultra creaturas tota invenitur. Quamobrem cum cœlum et terram implet, tota est : cum hominem unum implet, tota est; nec variatur per singula, quæ in singulis tota est; nec loco ad locum transit, cum unum deserens, alterum petit, quæ semetipsam sine loco et tempore movet. Hinc merito colendus, hinc adorandus es, hinc incommutabilis, hinc incircumscriptus agnosceris : hinc mediator Dei et hominum homo Christus Jesus secundum divini-

tatis essentiam, totus cum hominibus in terris, totus erat cum Patre in cœlis cum diceret : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis, qui in cœlo est* (JOAN., III, 13). *Qui videlicet, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinavit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (PHILIP., II, 6).

2. Per hunc te, beata Trinitas, humanitatis habitum, per hujus subjectionis humilitatem deprecor, per hujus sacratissimam obedientiam, per hujus beatissimam mortem exoro in primis, ut te Dominum Deum meum diligam, te sitiam, te toto corde perquiram : deinde ut proximum juxta vires atque mensuram in hac ipsa tua dilectione charum semper atque dilectum attendam. Sed hanc dilectionem nulli, Domine, præstabis, nisi cui vitia prius odisse donaveris. Obsecro ergo, pia et vera misericordia, solida atque unica spes mea, ut superbiæ regnum auferas ab anima mea. Horrendum, Domine, pavendumque tam maximum malum, quod angelos de cœlo projecit, quod homines de paradiso eliminavit, quodque initium omnis peccati est, et ad ipsum pertinet quidquid vitii et iniquitatis est, cujus primæ soboles septem nimirum principalia vitia, ex hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaratia, ventris ingluvies atque luxuria. Sed et numerosa propaginis turba ex singulis generatur.

3. Inanis ergo gloria cum plene mentem ceperit, mox septiformem in illa nequitiam gignit, inobedientiam scilicet, jactantiam, hypocrisin, contentionem, pertinaciam, discordiam, ac novitatum præsumptionem. Sed si huic vera humilitas opponatur, omnis ejus nequitia vacuatur. Te ergo deprecor, humilitatis magister, ut hanc cordi meo inseras, insertamque custodias, quæ dum cunctis inferiorem se attendit, subjectionem protinus gignit, jactantiam exstinguit, hypocrisin excludit, contentionem refugit, pertinaciam emollit, discordiam præcavet, novitatum præsumptionem abhorret. Hoc beatæ humilitatis medicamine morbum elationis sanandum prævideras, cum per hominem assumptum auctor nostræ salutis, tuis ad te venientibus diceres : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (Matth., xi, 29). Et rursum : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (Matth., xviii, 3).

4. De invidia quoque odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis ejus propagatur. O mala progenies, quæ si animo intromissa dominari cœperit, omnem sanctitatis sobolem exstinguit ! Qui itaque invidet vel odit, non alium prius quam seipsum occidit : qui susurrat et detrahit, prius suas quam aliorum radices evellit : qui exsultat in adversis proximi, et affligitur in prosperis ejus, alieno se primum gladio petit. Hoc secundum superbiæ virgultum tunc primo fuit exortum, cum ille de quo scri-

ptum est, *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24), Caïn persuasit ut livoris odio fraternum funderet sanguinem. Sed nimirum idem Caïn invidus prius suam animam, quam alterius carnem peremit, scriptum quippe est : *Qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem* (I JOAN., III, 15). Hinc, Domine, apparet cujus primum homicida est, qui alterum odit, in quo vita non est. Quod contra Moyses omnium mitissimus admonet, dicens : *Ne oderis proximum tuum in corde tuo* (LEV., XIX, 17). Et quia ille, qui invidet et odit, consequenter susurrat et detrahit; hoc malum scriptura sancta præcavendum denuntiat : *Non eris, inquit, susurro in populis* (*ibid.*, 16) ; et : *Nolite detrahere alterutrum, fratres* (JACOB., IV, 11). Qui vero detrahit fratri, detrahit legi; qui enim susurrat et detrahit, consequens est ut in adversis proximi exsultet, in prosperis autem animi tristitiam contrahat. Sed occurrit beatus Apostolus, et dicit : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.*, XII, 15). Et ecce alius pro terrenis rebus, terrenisque honoribus, alius pro virtutum successibus cuilibet invidet, quemlibet odit, contra quemlibet susurrat, de quolibet detrahit, de cujuslibet exsultat, de prosperis animum mœstificat.

5. Sed ut in cunctis hoc multiplex malum superetur, occurrat, Domine, quæso, illud multiforme bonum, quod potenti virtute resistens non det invidiæ locum, charitas scilicet, quæ fundamentum est omnium virtu-

tum et bonorum : quæ non invidet, sed congaudet : non odit, sed diligit : non susurrat, sed objurgat : non detrahit, sed arguit : non de adversis proximi gaudet, sed mœret : non de prosperis afflictionem contrahit, sed consolationem recipit. Merito autem tale nomen accepit, quod illa charius inveniri non poterit : quam qui habet, te utique habet. *Deus,* inquit, *charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (I Joan., iv, 8). Qui ut præfatum invidiæ superet malum, cordis simul et oris jungenda custodia est : cordis scilicet, ne invideat, ne in adversis proximi exsultet, ne in prosperis mœstitiam contrahat : oris vero, ne susurret, ne detrahat. Scriptum quippe est : *Omni custodia serva os tuum : serva tuum cor, quia ex ipso vita procedit* (*Prov.*, iv, 23). Et rursum scriptum est : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.*, xviii, 21). Citius autem malum quod intus latet, exstinguitur, si a pravo eloquio foris lingua frenetur. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis : ut non declinet cor meum in verbum malum* (*Ps.* cxl, 3). *Libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* (*Ps.* cxix, 2).

6. Ira autem invidiam sequitur, qua inter cætera vitia nihil asperius, nihil invenitur amarius; quæ dum ultra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, sensum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumque corpus perturbat. Hinc protinus rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, et blasphemiæ suscitantur. De qua nimirum scriptura sancta testatur, dicens :

Ira in sinu stulti requiescit (*Eccl.*, VII, 10), et : *Ira viri justitiam Dei non operatur* (JAC., I, 20).

7. Sed objice, Domine, contra tam amarissimum iracundiæ malum suavissimum patientiæ bonum, in quo specialiter animarum nostrarum salus collocatur, cum nobis per Evangelium dicatur : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (LUC., XXI, 19). Quæ nimirum dum arcem et principatum in mente susceperit, omnes mox perturbationes compescit : rixas et contumelias in exhortationem convertit, confusum clamorem sub ordinato silentio premit, indignationem tumoremque mentis mansuetudine vincit, blasphemias gratiarum actione repellit. Quod si forte in immensum ira succensa ad horam patientia succubuerit, nullumne, Domine, remedium erit? Erit certe. Nam cum hujus mali damnationem Evangelium denuntiet, dicens : *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio : qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit consilio : qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis* (MATTH., V, 22); protinus recuperationem subjungit, cum dicit : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*ibid.*, 23). Et illud : *Cum statis ad orandum, remittite, si quid habetis adversus alterum in cordibus vestris* (MARC., XI, 23). Hanc mihi, Domine Deus, secundam tribue victoriam, si furore cæcatus amisero primam, cum non

tuo zelo, sed meo vitio cujuslibet animum offendo.

8. Tristitia quoque iram persequitur : quæ dum cordis arcana penetrat, protinus in ejus cubiculo malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta, vagationem mentis erga illicita generat. Quæ inter cætera vitia quam sit detestanda, beatus Paulus indicat : *Sæculi*, inquiens, *tristitia mortem operatur* (*II Cor.*, VII, 10). Sed obsecro, Deus et Dominus meus, oppone contra sæculi tristitiam futuræ beatitudinis lætitiam, quæ ex mœrore contractam malitiam vincat benevolentia, tædio procreatum rancorem pellat sinceritate, pusillanimitatem fortitudine roboret, desperationem spei fiducia erigat, torporem circa præcepta exercitio spiritali repellat, vagationem mentis erga illicita inconcussa stabilitate refrenet. Quod si, ad momentum subtracta lætitia spiritali, malum tristitiæ prævaluerit, agam, quæso, quod monet beatus Jacobus : *Tristatur quis in vobis? oret æquo animo, et psallat* (JACOB., V, 13).

9. Avaritia sequitur tristitiam, quæ in utroque Testamento pari notatur exsecratione. In veteri namque dicitur : *Avaro nihil est scelestius* (*Eccl.*, X, 9); in novo autem : *et avaritiam, quæ est idolorum servitus* (*Eph.*, V, 5). Ex qua profecto septem nequitiæ procreantur, scilicet, proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, et contra misericordiam obduratio. Et ecce, Domine Deus, quilibet amator mundi, et non tui, propter metalla pretiosa, ardentes fulgentesque lapides, servos et servas, prædia et fundos ad mortem

proximum tradit, fraudem incurrit, fallaciam obducit, perjurium committit : et alius inquietus et violentus est propter villam, alius propter gallinam : alius obduratur contra misericordiam ne retribuat aurum, alius ne porrigat potum. Sed peto, mi Deus, amator castus et verus, ut cui præter te nulla possessio debetur in terra, nihil quod tu non es, concupiscam in terra; semper illius sententiæ meminerim, qua dicitur : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc* (Job., i, 21). Atque illius : *Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus* (*I Tim.*, vi, 7.) Quæ nimirum dum pie considerantur, mundi contemptum afferre videntur, qui avaritiæ contrarius est.

10. Post hæc restat ventris ingluvies, quæ a necessitate quidem incipit, sed modum necessitatis excedens, ad voluptatem pertransit; dumque a licitis ad illicita pervenerit, mox ineptam lætitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, sensusque hebetudinem circa intelligentiam parturit : cujus mortiferum virus tunc utcumque vacuatur, cum non qualitas, sed libido in escis præcavetur. Prima enim mulier non exquisitarum dapum, sed sola pomi delectatione mortem mundo induxit (*Genes.*, iii, 6); et antiquus hostis regem nostrum non de carne, sed de pane tentavit (Matth., iv, 3) : et Sodoma idcirco igne et sulphure periit; quia inter cætera mala panem in saturitate comedit (*Genes.*, xix, 24).

11. Quapropter clementiam tuam, Deus, imploro, ut sicut æger ad medicinam; sic ad sumendas dapes acce-

dam; nequaquam scilicet in eis voluptatem appetens, sed necessitati subveniens. Aufer a me propter magnam misericordiam tuam omne cibarum noxium desiderium, congruamque servo tuo escarum propitius tribue abstinentiam, ut inter necessarium modum proprium temperem appetitum, remotaque a me omni prorsus crapula et ebrietate, sciam in virtute tua abundare, sciam et penuriam pati, noverim quoque in quibus mihi sufficiens esse possim. Ita, Domine, ita, Pater bone, noxiis gastrimargiæ succis arefactis inepta lætitia vel scurrilitas non pullulabit, quæ illos maxime ad insaniam perducit, in quibus crapula et ebrietas dominium sumit : *Sedit* enim *populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod.*, XXXII, 6). Contra quos illa sententia venit, qua dicitur : *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram! Et væ vobis, qui ridetis nunc; quia plorabitis et flebitis* (LUC., VI, 25)! Quod contra ii qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ejus (*Galat.*, V, 24) audiunt : *Mundus gaudebit, vos vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (JOAN., XVI, 20) : Et rursum : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (MATTH., V, 5). Immunditia quoque quæ juxta Apostolum quibusdam regni cœlestis aditum claudit, vigilantem nunquam, dormientem vero tardius sua colluvione fœdavit. Multiloquium inedia pressum silebit : hebetudo sensus circa intelligentiam spiritualis acuminis ingenio cedet; quod sancta parci-

monia in mente propagabit; venter enim abstinentia contractus humanos in altum elevat sensus.

12. Luxuria gastrimargiam sequitur, quæ dum licentiæ metas excedit, mox de se cæcitatem mentis, inconsiderationem, inconstantiam, præcipitationem, amorem sui, odium Dei, affectum præsentis sæculi, horrorem autem vel desperationem gignit futuri. Sed peto, Domine, ut qui ab ipso pubertatis tempore a complexu carnalis copulæ alienum me esse voluisti, delectationis ejus consensu non tangar. Quid enim prodest, Domine Deus, virginem esse corpore, si contingat mente esse corruptum? Qui enim viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo (MATTH., V, 28). Huic profecto necdum castitatem professo, juxta Apostolum melius est nubere, quam uri (*II Cor.*, VII, 9) : Sed obsecro, Domine, ut cui non licet nubere, nec contingat aduri.

13. Ecce dum pro me sollicitus talia postulo, meminisse charitatis debeo; ut etiam pro aliis exorem. Te igitur amatorem Ecclesiæ tuæ deprecor, Deus, pro sacerdotibus ejus; ut verbis simul et meritis vitæ populum sibi creditum ad cœlestem patriam invitent. Pro regibus, ducibus, et iis qui in sublimate positi sunt, ut patres orphanorum et judices viduarum semetipsos exhibeant, miseriis inopum, et gemitibus pauperum condoleant, nihil nisi quod justum est, in judicio quærant; sicque administrent præsentia, ne amittant bona futura. Pro virginibus, continentibus, ac mundo renun-

tiantibus; ut præsentia despiciant, futura requirant, nec se negotiis sæcularibus implicent; ut tibi militantes placeant, cui se probaverunt. Pro conjugatis, ut sic sibi invicem carnis debitum solvant, ne a desiderio patriæ cœlestis exorbitent.

14. Sed quid ago, Domine? quasi oblitus peccatorum meorum, pro aliis exorare præsumo. O quam in multis offendi atque offendo! Sed tamen non subrepit desperatio, cum publicanum in templo justificatum attendo, cum latronem in cruce confitentem, et de cruce ad Paradisum transeuntem aspicio, cum Mariam post multas criminum maculas fonte pietatis ablutam, cum Petrum post negationem apostolatus gratiam recuperasse intueor. Sed rogo, ineffabilis pietas, ut cui de tantis exemplis præsumere donasti, gemitus publicani, confessionem latronis, lacrymas meretricis, fletusque negantis apostoli concedas. Quia si flagello temporali scelera mea vindicanda provideris, lacrymosus imploro; ut dum contra hæc iratus desævis, semper in ira misericordiæ recorderis: quem enim diligis, corripis; flagellas autem omnem filium, quem recipis (*Hebr.*, XII, 6). Quibus nimirum verbis etsi virga percussoris minatur, paternus tamen pietatis affectus monstratur. Da ergo, Domine, inter flagella tolerantiam, ne murmurationis notam, ut malus servus incurram : sed magis quasi bonus filius, gratiarum actiones rependam.

15. Illud etiam magnopere peto, ut diem obitus, diem extremi judicii, damnationem æterni supplicii, beati-

tudinemque regni futuri semper meminerim : quod nemo indesinenter potest, nisi qui ad vitam præordinatus est æternam. Indesinenter, Domine, recolenda est dies illa, in qua lux cum tenebris pugnat, misericordia cum crudelitate desudat, in qua adversarius noster mala quæ fecimus, locuti sumus, vel cogitavimus, violentissimus accusator retexet, justitiam tuam ad hæc punienda deposcet. Ubi quid sum, Domine, nisi tu qui juste judicas, etiam misericorditer defendas? Recordare, quæso, quia advocatus meus ipse, qui judicas. Quod si etiam in illo adhuc sæculo aliquid in me vindicandum reservas, peto ne me potestati dæmonum tradas, dum scelus meum purgatoria pœna detergis.

16. Nunquam, Domine, oblivioni tradenda est dies illa, de qua dixit propheta : *Dies*, inquit, *iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris* (Sophon., i, 15 et seq.) : in qua, cœlis et terris ardentibus, *exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis* (Matth., xiii, 49) : in qua messores collecta zizania alligabunt in fasciculos ad comburendum. In qua a sinistris positi audient impii : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus* (Matth., xxv, 41). In qua jam obsecratis vitæ januis cum exstinctis lampadibus stultæ virgines a thalamo exclusæ plorabunt, dominationemque gementes clamabunt : *Domine, Domine, aperi nobis*

(*ibid.*, 11); et tunc dices illis : *nescio vos*. In qua etiam qui miraculis coruscaverunt, similiter lamentabuntur repulsi, et dicent : *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus* (Matth., vii, 22)? Et tunc confiteberis etiam istis quia nunquam novisti eos, subjiciens : *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem* (*Ps.* vi, 9). Quis hæc, Domine Deus, terribilis in consiliis, mirabilis in majestatibus, faciensque prodigia : quis, inquam, hæc non paveat, et a fundo cordis non contremiscat; cum etiam illos damnari audiat, quos in hac vita contigit miraculis coruscare? Ad quæ nimirum valet illa sententia, qua dicitur : *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia reservantur in futurum incerta* (*Eccl.*, ix, 1). In quo et si justus vix salvabitur, peccator et impius ubi parebunt?

17. Etiam, Domine Deus, indesinenter meditandum æternæ damnationis supplicium, in quo quidquid pœnarum nunc excogitari potest, quidquid etiam non potest, semper adest. Cujus vermis immortalis, ignis inexstinguibilis, fœtor intolerabilis est : cujus terra tenebrosa, et montis caligine cooperta, terra miseriæ et tenebrarum est : cujus torrentes in picem convertuntur, et humus in sulphur, ardebitque in sempiternum; cujus lacus sanguine, igneque permixtus est, et quoscumque suscipit, demergit simul et exurit. O quam horrenda! O quam stupenda sunt ista!

18. Sed major erit, Domine, cruciatus, amissio tuæ claritatis. Sufficit enim ad plenam miseriam tua non perfrui beatitudine, in qua justi receptis corporibus, sanctorumque Angelorum celsitudini coæquati, in æternam lucem aspicientes, sicut sol refulgebunt. Nec immerito sole et luna non indigebunt; quia te perenne lumen habebunt. Non esurient neque sitient, non laborabunt neque deficient, non mœrebunt neque lugebunt; quia quidquid satietatis, quidquid quietis, quidquid gaudii est, tua visitatio præstabit, quæ in omnibus omnia erit. Nec tempus jam illis accedet, quia totum æternitas possidebit : nec timebunt ultra jam mori, qui meruerint beata immortalitate vestiri. Quid autem de hac beatitudine miser ego homo amplius dicere valeo? Qui de illa quidquid dixero, illa sententia reprimor, quam per prophetam et apostolum dictam intelligo : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus his, qui diligunt eum* (*I Cor.*, II, 9). Erunt certe in illa beata vita hæc bona quæ præmisi, sed ineffabili, et nobis adhuc incomprehensibili modo. Hujus desiderio, Domine Deus, formator et reformator meus, hujus amore peragam : nec sit ultra timor in charitate, sed perfecta charitas foras mittat timorem (II JOAN., IV, 18).

19. Et ut efficax hæc mea sit deprecatio, beatæ Mariæ virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, et nulla præter ipsam tam novum acciperet : novum scilicet

munus prima offerret, ut puerpera virgo perseveraret : nulla præter ipsam tam novum acciperet, ut Deum virgo pareret, et post partum virgo maneret. Apostolorum intercessionem imploro, qui beatissimam Mediatoris paupertatem, ejusque passiones vestigio insequentes, ad tantum celsitudinis culmen pervenerunt; ut quæcumque ligarent super terram, essent ligata et in cœlo : et quæ solverent super terram, essent soluta et in cœlo (Matth., xvi, 19) : atque in extremis sederent super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel (Matth., xix, 28). Martyrum preces deposco, qui pro veritate non dubitarunt sanguinem fundere, nec dilexerunt animas suas usque ad mortem, ut mortis superarent auctorem. Confessorum orationes expostulo, qui bella tentantis inimici, dum pie viverent in catholica pace, vel etiam hæreticorum conflictationem diuturno certamine pertulerunt, atque, ut verum dicam, longioris occultique martyrii palmas acceperunt. Talium, Deus meus, preces nunquam spernas, si ut pro me exorent, ipse inspiraveris, qui in æternitate perenni vivis et regnas cuncta per sæcula, et in omnibus sæculis. Amen.

TERTIA PRÆPARATIO AD MISSAM.

ORATIONES SANCTI ANSELMI.

Ad Christum.

Dulcissime, et super omnia desideranda desiderande et suavissime Jesu Christe, adesto supplicationi meæ, et *intende voci orationis meæ* (*Ps.* v, 3), et per tuam magnam misericordiam emunda ab omni inquinamento peccati animam meam, ut dignus possim accedere ad servitium tui altaris, digneque tractare mysterium corporis et sanguinis tui. Fateor, dulcissime Domine, coram omnipotentia tua me nimis esse culpabilem, et multa mala fere per singulas horas facientem, et tamen de ineffabili bonitate tua non desperantem. *Bonus es tu,* Domine, *et in bonitate tua doce me justificationes tuas* (*Ps.* CXVIII, 68), ut eas intelligendo, easque, sicut decet, jugiter operando, mundo corde mundaque anima possim recipere mysteria tua.

Ecce, anima mea, præpara hospitium cordis tui ad suscipiendum corpus et sanguinem creatoris tui mundis cogitationibus mundisque operibus, expurga ab omnibus interioribus tuis quidquid potest offendere hospitem tam immensæ majestatis; non enim potest in illa anima vel in illo corde manere, quam possidet aliqua contaminatio malitiæ, et nisi ibi summa pax summaque charitas fuerit, indignum judicans illud hospitium conversatione

suæ mansionis, nec diu ferens tantam inquietudinem perturbationis, ab illo hospitio cito discedit. Væ autem menti illi quam Christus propter suas iniquitates deserit, deserensque et damnans tentationibus et dolis inimici seduci permittit!

Diligenter ergo, o anima mea, inspice, diligenter omnes sensus corporis tui ad teipsam intus recollige, et quidquid eis sordidum vel immundum inveneris, foras projice, expulsaque omni malitia vel iniquitate, diligenter post illas aditum pectoris tui reclude, ne ad te valeant quandoque redire, vel amplius interiora tua inquinare. Peractis vero omnibus quæ ad ipsius venerabilis mysterii consecrationem pertinent, expulsisque omnibus quæ ipsius mentis arcanum maculare solent, o tu, misera anima mea, cum magna diligentia intuere omnes negligentias tuas, omnia mala et peccata quæ facere solebas. Et cum ipsius Redemptoris tui corpus et sanguinem in manibus tenes, illius ineffabilem misericordiam, quam dulcius potes, exora, ut per suam magnam pietatem omnia peccata tua dimittat, et ut hæc vel alia amplius admittere non valeas. Hoc ante omnia, et sicut interitum tuum moneo caveas, ne in hujusmodi recordationibus aliquos diaboli laqueos incurras, quos multi incauti sæpius incurrunt; qui dum mala sua quasi pro eis plorantes ante mentis oculos reducunt, per easdem recordationes in ipsorum malorum delectationes insipienter reincidunt.

Recordare, quam dulcius potes, ipsius corporis Christi

quod tenes ineffabilem pietatem, et plus quam æstimari possit admirandam dulcedinem, quod pro redemptione tua multas injurias sustinuit, et ad ultimum crucifixum sit. Sed et ipsam passionem quam in cruce pertulit per singulos dolores cogita et recogita, scilicet cum quanto dolore in ipsius crucis patibulo et pedes ejus et manus infixæ sunt, latus ejus per militis lanceam transforatum, ab ipsis etiam pro quibus patiebatur, ibi ante crucem quasi malefactor sit illusus, irrisus, et tam horrida opprobria sustinens, quasi agnus mausuetissimus inestimabilem patientiam ostendit. Qui cum facile posset, non se de suis interfectoribus vindicavit, sed Patrem, ut hoc peccatum illis dimitteret, oravit. Cum vero, hujusmodi recordationibus quasi satiata requiescere cœperis, nec tamen requiescens hæc dulciter et cum magno affectu ruminare cessaveris ad ipsum dulcissimum dulcissimi Domini corpus quod in manibus tenes loquere, et quasi cum præsenti loquens, tuas illi necesitates expone. De illo hæc fideliter crede quod corpus hoc veraciter corpus illud sit quod de Virgine natum est, quod crucifixum est, quod in sepulcro positum est, quod tertia die a mortuis resurrexit, quod ad cœlos ascendit, et quod sedet ad dexteram Patris.

Nec dubites in illa hora sacrificii corporis et sanguinis tui Redemptoris angelos adesse suo Creatori, suique Creatoris carni et sanguini cum magna reverentia ineffabile obsequium deferre. Quid vero de omnibus sanctis æstimari debet? Quid cogitari potest, cum ipsius re-

demptionis suæ pretium in terra celebrari conspiciunt, de cujus æterna visione lætantes, jam magnum gaudium possident in cœlo? Tu vero, anima mea, hæc omnia fideliter credens, carnemque tui creatoris dulciter amplectens, in ipsis amplexibus ejus pietatis significa tuam necessitatem, et quam dulcius potes ejus exora pietatem, ut per suam ineffabilem misericordiam omnem tuam emundet fœditatem. Ingere totam teipsam in Christum quem tenes, et ipsum prius adorans, tuas iterum et iterum repræsentans ingere necesitates.

ALIA ORATIO AD CHRISTUM.

O dulcissime Domine Jesu Christe, qui pro mea redemptione crucifixus es et mortuus, ante te est omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus (*Ps.* XXXVII, 10). Ecce benignissime Deus, coram te est miseria mea, et in manibus meis est misericordia tua, miseria peccatricis animæ meæ, misericordia redemptionis tuæ. *Miserere ergo mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam* (*Ps.* L, 1-3), et ab hac hora usque in finem custodi vitam meam. Defende ab omni iniquitate animam meam, ut jam amplius agere non valeam unde oculos tuæ majestatis offendam. Da mihi, benignissime Deus, te, sicut jubes et rectum est, super omnia diligere; deinde proximum non minus quam meipsum, sicut iterum præcipis, amare. Est enim hoc justissimum et omnino ratio-

nabile ut te super omnia, et etiam plusquam nos debeamus diligere, quia tu nos antequam essemus dilexisti, diligens creasti, creatos ad notitiam sanctissimi nominis tui adducere curasti; nos vero neque hoc ipsum, quod te vel aliquid boni diligimus, a nobis ipsis nisi a te habemus. Proximum vero nostrum et tu nobis, sicut nos ipsos, recte diligere præcipis, et non recte diligimus eum, sicut præcipis quia æquali dilectione nos omnes creasti, æquali dilectione pro omnibus passionem suscepisti, æqualiter omnibus vitam æternam præparasti. Da omnibus, clementissime Pater, qui fidem rectam habent, recte et sancte vivere, nec in ulla omnino re ab his quæ præcipis deviare; his vero qui nondum in te credunt, antequam de hac vita exeant, da fidem et dilectionem sanctissimi nominis tui suscipere, et susceptam usque in finem rectam et inviolatam custodire. Sit omnibus vivis et defunctis sacrificium tui corporis et sanguinis remissio omnium peccatorum : vivis quidem, qui recte vivunt, et, si nondum recte vivunt, recte quandoque vivere volunt; defunctis autem, qui per hoc sacrificium se sperant in misericordia tua accipere remissionem suarum iniquitatum, et post hæc pervenire ad gloriam sempiternam regnumque cœlorum.

Credimus de te, Domine Jesu Christe, quia tu idem ipse, qui es Filius Dei, es Filius Virginis tu idem ipse, qui in principio eras Verbum, et Verbum eras apud Deum, et Deus eras Verbum, et per quod omnia facta sunt (Joan., i, 1-3); a Patre ante omnia sæcula genitus,

in tempore es ex Virgine natus quamvis altera natura sis quam Pater, postquam factus es filius Virginis et habitasti in nobis; altera natura existens, secundum quod filius Dei es quamvis in duabus naturis tua persona, Deus et homo, existis æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Quia vero tu idem ipse Deus qui homo, et qui homo Deus; propterea sanctissima Virgo quæ te portavit, ab omnibus fidelibus theotócos prædicatur et creditur, hoc est mater Dei. Et quia tu non alter Filius Dei, alter Filius hominis, sed tu idem ipse Filius Dei, qui Filius hominis passionem et mortem pro salute humani generis suscepisti, non in natura deitatis, sed in natura humanitatis; tu idem ipse, non alter propter distantiam naturæ, sicut nec una natura existens propter unitatem personæ.

Est adhuc, dulcissime Domine Jesu Christe, quod de ineffabili charitate qua nos diligis, cogitare possumus et debemus quod nobis miseris peccatoribus, ad indicium tuæ magnæ dilectionis, in hoc mysterio tui corporis et sanguinis ostendis. Cum aliquis homo alterum hominem, sicuti plus potest, diligit; præter alia, vi dilectionis forsitan potest pro eo mori, si ita dilectio exigit; quod tamen raro accidit ut quis hoc pro suo dilecto velit pati. Quod si unquam amicus pro amico facit in magnam admirationem magnumque stuporem omnes qui hoc audiunt, convertit. Tu vero, dulcissime Domine Jesu, non solum pro amicis, sed et pro inimicis mori

voluisti et non solum hoc, sed et istud quod nullus facere pro amico vult fecisti, et adhuc facis, videlicet cum teipsum, qui pro nobis mortem sustinuisti, das ad manducandum et bibendum in hoc mysterio tui corporis et sanguinis, manducamus corpus tuum et bibimus sanguinem tuum, scilicet nostræ redemptionis pretium. Da mihi ergo, Domine Jesu, sic vivere, sic caste et sancte deinceps tui altaris servitium facere ut sic vivendo, sic faciendo, sic carnem manducando et sanguinem bibendo, post mortem carnis ab omnibus peccatis absolutus ad te Creatorem meum et Redemptorem recto itinere valeam pervenire, ubi te cum omnibus sanctis in æterna felicitate sine fine possim laudare et benedicere.

ALIA ORATIO

PRO SACERDOTE QUI HABET CELEBRARE.

Impellit me, Domine Deus, ministrandi officium, hostias salutares offerre pro populi delicto : ferret conscientia indebiti sacerdotii pro reatu proprio. Si a me omnium sacerdotum peripsemate sacrificium offeratur, pollutæ conscientiæ crimen augetur ; tamen majestati universæ carnis judicis non offertur, negligentiæ reatus ascribitur. Inter hæc tuæ, omnipotens Deus, libramen pietatis imploro ; cujus diem ultionis, accusante conscientia, pertimesco, ne indignum misericordia tua judices, quem a tempore pœnitentiæ non excludis. Suspende, Domine, securim, donec cultor vineæ Spiritus

Sanctus admoveat cophinum stercoris ad radicem infructuosæ arboris. Parce mihi, Domine, parce clementissime, qui Davidem post lapsum clementer ad veniam revocasti; qui Petri misericors amare flentis lacrymas respexisti; qui latronem tanti facinoris reum divina gratia illustrasti, cui mox obtinuit confessio perspicere Dei filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudium sempiternum; dum confessor in cruce, possessor Paradisi exstitit post crucem. Sed quia verba venia tuæ pietatis indigent, quæ indigni sacerdotis opera non commendant, saltem astantium vota suscipe; ut et mihi suis apud te precibus veniam, et eorum meritis sacrificia nostrorum vulnerum salubriter nobis conferant medicinam. Et quia, omnipotens Deus, pro nobis omnibus factus es hostia pro peccatis, adsis nobis satisfactio in sacrificio pro delictis, qui vivis et regnas, etc.

ALIA ORATIO

PRO SACERDOTE CELEBRATURO.

Conscientia quidem trepidus, omnipotens Deus, ad altare tuum accedo, sed ad fiduciam de tuæ pietatis misericordia retineor. Et licet ad celebranda tibi sacrificia semper inveniar indignus; tamen si recedo, vereor de inobedientia condemnari. Pro qua re dignare me, piissime Pater, paterna pietate ac placato vultu respicere, et cordis mei interim ora purgare. Et si ego pondere peccatorum meorum ac reatu constringor; mearum tamen precum obtentu, tibi sint, quæso Domine, in

omnibus placita mysteria consecranda. Per Dominum nostrum, etc.

ALIA ORATIO.

Conscientia culpabilis, vita trepidus et anxius, criminum funibus captivatus, te unicum refugium et singulare remedium miserorum deprecor, Domine, ut mei indigni sacerdotis tui miserearis, mihique indulgeas quod illud sacramentum salutare, Angelis et Archangelis, et omnibus sublimitatibus tremendum et adorandum, sceleratis labiis consecrare, ac profanatis manibus præsumo attrectare; sed dum accedo per me, fateor, Domine, præsumo de te, memor malorum meorum, et tuorum quæ a sæculo sunt bonorum. Adhuc, Domine, te rogare præsumo, ut non sit mihi sacrosanctum sacrificium tuum ad judicium, neque ad condemnationem, sed potius ad liberationem peccatorum et angustiarum mearum, et ad perennem animæ meæ salvationem. Idipsum, Domine Deus, supplicans repeto, non elata, ut ipse conspicis, præsumptione, sed prona et pavida præsumptione, quia miser et immundus carnis tuæ sanctæ et pretiosi sanguinis tui sacramentum immundis manibus consecrare audeo. Supplex exoro et obsecro, Domine, ministerium tuum respice, et misero mihi ministro miserere, sacrificatorem purifica, et sacrificium sanctifica. Deus Pater, audi me; quidquid est in me contra me, clementer aufer a me; apta me tuo sancto servitio, ac ministerium idoneum tibi me per-

fice, et annue ut quæ tibi placita sunt, inter hæc sancta mysteria postulem, et quæcumque postulo tua, Domine, benignissima, quæso, misericordia percipiam. Tibi honor, tibi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ALIA ORATIO.

Si tantum, Domine, reatum nostræ delinquentiæ cogitamus, deputatum observationis ministerium non implemus; grave est enim, quod ad mensam tuam mundo corde et innocentibus manibus non venimus; sed gravius est, si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus. Liceat igitur pro inobedientia assistere, pro indulgentia petere, pro officio ministrare, pro remedio immolare, pro populo obsecrare. Quæso ergo conforta in me quod trepidat, cura quod tædet, reconcilia quod discordat, evacua quod corrumpit, humilia quod superbit. Sit pia justitia clemens correctio; nunquam absorbeat peccatorem, imo reconciliet pœnitentem. Da in salutem disciplinam, non in mortem sententiam : exaudi peccatoris precem, qui visitas in dolore gementem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ALIA ORATIO AD CHRISTUM.

Domine Jesu Christe, qui Patre disponente, Spiritu Sancto cooperante, per mortem tuam spontanea voluntate misericorditer a peccato et morte æterna mundum redemisti, adoro et veneror eo quo possum, quamvis tepido affectu et humili devotione, gratias agens tanto

beneficio, hoc sanctum corpus, et hunc sanguinem tuum, quæ ad emundationem et defensionem a peccatis, accipere desidero. Confiteor, Domine, quia nimis sum peccator, et indignus ad eorum tactum accedere. Sed confidens de illa clementia, qua pro peccatoribus, ut justi fierent, animam tuam ponens, eam dedisti, et pia hostia mactari voluisti; illa præsumo, licet peccator, ut per illa justificer, accipere. Supplex ergo te, pie miserator hominum, obsecro ut quæ ad delendum peccata dedisti, non mihi sint ad peccatorum augmentum, sed ad indulgentiam et tuitionem. Fac me, Domine, ita ea ore et corde percipere, atque fide et affectu sentire, ut per eorum virtutem sic merear complantari similitudini mortis et resurrectionis tuæ, per veteris hominis mortificationem, et novitatem justæ vitæ, ut dignus sim corpori tuo, quod est ecclesia, incorporari, et sim membrum tuum, et tu caput meum, et maneam in te, et tu in me : quatenus in resurrectione reformes corpus humilitatis meæ, configuratum corpori claritatis tuæ, secundum promissionem Apostoli tui, et in te in æternum gaudeam de gloria tua, qui cum Patre et Spiritu Sancto, etc.

ALIA ORATIO AD CHRISTUM.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, adoro et veneror hoc sanctum corpus tuum, et hunc sanguinem tuum, quod est traditum, et qui pro multis effusus est in remissionem

peccatorum : deprecorque clementiam tuam, misericordissime Domine, per horum virtutem, fac me unum de illis multis, et fac me hoc sentire sic per fidem et affectum, ut sentiam ea per salutis effectum. Et absolve et libera servos et ancillas tuas, me et omnes, qui mihi confessi sunt peccata sua, et pro quibus promisi, vel obnoxius sum exorare, et qui se sperant vel petunt meis orationibus apud te adjuvari, ab omni peccato, et pœna peccati; et fac Ecclesiam tua continua protectione et consolatione lætari.

QUARTA PRÆPARATIO AD MISSAM.

Domine Jesu Christi, Fili Dei unigenite, qui es et qui eras cum Patre et Spiritu Sancto unius essentiæ Deus; in quo solo est vera omnium peccatorum remissio, et per quem vita et salus præstatur æterna : qui publicanum confitentem peccata sua justificasti, et Chananæam humilem te invocantem exaudisti, et Petrum negantem respexisti, flentem quoque amare recepisti, et latroni cruce te confitenti veniam cum gloria paradisi donasti. Da mihi miserrimo et infelicissimo peccatori, cum timore et tremore confitenti peccata mea, veniam et indulgentiam scelerum meorum, ut sacrosancti communionem corporis et sanguinis tui non ad judicium

damnationis, sed ad remedium perpetuæ mihi concedas esse salutis. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

ORATIO SANCTI AMBROSII

IN QUA PRO SUIS PECCATIS VENIAM POSTULAT.

Miserator et misericors, patiens et multum misericors, magne et terribilis Deus, tibi confiteor peccata mea, crimina mea, facinora mea, delicta mea tibi patefacio, vulnera mea, scelera mea. Tu propter ineffabilem bonitatem tuam confer mihi misero medicinam. Tu enim mitissime dignatus es dicere : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Confiteor, inique egi, perversa est in conspectu tuo via mea. Lapsa est in lacum miseriæ vita mea. Exstincta est iniquitatibus meis anima mea. Superbia, libido, ira, impatientia, malitia, invidia, gula, concupiscentia, rapina, mendacium, perjurium, scurrilitas, stultiloquium, ignorantia, negligentia, seu cæteræ pestes occiderunt animam meam. Pollutum est cor meum et labia mea, et visus meus et auditus, gustus, odoratus, et tactus, et omnimodis cogitatione, locutione, sive actione perditus sum. Quæso, Domine Deus, cujus miseratio nullum habet finem, attrahe me post te sicut attraxisti mulierem peccatricem, dona mihi compunctionem mentis et corporis, et uberrimos lacrymarum fontes, sicut donasti illi non cessare osculari pedes tuos, rigare lacrymis, et extergere capillis; concede mihi ut secundum magnitudinem

iniquitatum mearum sit magna dilectio mea in te, ut propter immensitatem pietatis tuæ omnia dimittas mihi peccata. Largire mihi de præteritis veniam, de præsentibus malis continentiam, de futuris cautelam. Fac me priusquam moriar consequi plenissime misericordiam tuam, et ne dies meos ante finiri sinas, quam peccata dimittas, sed sicut scis et vis miserere mei.

ORATIO BEATI PAPÆ GREGORII
DE CONFESSIONE PECCATORUM ET DE VENIA PRO HIS POSCENDA.

Da mihi, Domine, confessionem quæ tibi sit placita. Parturi in corde meo inenarrabiles gemitus, suscipiam profundam bonitatem tuam in humilitate cordis. Ipsum mihi da petere quod te delectet audire. Ipsum animæ mæ insere ut jugiter delectatio mea ipse sis. Da mihi lacrymas ex tuo affectu quæ peccatorum meorum possint dissolvere vincula. Audi, Deus meus, audi lumen oculorum meorum, audi quod peto, et da quid petam, ut audias. Si despicis pereo, et si respexeris, vivo; si in justitiam meam non respexeris, feteo; si misericordiam tuam respexeris, fetentem suscitas de sepulcro. Quid non mali ego corruptibilis creatura, et quid non boni tu creator et creaturæ fortissimus innovator? Cecidi de manu tua vitio meo, potens es artifex tibi iterum placitum figurare. Corripe me in misericordia tua, ne in ira corripias me. Quod odis in me longe fac a me, et castitatis ac continentiæ spiritum insere in me, vitium omne mortifica in me, et animam meam vivifica in te. Hoc

da petere, ut te petendo non offendam; hoc præsta quod ipse semper custodias : tolle de me quod nocet : ipsum præsta quod prosit. Vulnera mea pando tibi, medicinam tuam ne deneges mihi. Quod suscipis cura, quod curas sic continue ne dimittas, spes mea, fortitudo mea, misericordia mea, pietas sempiterna, qui es, et qui eras, et qui permanes in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO ISIDORI DE EADEM RE.

Misericordiam tuam, Domine, deprecor, misericordiam tuam imploro, tuam imploro miserationem, tuam clementiam quæro. Dele peccata mea, ablue facinora mea, peccatorum meorum maculas munda, labem criminum meorum purga, sordes delictorum meorum absterge, sordes iniquitatum mearum ablue, non diferas mundationem meam. Deus, totum me tibi sanandum offero. Recipiat salutem anima mea, da vulneri meo salutem. Deus languoribus meis medelam tribue, per plagas vulnerum redde incolumem. Vulneratus sum, medelam quæro. Languidus sum, medelam posco. Consumpta est caro mea, contabuit species mea, ossa mea exaruerunt, membra mea contabuerunt. Appropinquavi corruptioni, umbra mortis comprehendit me, tenebræ operuerunt me, caligo inferni involvit me, oppressit me tenebrarum horror; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Tibi honor, et gloria, virtus et potestas in sæcula sæculorum.

ORATIO ANTE EUCHARISTIÆ PERCEPTIONEM.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum corpus et sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus et universis malis, et fac me tuis obedire præceptis, et a te nunquam in perpetuum digneris separari.

Deus propitius esto mihi peccatori, quia tu es immortalis et sine peccato. Tu solus, Domine Deus meus, tu es benedictus, qui benedicis omnia; tu es sanctus qui sanctificas, Domine Deus meus, Deus meus, indulge mihi indigno famulo tuo peccatori, quia peccator sum et indignus, quia præsumo ad sanctum altare tuum invocare te; quia peccavi coram te et coram Angelis tuis; sed tribue mihi indulgentiam delictorum meorum, et confirma me in sancta Ecclesia tua, in fide orthodoxorum, et doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

SALUTATIO

AD DOMINUM JESUM CHRISTUM SANCTI ANSELMI.

Christi corpus ave, sancta de Virgine natum,
Viva caro, Deitas integra, verus homo.
Salve vera salus, via, vita Redemptio mundi
Liberet a cunctis nos tua dextra malis.
Christi sanguis ave, cœli sanctissime potus,
Unda salutaris crimina nostra lavans.
Sanguis ave lateris Christi de vulnere sparse
In cruce pendens unda salutaris ave.

ORATIO SANCTI AMBROSII ANTE MISSAM.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo; miserere mihi, Domine, homini peccatori; ignosce indigno sacerdoti per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe præ cæteris capitalium polluto, et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, scilicet vitiis ac voluptatibus carnis aggravatus. Recordare, Domine, quod caro sumus, in tuo conspectu etiam cœli non sunt mundi, quanto magis nos homines terreni, immundi sicut pannus menstruatæ. Indigni sumus, Jesu Christe, ut sumus viventes, sed tu qui non vis mortem peccatoris, da nobis veniam in carne constitutis, ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfruamur in cœlis per te, Jesu Christe, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

ALIA ORATIO ANTE MISSAM.

(EX LITURGIA MOZARABICA.)

Panem cœlestem accipiam et nomen Domini invocabo. Ave in evum sanctissima caro Christi in perpetuum summa dulcedo. Ave in evum cœlestis potus, qui mihi ante omnia et super omnia dulcis es.

O Domine Deus meus; da mihi corpus et sanguinem Filii tui Domine nostri Jesu Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere, et tuo Sancto Spiritu repleri Deus noster, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

QUINTA PRÆPARATIO AD MISSAM.

CONFESSIO PECCATORUM.

Domine sancte, Pater omnipotens, et misericors Deus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum quam mortem, te supplices deprecamur, ut sancta gratia tua corda nostra illuminare digneris, et compunctionem nobis largiri saluberrimam, qua possimus, et nosmetipsos et peccata nostra humiliter agnoscere, et deflere salubriter, omniumque delictorum et peccatorum nostrorum de quibuscumque nostra non accusat conscientia, puriter coram te et coram angelis tuis confessionem agere, et fructum dignum pœnitentiæ exercere, sicut tibi, Domine, confiteamur omnia peccata nostra capitalia atque minuta, de omni superbia et vana gloria atque jactancia, de sacrilegio, si ullo modo polluti sumus, de omnique libidine quocumque modo maculati sumus, de omni avaritia et concupiscentia mala, de omni gula et ebrietate, de odio et invidia, de ira et omni perturbatione animi, de mendacio et falso testimonio, de multiloquio, detractione, et de omni otioso sermone, atque perjurio, de fraude et furto, de maledictione sive adulatione iniqua atque de indiscreto silentio, si pauperes clamantes exasperavimus, et eorum curam negleximus, quod infirmos et in vinculis constitutos non visitavimus, quod ad orationem sanctam pigriores et tardiores quam oportuit fuimus, quod ad ecclesiam tardius

venimus, quod aliis jejunantibus nos nostram gulam non constrinximus. De somno atque acedia, de omni torpore et otio, sive de zelo iniquo, de omnibus simul vitiis et negligentiis nostris, sive in cogitatu, sive in loquela, sive in opere malo, quocumque modo peccavimus, scienter, aut ignoranter, voluntarie vel inviti, dormiendo sive vigilando, tu clementissime Pater, de omnibus peccatis et negligentiis nostris de omnique incuria nostra, veram et fructuosam nos pœnitentiam tribue ante diem exitus nostri, et emendationem condignam atque necessariam bonis operibus exercere, ut per merita et intercessiones sanctorum et omnium perfectorum tuorum veram indulgentiam mereamur te largiente Domino atque auxiliante qui vivis, etc.

ALIA CONFESSIO.

Deus inæstimabilis misericordiæ, Deus immensæ pietatis, Deus conditor et reparator humani generis, qui confitentium tibi corda purificas, et accusantes se ante conspectum divinæ clementiæ tuæ, ab omni vinculo iniquitatis absolvis; virtutem tuam totis exoro gemitibus ut secundum multitudinem miserationum tuarum de omnibus peccatis meis, de quibus me accusat conscientia, puram mihi concedas coram te agere confessionem, veramque ex his omnibus et condignam mihi tribuas pœnitentiam, quæcumque peccavi in cogitationibus pessimis, in meditationibus pravis, in consensu malo, in consilio iniquo, in concupiscentia, atque delectatione

immunda, in verbis otiosis, in factis malitiosis, in visu, in auditu, in gustu, in odoratu, et tactu. Tu enim, misericors Deus, ad operandam mihi animæ meæ salutem membra singula humanis usibus apta dedisti: Sed ego miserrimus omnium et peccator te, æternæ salutis auctorem, contempsi, et æterna mihi inimico incendia præparanti suadente concessi. Lapsus sum in peccatis, corrui in delictis. Meam ergo a te exposco medicinam. Tu, Domine, occultorum cognitor, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum quam mortem, tibi omnia cordis mei revelo arcana; respice in me et miserere mei; fontemque lacrymarum, et remissionem omnium peccatorum intima mihi cordis confessione tribue poscenti. Renova, innova in me, piissime Pater, quidquid actione, quod verbo, quod ipsa denique cogitatione diabolica fraude vitiatum est, et unitati corporis ecclesiæ membrum tuæ redemptionis adnecte, et non habentem fiduciam nisi in tua misericordia ad sacramentum tuæ reconciliationis admitte. Per Jesum Christum unigenitum Filium tuum Dominum et Salvatorem nostrum, qui tecum una cum Sancto Spiritu unus es Deus, unus es Dominus, per immortalia regnans sæcula sæculorum.

ORATIO SANCTI AMBROSII ANTE MISSAM.

Ignosce, Domine, quod dum rogare compellor, dum per immunda labia mea nomen sanctum tuum assumo, et immundorum actuum secreta confiteor, non habeo apud te verba sine crimine. Tu enim conscientiæ meæ

vulnera, tu cognitionum mearum occulta nosti, et immunditias meas tu solus agnoscis. Miserere mihi, Domine, ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordiæ tuæ judices, quem pro aliis rogare permittis, et in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO SANCTI PETRI DAMIANI.

Mediator Dei et hominum, Domine Jesu Christe, qui veram carnem ex intemeratis beatæ Mariæ visceribus suscepisti, quique pro salute nostra ipsum agnum immaculati tui corporis obtulisti Deo Patri super aram crucis in odorem suavitatis, atque, ut antiquæ prævaricationis virus emoveret, temetipsum fecisti humano generi medicinam; absolve me nimis infelicem et miserum: innumeris peccatorum vinculis obligatum. Ecce ante ipsum, Domine, vivificæ crucis tuæ me prosterno vexillum, novumque et inauditum victoriæ tuæ supplex adoro triumphum. Tu enim sacerdos et hostia; tu redemptor et pretium. Libet, piissime Domine, tanquam sub recenti tuæ passionis articulo te in crucis supplicio videre pendentem. Libet pretiosum sanguinem in ore meo suscipere distillantem. O beata scilicet hostia, quæ et tartarea septa dirumpit, et cœlestis regni januam fidelibus aperit. O pretii nostri pondus in crucis statera libratum, quo debiti nostri chirographum antiquus exactor deplo-

rat excisum. Video te interioribus oculis, Redemptor meus, crucis clavis affixum. Video te novis vulneribus sauciatum. Audio te latroni clara voce dicentem : hodie meum eris in paradiso. Per istud itaque salutiferæ tuæ passionis ac mortis imploro mysterium; per hoc inquam, redemptionis nostræ lacrymabiliter obsecro sacramentum. Noli me, sicut mereor, ab electorum tuorum societate dividere, sed in paradisi gloria cum ipsomet beato latrone constitue. Tu, Domine, animam meam hujus sanctœ crucis impressione consigna, tu me hujus virtute purifica. Per hanc me totum undique juri tuo sic vindica, ut nulla prorsus adversarii valeat in me portio reperiri, quatenus te ad judicium veniente, cum hoc in cœlo divinæ virtutis insigne claruerit, ego hoc stigmate signatus inveniar, ut crucifixo configuratus in pœna, consors fieri merear resurgentis in gloria, qui vivis et regnas, etc.

ORATIO EXCELLENTISSIMA.

(EX LITURGIA SANCTI CHRISOSTOMI.)

Credo, Domine, et confiteor quod tu es Deus et Filius Dei vivi, qui venisti in mundum ut peccatores salvos faceres, quorum primus ego sum. Et cœnæ tuæ mysticæ hodie, Fili Dei, consortem me accipe. Non enim inimicis tuis mysterium dicam, non osculum tibi dabo sicut Judas, sed sicut latro confiteor tibi : memento mei, Domine, in regno tuo : et, Domine, non sum dignus, ut sub sordidum tectum animæ meæ ingrediaris, sed sicut

dignatus es in spelunca et præsepio brutorum reclinari, et in domo Simonis leprosi, etiamque mihi similem meretricem peccatricem ad te accedentem recepisti, digneris etiam in præsepium animæ meæ rationis expertis, et in speluncam corporis mei mortui et leprosi intrare. Et sicut non abhoruisti os sordidum meretricis osculantis intemeratos pedes tuos : sic, Domine Deus meus, ne abhorreas me peccatorem, sed ut bonus et clemens, dignare me participem fieri sanctissimi corporis et sanguinis tui.

Deus noster, condona, ignosce, remitte mihi peccatori, quæcumque in te admisi, voluntaria et involuntaria ; sive sciens, sive ignorans ; seu verbo, seu opere, seu concupiscentia commiserim : omnia mihi indulge, ut bonus et clemens, intercessionibus intemeratæ et semper virginis matris tuæ. Indemnatum me custodi, ut sumam pretiosum et immaculatum corpus, ad medelam animæ et corporis ; quia tuum est regnum et potestas et gloria, Patris et Filii et Spiritus Sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO SANCTI JOANNIS GUALBERTI.

Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, da mihi corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut merear per hoc remissionem accipere, et tuo Sancto Spiritu repleri ; quia tu es Deus, et præter te non est alius, cujus gloriosum nomen permanet in sæcula sæculorum. Amen.

2. GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

(EX MISSALI.)

Antiphona. Trium puerorum cantemus hymnum : quem cantabunt sancti in camino ignis benedicentes Dominum. *Tempore Paschali* additur Alleluia.

Quæ antiphona in festis duplicibus tantum duplicatur.

CANTICUM TRIUM PUERORUM. DAN. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino : benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino : benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino : benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino : benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æstus Domino : benedicite frigus et æstus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino : benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino : benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebræ Domino : benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum : laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes et colles Domino : benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino : benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia quæ moventur in aquis, Domino : benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ et pecora Domino : benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum : laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino : benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animæ justorum Domino : benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu : laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli : et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

Psalm. 150. Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus : laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, etc.

Deinde repetitur antiphona : Trium puerorum cantemus hymnum : quem cantabant sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Postea sacerdos dicit.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

℟. Et sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis.

℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium : concede propitius, ut nos famulos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjurando prosequere : ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Da nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere : qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIONES

POST CELEBRATIONEM ET COMMUNIONEM DICENDÆ.

ORATIO SANCTI THOMÆ AQUINATIS.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor, ut hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam : sit mihi armatura fidei, et scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ et libidinis exterminatio, charitatis et patientiæ, humiliatis et obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio : contra insidias inimicorum

omnium tam visibilium quam invisibilium firma defensio : motuum meorum tam carnalium quam spiritualium perfecta quietatio : in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum filio tuo et Spiritu Sancto, sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

ALIA ORATIO SANCTI BONAVENTURÆ.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaque et apostolica sanctissima charitate : ut langueat, et liquefiat anima mea, solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat, et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi, et esse tecum. Da ut anima mea te esuriat, panem angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis : te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ : te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ et scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei : te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui,

cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem : et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma, et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum. Amen.

RHYTHMUS SANCTI THOMÆ AQUINATIS

AD SACRAM EUCHARISTIAM.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas :
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Visus tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.
In Cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas :
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.
Plagas, sicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præstans homini :

Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie Pellicane Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio :
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

ORATIO SANCTI AUGUSTINI

EDITA JUSSU URBANI PAPÆ VIII.

Ante oculos tuos Domine, culpas nostras ferimus, et plagas quas accepimus, conferimus. Si pensamus malum quod fecimus, minus est quod patimur, majus est quod meremur. Gravius est quod commissimus, levius est quod toleramus.

Peccati pœnam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, et iniquitas non mutatur.

Mens ægra torquetur, et cervix non flectitur.

Vita in dolore suspirat, et in opere non se emendat.

Si expectas, non corrigimur : si vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione quod egimus : obliviscimur post visitationem quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus : si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias, clamamus ut parcas : si peperceris, iterum provocamus ut ferias.

Habes Domine confitentes reos : novimus quod nisi dimittas, recti nos perimas.

Præsta, Pater omnipotens sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris : preces populi tui supplicantis prospitius respice ; et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ALIA ORATIO.

Decreto Urbis et Orbis 11 Decembris 1846, Pius IX, Pontifex Maximus, Sacerdotibus, qui sequentem Orationem inter alias preces pro gratiarum actione post Missam recitaverint, Indulgentiam trium annorum concessit.

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar. Vulnera tua sint mihi cibus, potusque, quibus pascar, inebrier, et delecter. Aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium peccatorum meorum. Mors tua

sit mihi gloria sempiterna, et nunc et in perpetuum. Amen.

ALIÆ ORATIONES PRO GRATIARUM ACTIONE, EX LITURGIA SANCTI CHRISOSTOMI DESUMPTÆ.

Dignum et justum est te celebrare, te benedicere, te laudare, tibi gratias agere, te adorare in omni loco dominationis tuæ. Tu enim es Deus ineffabilis, incomprehensibilis, invisibilis, inexcogitabilis, semper existens, eodem modo existens, tu et unigenitus Filius tuus et Spiritus Sanctus. Tu ex nihilo nos condidisti, et lapsos rursus erexisti; nec desiisti omnia facere, donec nos in cœlum deduceres, et futurum regnum tuum largireris. Pro his omnibus gratias agimus tibi, et Filio tuo unigenito, et Spiritui Sancto, pro omnibus quæ videmus, et quæ non videmus, manifestis et occultis tuis in nos beneficiis. Gratias etiam agimus pro hoc ministerio, quod ex manibus nostris accipere dignatus es; etiamsi tibi adsint millia Angelorum et dena millia Archangelorum, Cherubim et Seraphim sex alis instructi, multos oculos habentes, sublimes et alati : qui victoriæ hymnum canunt, clamant, vociferantur et dicunt : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth.

Cum his quoque beatis virtutibus, benigne Domine, et nos clamamus et dicimus : Sanctus et omnino sanctus, tu et unigenitus Filius tuus et Spiritus Sanctus : Sanctus es et omnino sanctus, et magnifica gloria tua : qui mundum tuum ita dilexisti, ut Filium tuum unige-

nitum dares, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui cum venisset, et quam pro nobis susceperat œconomiam implesset nocte illa qua traditus est, imo seipsum tradidit pro mundi vita, accepto pane in sanctis suis et illibatis manibus : cum gratias egisset, benedixisset, sanctificasset, fregisset, dedit sanctis Discipulis et Apostolis suis dicens : Accipite, comedite : hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Amen.

Gratias agimus tibi, Domine benigne, benefactor animarum nostrarum, quia in præsenti die dignatus es nos cœlestibus et immortalibus mysteriis tuis. Viam nostram dirige, confirma nos omnes in timore tuo, custodi vitam nostram, tutos fac gressus nostros, precibus et supplicationibus gloriosæ Dei paræ et semper Virginis Mariæ, et omnium sanctorum tuorum.

Recti participes effecti divinorum, sanctorum, illibatorum, immortalium, cœlestium et vivificorum mysteriorum, digne gratias agamus Domino.

Domine, miserere.

Suscipe, serva, miserare et custodi nos Deus gratia tua.

Domine, miserere.

Diem omnem, perfectum, sanctum, pacificum, et a peccato immunem postulantes, nos ipsos et invicem, et totam vitam nostram Christo Deo consecremus. Quia tu sanctificatio nostra, tibi gloriam referimus, Patri et Filio et Sancto Spiritui nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Qui benedicis benedicentes te, Domine, qui sanctificas eos qui in te confidunt, serva populum tuum et benedic hæreditatem : plenitudinem Ecclesiæ tuæ custodi, sanctifica eos qui diligunt decorem domus tuæ : tu illos vicissim glorifica divina tua virtute, et ne derelinquas nos, qui speramus in te. Da pacem mundo, Ecclesiis tuis, sacerdotibus, regibus nostris, exercitui, et omni populo tuo : quia omne datum bonum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens ex te Patre luminum, et tibi gloriam, gratiarum actionem et adorationem referimus, Patri et Filio et Sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Psalm. 33. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea : audiant mansueti, et lætentur.

Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me : et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum : et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos.

Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus : beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me : timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam : diligit dies videre bonos ?

Prohibe linguam tuam a malo : et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos : et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala : ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde : et humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum : et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum : et unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima : et qui oderunt justum delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum : et non delinquent omnes qui sperant in eo. Gloria Patri, etc.

Qui plenitudo legis et prophetarum es, Christe, Deus

noster, qui omnem paternam œconomiam implevisti, imple gaudio et lætitia corda nostra perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

CANTICUM SIMEONIS.

Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace :

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Quod parasti ante faciem omnium populorum;

Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

Gloria Patri, etc.

---

3. ALIÆ ORATIONES PRO GRATIARUM ACTIONE.

ORATIO SANCTI ANSELMI.

Spes mea, Christe Deus, hominum tu dulcis amator,
Lux mea, vita, salus, pax et decus omne tuorum,
Omnia pro quorum voluisti ferre salute,
Carnem, vincla, crucem, vulnus, mortemque sepulcrum.
Post tres inde dies devicta morte resurgens
Discipulis visus, nutantia corda reformans,
Inde quaterdena cœlorum summa petisti,
Vivis in æternum, nunc et per sæcula regnas.

Tu es Deus meus vivus, Christus meus sanctus, Dominus meus pius, rex meus magnus, pastor meus bonus,

magister meus verax, adjutor meus opportunus, dilectus meus pulcherrimus, panis meus vivus, sacerdos meus in æternum, dux meus ad patriam, lux mea verax, dulcedo mea santa, vita mea recta, sapientia mea præclara, simplicitas mea pura, concordia mea pacifica, custodia mea tuta, portio mea bona, salus mea sempiterna, misericordia mea magna, patientia mea robustissima, victima mea immaculata, redemptio mea sancta, spes mea firma, charitas mea perfecta, resurrectio mea sancta, vita mea æterna, exsultatio et vita mea beatissima sine fine mansura. Te deprecor, supplico et oro ut perficias in me opus cœptum misericordiæ tuæ : ego enim, ultimus servorum tuorum, non immemor beneficiorum miserationis tuæ, quæ mihi peccatori collata sunt, gratias tibi ago, quia me indignum pro tua sola clementia ex christianis parentibus nasci fecisti, et per aquam sancti baptismatis et renovationem Sancti Spiritus ab originalibus vinculis expedisti, et in tuos adoptionis filios aggregasti ; quoniam mihi rectam fidem donasti, eamque in corde meo semper augere et confirmare dignatus es per illuminationem gratiæ tuæ, et per documenta sanctæ matris Ecclesiæ ; obsecroque te, Domine, et suppliciter rogo, adauge semper in me hanc fidem, fidem veram et fidem sanctam, catholicam et orthodoxam, fidem prudentissimam et invictissimam, bonis omnibus cunctisque virtutibus adornatam, quæ per dilectionem operetur in me quod tibi placet ; quæ nequeat vinci inter verbera altercationis in tempore persecutionis, vel in

die necessitatis et mortis. Cunctarum fons et origo, largitor et conservator virtutum, Deus, auge, quæso, in me fidem rectam, spem inconcussam, charitatem perfectam, humilitatem profundam, patientiam invictissimam, corporis et animæ castitatem perpetuam. Da mihi prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam, discretionem in omnibus, et sensum pervigilem, ut possim inter bona et mala, inter dextram et sinistram prudenter discernere. Fac me ergo divitem sacrarum virtutum, ex quibus tibi serviam, per quas tibi in veritate placeam : amator enim factus sum pulchritudinis earum per gratiam tuam. Da mihi eas propter honorem et gloriam nominis tui; conjunge illas fidei meæ, ut sint ei individuæ comites per omne tempus vitæ meæ; unde, rogo, fac me per gratiam tuam semper et in fide stabilem, et in omni opere efficacem, ut fidem tuam, quam lingua mea loquitur, probabilis vita bonis moribus fateatur.

Gratias, tibi ago, Domine, quia me vas vacuum, et inutilem idiotam replesti scientia, intelligentia; et dedisti semper humilem scientiam, quæ ædificet. Da mihi et mitissimam et sapientem eloquentiam, quæ nesciat inflari, et de tuis bonis super fratres extolli. Pone, quæso, in ore meo verbum consolationis et ædificationis et exhortationis per Spiritum Sanctum tuum, ut et bonos valeam ad meliora exhortari, et eos, qui adverse gradiuntur, ad tuæ rectitudinis lineam revocare verbo et exemplo. Sint verba, quæ dederis servo tuo tanquam

acutissima jacula, et ardentes sagittæ, quæ penetrent et incendant mentes audientium ad timorem et amorem tuum. Tu pastor et rector omnium, Christe Deus, qui nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, vocasti parvitatem meam ad hoc pastorale officium; propter te et nomen tuum fac me idoneum ad hoc ministerium, et sapienter domum tuam regam, et in omnibus secundum voluntatem tuam gregem tuum pascere valeam. Tribue pro pietate et bonitate tua, ut efficiar in domo tua lucerna ardens et lucens; concede propter honorem et gloriam nominis tui, ut cum multo bono fructu fraternæ societatis, merear pervenire ad gloriam tuam: non est tibi enim quidquam difficile, non aliquid impossibile. Velle tuum, facere; voluntas tua, opus est. Et ideo corde credo, et ore confiteor quod tu potes et vis opus illud magnifice adimplere per me tantillum: scio, et certus sum quod tu vales fructus bonos et magnos facere de grege tuo per me exiguum et infirmum. Parvulus quippe sum, et nullius virtutis homuncio, nihil habens in me quod expediat, vel quod dignum sit tanti officii, idcirco desperans omnimodis de parvitate, non respiro nisi in sola misericordia tua.

Sed licet sis magnus in magnis, gloriosus tamen operaris magna in minimis. Erit certe tua laus dulcior, et copiosior in ore hominum, cum per me tantillum operari dignatus fueris magna de grege tuo. Mitte ergo in auxilium meum sanctum Angelum tuum de cœlis, qui me adjuvans in omnibus, prosperari istud opus faciat

in manu mea; ita ut glorificetur nomen tuum benedictum in me misero peccatore. Dives in misericordia, largus in muneribus, qui omnibus omnia tribuis et nihil perdis, da mihi cœlestia et terrena subsidia ad omnem sufficientiam, ut habeam unde gregem tuum possim pascere et sustentare tam spiritualiter quam corporaliter, atque venientes in tuo nomine suscipere absque ulla hæsitatione, simulque loca commissa ordinare et præparare ad quietem et salutem fratrum, sicut decet et oportet. Omnia a te hoc postulo, Domine Deus noster, quia cuncta bona nostra, dona tua sunt. Non enim aliunde possumus tibi servire neque placere, nisi tuo de munere.

At si non forte est in consilio æternæ voluntatis tuæ, ut facias per me de ovibus tuis fructum bonum et magnum, obsecro et suppliciter rogo, dissolve me a nexu tanti officii, modis quibus tibi videtur, ordine quo tibi placet. Scis enim omnia, et potes omnia. Quid hic facio? Quid moror in his tumultibus si facturus non sum per gratiam tuam aliquid boni de fratrum salute? Duo a te peto : unum horum pro tua clementia ne deneges mihi. Rogo te per omnes miserationes tuas, da mihi consolationem tuam cœlestem in multis tribulationibus meis. Pondus enim istud gravissimum, quod impositum est super cervices meas, ferre non valeo, deponere timeo : angustiæ mihi sunt undique, et quid eligam ignoro. Adjutor omnium in te sperantium Deus, ne me deserat pietas tua, ne me derelinquat gratia tua. In te speran-

tem, Deus, et in misericordia solummodo confidentem adjuva me; quia sine te tibi placere non valeo. Quis unquam speravit in te, et derelictus est? Non est auditum a sæculo. Deus tu es optimus infinitæ pietatis et immensæ bonitatis, qui in te sperantes nunquam consuevisti relinquere. Ostende, quæso, misericordiam tuam in me, quia ad te confugi, ut videant qui oderunt me, et confundantur; quoniam tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me.

Gratias tibi ago, Domine, quia me et a vano hujus mundi consortio separasti, et ad tuum sanctum officium perduxisti, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ. Benedico te, Domine Deus noster, qui mihi das indigno servorum tuorum societate et charitate perfrui. Da mihi quietem, et salutem corporis et animæ, simul opportunam ad te vacationem. Libera me a vanissimis hujus mundi implicationibus ad profectum animæ meæ, propter honorem et gloriam nominis tui; et quia scriptum est : Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis, et ab omnibus curarum tumultibus separas animas servientium tibi, ut tibi soli Domino vacent die ac nocte; da fructuosum et spirituale otium abrenuntiantibus mundo, ut ipso cordis palato gustent et sapiant quoniam dulcis et suavis es, Domine, sicut tua scriptura admonet, dicens : Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus. Et alibi : sapientiam discite in tempore otii, et qui minoratur actu ipse percipiet eam. Sed et sacratissima sententia tua ore tuo pio prolata plenius

informat nos, et a mundanis curis prorsus prohibet, dicens : Non potestis Deo servire et mammonæ. Et rursum : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno cœlorum. Et alibi nos evidenti exemplo retrahere dignaris, dicens : mementote uxoris Loth.

Gratias tibi ago, misericordissime Domine, qui me miserum multumque negligentem peccatorem a principio, et a cunabulis per universa pene vitia et peccata decurrentem, benigne et patienter adhuc ad pœnitentiam exspectas, nolens me perdere cum peccatis, vitiis, culpis et negligentiis meis. Si enim mihi, Domine, secundum peccata mea facere voluisses, olim me terra vivum absorbere debuisset. Sed rogo, pie Domine, ne tua in me exspectatio sit vacua, sit quod absit, infructuosa. Tu qui non vis mortem peccatoris, da mihi de præteritis malis meis indulgentiam; de præsentibus concede emendationem; de futuris vero largire jugiter custodiam atque cautelam. Da locum et spatium ad dignos pœnitentiæ fructus. Aperi oculos cordis mei per Spiritum Sanctum tuum, ut videam et plangam omnia peccata mea. Domine, tempus est acceptabile, et dies sunt salutis. Miserere mei, Domine, et ne perdas me cum peccatis meis, ne reserves mala mea punienda in illa futura vita, in illis infernalibus suppliciis, in illo tremendo examine tuo. Propter magnam clementiam tuam solve omnium peccatorum meorum vincula, priusquam ab hac vita egrediar. Da mihi cor contritum

et humiliatum, da mihi gratiam lacrymarum. Da lumen in corde, da vires in corpore, ut quæ agenda sunt videam, et ad ea implenda, quæ videro, fortiter convalescam cunctis diebus vitæ meæ. Miserere mei, Domine, miserere mei. Non permittas hanc animam peccatricem, pro qua et nasci de Virgine, et mori in cruce dignatus es; non jubeas, quæso, separari eam ab hoc mortali corpore priusquam me facias plene et perfecte pœnitere, et plangere omnia peccata mea quæcumque egi post baptismum ab ipsis cunabulis meis, sive scienter et nescienter, sive superbe, vel negligenter; ita ut in die exitus mei, emundatis dilectis omnibus et bene correctis moribus, securus et gaudens videam dulcissimam et pulcherrimam faciem tuam cum lætitia et exsultatione propter tuam nimiam misericordiam et bonitatem.

Gratias tibi ago iterum iterumque, omnipotens et misericors Christe, qui immeritam exiguitatem meam propter te, et nomen sanctum tuum, de multis angustiis, tribulationibus, calamitatibus et infirmitatibus; de multis foveis, laqueis, scandalo, et peccatis; de multis insidiis visibilium et invisibilium inimicorum; de multis malis, et gravissimis periculis hactenus liberare dignatus es, dirigens mirabiliter et misericorditer vitam meam inter adversa et prospera; ita ut nec adversa me dejicerent, nec prospera extollerent. Posuisti enim frenum tuum in maxillis meis, et non dereliquisti me penitus in manu arbitrii mei, habens curam mei paterna pietate, et non permittens amplius tentari supra id quod

potero sustinere. Ubi locus fuit peccandi, quandoque non fuit voluntas; vel quando fuit voluntas, non fuit locus.

Sit itaque tibi laus, sit benedictio, sit gratiarum actio, Domine Deus meus, pro universis tuis donis et datis, et pro omnibus beneficiis tuis, quæ animæ et corpori meo largiris, et semper largitus es ab ipsis cunabilis, pro pietate tua, et bonitate, nullis meis meritis exigentibus, imo peccatis meis gravissimis non obstantibus. Sed rogo, Domine, rogo ne sinas me ingratum esse tantis beneficiis et indignum tam multis miserationibus. Non mihi, non diabolo, non mundo, non alicui rerum, non cuilibet hominum liceat in me tua dona subvertere, quia totum est fragile quidquid tibi nititur obviare. Pone, quæso, magis magisque frenum tuum in maxillis meis, et trahe me post te tanquam mansuetum animal, in nullo tuis jussionibus recalcitrantem, sed plano moderatoque incessu te Dominum meum portantem, et voluntati tuæ in omnibus obtemperantem. Excita, Domine, torporem meum tuis stimulis, et fac me toto corde totaque virtute quærere faciem tuam cunctis diebus vitæ meæ. Attrahe me ad te, virtus salutis nostræ, Deus, freno potentis gratiæ tuæ, et non sinas me propria voluntate in arbitrio proprio evagari. Imaginem tuam non sinas in me obscurari; quæ si te præstante defendatur, semper egregia, nobilis et perspicua est. Miserere, Domine, mei miserrimi et indigni servi tui, quia non sum sicut innumeri et multiplices famuli tui, qui tibi ab ipsis cunabulis de-

votissime servierunt; non sicut illi qui post publica flagitia pœnitendo, tibi meruerunt esse devoti. Non sum sicut et multi illorum qui in oculis hominum tanquam iniqui et perversi esse videntur, sed multo aliter se habent in conspectu tuo: tu enim solus nosti corda filiorum hominum. Si quid tamen, Domine, boni facio, aut fecero, tua gratia largiente, quo fine hoc faciam, quave districtione a te pensetur, ignoro. Unde, Deus terribilis in consiliis super filios hominum, tuam sanctam et immensam supplex et multum tremens deprecor clementiam, ut qui neminem vis perire, sed omnes salvos facere, non me derelinquas in manu consilii mei, neque in judicio arbitrii mei, neque in potestate aut tentatione dæmonum, neque in errante judicio aut noxio consilio hominum, sed pro bonitate ac pietate tua, juxta suam benignissimam, quæ in sui dispositione falli non potest, providentiam, dispone hic et ubique, nunc et semper, dies vitæ meæ in beneplacito tuo, et dirige per Spiritum Sanctum tuum cor, linguam, actusque meos secundum voluntatem tuam in tua misericordia ut te rectore, te duce illa semper studeam cogitare, loqui et agere quæ tibi placent, per gratiam tuam in veritate; et me tandem ad vitam perducant æternam, te miserante et donante, qui es largitor omnium bonorum, et qui es Deus benedictus cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

4. ALIÆ ORATIONES PRO GRATIARUM ACTIONE.

LAMENTATIO IN PASSIONEM CHRISTI.

EX SANCTO BERNARDO.

Quis me consolabitur, Domine Jesu Christe, qui te vidi in cruce suspensum, plagis lividum, morte pallidum; et non sum crucifixo compassus, obsecutus mortuo, ut saltem lacrymis meis loca illa vulnerum delinirem? Quomodo dereliquisti me insalutatum, cum formosus in stola tua, Rex gloriæ, in alta cœlorum te recepisti? Prorsus renuit consolari anima mea. Heu me miserum, unum de miseris filiis Evæ elongatis a Deo! Quid faciet, altissime Domine, quid faciet ille longinquus et exsul? Heu mihi, Domine, heu animæ meæ! recessisti consolator animæ meæ, nec valedixisti mihi! Quid dicam? quid faciam? quo vadam? Ubi te Dominum meum quæram? ubi te inveniam? quem interrogabo? quis annuntiabit dilecto meo quia amore langueo? Renuit consolari anima mea, nisi te, dulcedo mea sancta, attenderem et ad osculum oris tui. O bone Jesu! cruentam bestiam aversatus non es, sed os in quo non inventus est dolus, ori in quo abundavit malitia, dulciter applicuisti. Quis audiet sine gemitu, qualiter in illa hora homicidæ tibi manus injecerunt, et innocentes manus tuas, Jesu bone, constringentes, te agnum mansuetum nihil obloquentem ad instar latronis traxerunt

ad victimam ? Sed nec tunc misericordia tuæ dulcedinis, Christe, super inimicos tuos stillare desiit favum mellis. Nam mutilatam a discipulo tuo aurem inimici tui sanasti tangens.

2° Attende, anima mea, quis est iste habens imaginem quasi regis, et nihilominus servi despectissimi confusione repletus. Coronatus incedit, sed corona ejus cruciatus est illi; quia mille puncturis speciosum ejus verticem vulneravit. Regali purpura induitur; sed in ea potius despicitur, quam honoratur. Sceptrum gestat manu; sed eo ipso venerandum ejus caput feritur. Adorant coram ipso positis in terram genibus, et regem clamant; et continuo ad conspuendum amabiles genas dissiliunt. Maxillas palmis concutiunt, et collum honorabile exhonorant. Sub crucis onere dorsum incurvare cogitur, et suam ipsius ignominiam portare jubetur. Liquesce, anima mea, igne compassionis super contritionem amabilis juvenis istius, quem in tanta mansuetudine vides tantis afflictum doloribus. Qualis est hic, quia cœlum et terra compatiuntur ei ? Cognosce, anima mea. Iste formosus præ filiis hominum, sed et præ millibus angelorum, quam deformis præ filiis hominum factus est ! Quia vidimus eum novissimum virorum, non habentem speciem neque decorem. Respice, Domine, sancte Pater; ecce enim vox sanguinis fratris mei Jesu Christi clamat ad te de terra, id est de cruce. Intuere dulcem natum tuum toto corpore extensum. Cerne manus ejus innoxias promanantes sanguine, et remitte

mihi scelera quæ perpetraverunt manus meæ. Considera Filii tui latus crudel' fossum cuspide, et renova me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia duris confixa clavis, et perfice gressus meos in semitis tuis. Candet nudatum pectus; rubet cruentatum latus : hominis Dei conspice pœnam, et releva hominis conditi miseriam. Misi propaginem tuam inter me et te Deum mediatorem; misi, inquam, intercessorem, per quem spero veniam. Multum quippe est quod mea meruit impietas; sed longe majus est quod reposcit conditoris pietas. Quanto Deus superior est homine, tanto mea malitia inferior est ipsius bonitate. Dominum Jesum Christum habemus advocatum; non sævum hominem, non crudelem tyrannum habemus judicem; sed pium Dominum, qui bene meis scit infirmitatibus compati. Scio enim quod si coæternus tibi, sancte Pater, Filius non esset, peccator homo non auderet polluta ad te labia aperire. Dat ausum loquendi Christus Deus, quem habemus sacerdotem in cœlis pro nobis interpellantem. In ejusmodi confido advocato, in ejus misericordia spero.

3° O dilectissime Pater, quando te videbo? Quando ante faciem tuam apparebo? Quando satiabor pulchritudine tua? Quando videbo vultum tuum desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes adimplet lætitia, quem omnes deprecantur divites plebis, quem sputis inquinaverunt, manibus ceciderunt, velut derisorem eum cooperuerunt, nec pepercerunt amaris

vulneribus virginem carnem divellere ? Quid commisisti, dilectissime puer, ut sic cruciareris ? Quid fecisti, amantissime juvenis, ut sic judicareris ? Certe ego causa doloris tui, causa tuæ culpæ, et tuæ offensionis occasio. O amor mirabiliter ardens, ipsam, ut ita dicam, deponens altitudinem, virtutem infirmans, exinaniens majestatem ! Ut quid hæc omnia ? Certe ut de hac paupercula meretrice exhiberet sponsam non habentem maculam neque rugam. Ipsa sponsa est anima humana, quæ fornicata est cum diis multis, quia cum amatoribus suis, sub omni ligno frondoso prosternebatur meretrix. O meretrix ! Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Væ animæ te non quærenti, te non amanti ! Quæ si mundum diligit, peccatis servit, nunquam quieta, nunquam secura. Nihil, quæso, sine te mihi dulcescat, nihil placeat : nihil speciosum, nihil præter te arrideat pretiosum ; vilescant omnia præter te. Quod tibi est adversum, mihi sit molestum ; et tuum beneplacitum sit mihi indeficiens desiderium. Tædet gaudere sine te, delectat gaudere tecum, et flere tecum, et conturbari pro te. Sit nomen tuum refocillatio mea, memoria tua consolatio mea. Si peccata mea prohibent, si me delicta mea excludunt, benignitas tua me non repellit. O bone Jesu ! memoria tua super mel dulcis ; meditatio tui plus quam omnis cibus suavis, de te loqui plena refectio, te nosse perfecta consolatio : tibi adhærere vita æterna ; a te separari mors est perpetua. O quam excelsus tu es, et quam humilis corde ! Fac me gustare per amorem,

quod gusto per cognitionem. Fame tui amoris languet anima mea; refocilla eam; satiet eam dilectio tua, impinguet eam affectus tuus, impleat eam amor tuus. Quid enim mihi moveat crebras lacrymas, nisi absentia Jesu Christi? O bone Jesu! si tam dulce est de te flere, quam dulce est de te gaudere! Novi quod sis lenis natura, mitis et humilis corde, blandus aspectu, et quidem unctus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Qui non sentit odorem tuum, Christe, aut fetidus aut mortuus est. Tota dulcedo terræ humanitas Christi: tota dulcedo cœli spiritus Christi.

4°. O quam dulciter, Jesu Christe, cum hominibus conversatus es! quàm fortiter tam indigna et aspera pro hominibus passus es! Et tu, Domine, pro injustis passus es, moriens propter delicta nostra, qui venisti gratis mortuos vivificare, servos facere fratres, cohæredes captivos, exsules reges. Sed, o bone Jesu, quid fecisti, quod majus esset cum magis esset gaudentium cum operabaris salutem in medio terræ nostræ, affigens peccata nostra cruci, damnans diabolum et salvans miseros? Vere, Domine, dignum fuit et justum ut fleres, et eadem causa flendi nobis existit hodie super filios Adam. Flevit enim Deus, ut Passio sua sufficeret redemptioni omnium, cum profuit redemptioni paucorum. O dulcis Domine, fodiendas præbes manus tuas et pedes, ut procedat cœlestis thesaurus qui in illis latet, et sit nobis redemptio copiosa. O quanta est amaritudo peccatorum meorum! Væ mihi! pro iis necesse fuit Dominum vulnerari. Certe,

bone Jesu, si non essent hæc ad mortem æternam, nequaquam oportuisset te mortem subiisse, ut ego viverem. Sed quid faciam? Ecce tu Filius Altissimi moreris, ut ego vivam. Et unde tibi dignatio tanta, charitas tam immensa? Et quid bone Jesu, pro tali tua morte et mea vita tibi rependam? Plus enim videris diligere vitam meam, quam animam tuam, quam in manus inimicorum tradidisti pro me, Jesu Christe, ut me restitueres vitæ, et ab inimicis me tam crudelibus eriperes, liberares a morte. Et quis sum ego pro cujus salute tanta fecisti, ita te exinanisti, quem tam dilexisti, pro quo etiam descendisti in carnem, in passionem, in mortem, mortem autem crucis? Heu mihi peccatori pro nimia iniquitate et impietate mea! O lacrymæ, ubi vos subtraxistis? ubi estis, fontes lacrymarum? humectate maxillas meas, irrigate genas meas, fluite super faciem. Heu me miserum! omnis creatura compatitur Christo, et turbatur de morte sua, sed miserum cor meum non compatitur Creatori suo morienti pro ipso. Flete me, cœlum et terra; lugete me, omnes creaturæ. Melius esset me non esse creatum, quam sic induratum cor meum remanere de tanta morte. O Domine, quantum humiliasti te! Sed per mortem tuam, cui tam fuit chara anima mea, Jesu bone, libera me ab iniquitatibus meis, et per passionem tuam fuga impietatem meam. Per illa ergo vincula quæ manus tuas sanctas tam acriter ligaverunt, solve vincula iniquitatis meæ. Passio tua sancta et dura animam meam tam dilectam tibi liberet a morte æterna. Amen.

ORATIO SANCTI JOANNIS GUALBERTI.

Tibi, Domine, ago laudes et gratias. Custodi, Domine, in me immaculatam fidem. Tibi inclino cervicem; tibi genua flecto. Te Dominum meum, cum sis unus in S. Trinitate, confiteor. Erue me de periculis. Tuere me in omnibus causis. Erue me jacentem, et ea quæ explere non possum, quasi sint postulata concede.

---

5. GRATIARUM ACTIO.

Amantissime, benignissime, dulcissime Domine Jesu, ecce nunc ad altàre tuum accessi; corpus tuum sacratissimum accepi in hac mystica mensa quam circundant Angeli; panem supersubtantialem, omne delectamentum in se habentem, qui dat vitam mundo, comedi, et bibi vinum quod germinat virgines. Ecce tu, Deus meus, Redemptor meus, Salvator meus, ecce tu præsens es in me; ecce hora salutis, tempus acceptabile, momentum dilectionis et gratiæ. Oh! si scirem donum Dei! Oh! si cognoscerem fontem aquæ salientis in vitam æternam! Ecce possideo Christum meum. Væ mihi, Domine, quia frigescit cor meum, cum ardere deberet. O beati Angeli, omnes Sancti cœlestis Jerusalem, benedicite Domino pro me. Sed tu quoque, benedic, anima mea,

Domino : et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic, anima mea, Domino : et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum : renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dominus : et judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.

Miserator et misericors Dominus : longanimis, et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur : neque in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem cœli a terra : corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente : longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus : homo, sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam Spiritus pertransibit in illo, et non subsistet : et non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus :

Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

Dominus in cœlo paravit sedem suam : et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus : potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus : ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus : in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi ? Totum te mihi miserrimo sacerdoti dedisti ; quid tibi offeram ? Omnia jam tua sunt. Reddam tibi quidquid mihi concessisti. Offero tibi intelligentiam meam, ut tua claritate illuminata te cognoscat et opera quæ fecisti ; cor meum, ut amore tuo flagret, et semper diligat te et omnia quæ amas et quomodo amas ; voluntatem meam, ut semper tuis subjecta præceptis accipiat jugum tuum et sequatur te ; jugum enim tuum suave est et onus leve ; linguam meam, ut te confiteatur, te prædicet, te manifestet mundo, et vias tuas doceat ; omnes denique sen-

sus, mentisque facultates, ut te suo modo magnificent. Sed, quia sine te nihil possum facere, da mihi et velle et perficere. Mane in me, ut in te maneam. Vivifica me, ut opus quod dedisti mihi facere in tua charitate perficiam. Dirige omnes gressus meos, ut curram in viam mandatorum tuorum. Aperi oculos meos, ut te videam in omnibus quæ tu creasti; aures meas, ut vocem tuam audiam in creaturis hujus mundi; nam cœli enarrant gloriam Dei. Emitte in me Spiritum Sanctum tuum veritatis, ut me doceat omnem veritatem, me illuminet, cor accendat, dirigat cogitationes, desideria et omnes affectiones meas. Dic animæ meæ: salus tua ego sum, et Spiritus tuus, qui renovat omnia, in me habitet, et sit virtus activa omnium actuum. Emitte spiritum scientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum sapientiæ et pietatis, spiritum timoris Domini, ut nunquam in manibus mei consilii derelictus, semper melius eligam, et in omnibus flatum supernum sentiens, odorem tuum, Domine mi Jesu bone, exhalare possim atque fratres meos ad te perducere, qui via, veritas et vita es. Rogo te in humilitate mea per immensum tuum amorem, da ut te mirabiliter cognoscam et cognoscere faciam; da ut, sicut præcepisti per Apostolum, digne annuntiem verbum tuum, doceam justificationes tuas, et ut in docendo sive prædicando nunquam gloriam meam, sed tuam, quæram. Da nunquam zelo amaro, ab ira, seu amoris proprii motibus accensus loqui ad animas quas ad te abducere mihi opus incumbit, et nun-

quam ex ore meo proferre ullum verbum quod non decet inter sanctos. Da mihi in conversationibus prudentiam et charitatem, in agendis consilium et sapientiam; in directione animarum amorem sanctum, fortitudinem suavem, et viam rectam pacis et virtutis; in correctione æquitatem et justitiam bonitate plenam. Aufer a me spiritum acediæ et torporis, spiritum iracundiæ et duritiæ, spiritum superbiæ et jactantiæ, spiritum invidiæ et iniquitatis, spiritum avaritiæ et cupiditatis. Longe fac a me zelum amarum, ex quo procedunt multa lamentabilia mala, divisiones, detractiones, odia, rixæ, susurrationes, quæ pacem destruunt, a te repellunt et ministros tuos odibiles reddunt. Denique da, ut sim fidelis minister, opus tuum consummem, et in tua charitate perseverans merear in regnum tuum cœleste introire, ubi regnas cum Deo Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

INNOCENTII III PAPÆ

ORATIONES TRES EFFICACISSIMÆ:

QUI CONTRITE ET DEVOTE EAS LEGENTIBUS PLURIMAS CONTULIT REMISSIONES ET INDULGENTIAS.

Oratio 1ª.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui pro redemptione nostra nasci, et circumcidi voluisti, et a Judæis reprobari, a Juda osculo tradi, capi et ligari, et cum vinculis Annæ, Caiphæ, Herodi, Pilato offerri, et coram

eis illudi, colaphis, alapis, flagellis et arundine cædi, facie velari, et sputo conspui, spinis coronari, a falsis quoque testibus accusari, judicari et ut agnus innocens tuam crucem ferendo ad victimam duci, clavis perforari, felle et acetò potari, atque in cruce morte turpissima condemnari, ac lancea vulnerari. Tu per has sacratissimas pœnas ab omnibus peccatis et pœnis nos libera, et per sanctam crucem tuam illuc perduc nos miseros peccatores, quo perduxisti tecum crucifixum latronem sero pœnitentem. Qui vivis, etc.

Oratio 2ª.

Auxilientur nobis, pie Domine Jesu Christe, omnes passiones tuæ, et defendant nos ab omni dolore et tristitia, ab omni periculo et miseria, ab omni peccato et cordis immunditia, ab omni scandalo et infamia, a morbis malis animæ et corporis, et a morte subitanea et improvisa, et ab omni persecutione inimicorum visibilium et invisibilium ; scimus enim quod in quacumque hora vel die passionis tuæ memoriam habuerimus, salvi erimus : ideo de immensa tua pietate confisi te deprecamur, piissime Salvator, per benignissimas sacratissimasque passiones tuas, ut benigno nos protegas auxilio, et continua pietate ab omni malo nos conserves. Qui vivis, etc.

Oratio 3ª.

Domine Deus de Deo, lumen de lumine, qui humanum genus ex præcepto Patris patibulo crucis proprio sanguine redimere dignatus es, te suppliciter exoramus, ut non secundum peccata nostra facias nobis, sed secundum misericordiam tuam salvos fac nos indignos famulos tuos : tu quoque exsurge in adjutorium nostrum, et esto nobis turris fortitudinis, et clypeus inexpugnabilis justitiæ, a facie tam corporalis, quam incorporalis inimici, atque ab omni peccato et pœna misericorditer nos libera, et ab omni adversitate corporis et animæ clementer nos defende. Qui vivis, etc.

ALIA ORATIO.

Anima Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone Jesu exaudi me.
Intra tua vulnera absconde me.
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meæ voca me.
Et jube me venire ad te,
Ut cum sanctis tuis laudem te,
In sæcula sæculorum. Amen.

PARS SECUNDA.

ORATIONES PRÆCLARÆ SANCTORUM

PRO VARIIS TEMPORIBUS VITÆQUE NECESSITATIBUS (*).

ORATIO SANCTI JOANNIS CHRYSOSTOMI.

Domine Deus meus, magnus et terribilis et gloriosus, omnis visibilis et intelligibilis naturæ Creator, qui servas pactum tuum et misericordiam tuam iis qui diligunt te et custodiunt mandata tua : gratias ago tibi et nunc et perpetuo ob beneficia omnia tam manifesta, quam occulta, quæ mihi contulisti. Et ad hoc usque tempus laudo, glorifico et magnifico te, quia mirabilem exhibuisti erga me misericordiam et miserationem tuam, protegens me ex utero matris meæ, et in omnibus providens mihi, conservans et dirigens sancte ea quæ ad me spectant ex sola benignitate et clementia tua. Neque enim ob indignitatem et passiones meas despexisti humilitatem meam; sed ex benignitate et commiseratione tua benefaciendi et providendi finem non fecisti : *Et usque ad senectam et senium Deus meus ne derelinquas me* (*Ps.* LXX, 18), Jesu Christe, pulchrum nomen, dul-

(*) Sacerdos potest, si placet, inter sequentes orationes, quas voluerit, recitare pro gratiarum actione.

cedo mea, concupiscentia mea et spes mea : qui propter nos homo factus es, et crucis mortem subiisti, et omnia in sapientia dispensasti et disposuisti propter salutem nostram. Confiteor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo; flecto genu corporis et animæ, confitens tibi Deo meo omnia peccata mea. Inclina tu quoque aurem tuam ad supplicationem meam, et dimitte impietatem cordis mei. Peccavi, inique egi, irritavi et exasperavi bonum meum Dominum, nutritorem, curatorem : non est genus nequitiæ, quod dici possit vel dici nequeat, quod non admiserim et opere et verbo, et ex cognitione et ex ignorantia, ex animo et cogitationibus, supra modum omnem peccando : ac cum sæpe me pœnitentiam acturum promisissem, toties in eadem mala incidi. Facilius stillæ pluviæ numerentur, quam peccata mea : supergressa sunt enim caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt. Nam a juventute ad hoc usque tempus absurdis cupiditatibus fores aperiens, effreni impetu usus sum, vestem superne textam sancti baptismatis fœdans, templum corporis mei commaculans, miseram animam ignominiosis affectibus deturpans, iniquitatem omnem et injustitiam exercens : quæ si singulatim commemorare voluero, deficiet me tempus. Quoniam vero omnia tu nosti : neque enim est creatura occulta tibi; omnia enim nuda et aperta oculis tuis : quid dicatur tibi scienti, qui nihil ignoras? Mihi autem conteruntur et cor et ossa animi mei, et totus in dubitationis profundum immergor, mecum reputans quod cum tot tantaque peccata

admiserim, ne minimum quoque pœnitentiæ opus exhibuerim : et tempus putationis prope est, et mortis statuta hora adest, nullumque pœnitentiæ tempus. Ideo turbata est anima mea, dolore et mœstitia plena : imparatus enim cum sim, mea examinans et dijudicans, nihil ad defensionem idoneum invenio, neque ullam machinam vel modum, quo ab æterno igne eripiar. Si enim vix justus salvus evadit, ego peccator ubi compaream? Et si per multas tribulationes regnum cœlorum dignis in sortem datur, et angusta arctaque via vitæ est : quomodo ego passionibus et perditis moribus salute dignus habebor? Si omnis justitia hominis sicut pannus menstruatæ; tantum cœnum tanta iniquitas, quid reputabitur? Si de otioso verbo rationes sunt reddendæ : pro tot tantisque peccatis quam vel apparentem habebo defensionem? Hei mihi, o anima! Quod nostra sic processerint. Brevis est vita et circunscripta, cito transiens et ad mortem mittens : æternum peccatoribus est supplicium, ut et regnum justis, et vita amborum morte non abscinditur? quid ergo faciam? quid agam? in quod cahos me conjiciam? Terribilis mors est, maxime peccatorum, quia mala : nam mors peccatorum pessima : terribiles etiam sunt post mortem formidines; sed longe terribilius est incidere in manus Dei viventis, ex quibus nemo possit eruere. Cum igitur venerit ut glorificetur in sanctis suis, et reddat unicuique secundum opera sua : cum throni positi fuerint, cum judex terribilis, qui sine acceptione est, sedebit, et fluvius igneus manabit in con-

spectu ejus, et splendor atque gaudium justis paratum erit, et universæ Angelorum myriades, omnesque qui a sæculo sunt homines, omnisque simul creatura, visibilis et intelligibilis, cum tremore aderit : quid ego tunc faciam pudore plenus, a conscientia damnatus, omni fiducia ac defensione vacuus? Gemitus undique. Væ mihi ob tanta mala! quid primum lugeam? quid secundum fleam? quid gemitu prosequar? bonorum privationem, an malorum mœrorem? interminatum supplicium, an separationem a Deo? Luge, anima mea, hæc tecum reputans, et ea quæ tibi post decessum occurrent, utpote admodum molesta et dolore plena, et clama : Deus virtutum, Deus æterne, Deus misericordiæ et miserationum, ne derelinquas me, ne despicias me, ne auferas a me misericordiam tuam : *intende in adjutorium meum, Domine salutis meæ.* Nam cum ita me habeam, et ita cogitem, non a bona spe excido, neque de salute mea despero. Novi enim Domini mei clementiam; novi benignum illum non esse injuriarum memorem, et quia misericordiam vult, nec mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, vultque omnes salvos fieri et in agnitionem veritatis venire, maxime eos qui a peccato convertuntur. Non enim venisti vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Non enim opus habent sani medico, sed male habentes. Nunc incepi loqui ad Dominum meum. Ego autem sum terra et cinis, vermis et non homo; opprobrium hominum et abjectio plebis. Da mihi verbum in apertione oris mei, qui das optatum precanti,

quia a te omne datum bonum est, et omne donum perfectum desursum est descendens a te Patre luminum : ut digne precer et utiliter supplicem. Ne avertar humiliatus et dedecore affectus, sed quæ sperabam consequutus : et sic abscedam gaudens in certitudine cordis mei. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, quia in te confidit anima mea : Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, medice animarum et corporum. Ut ad terribile tribunal tuum adstans, ut intemeratos pedes tuos tangens, sic rogo et oro et obsecro cum contrito et humiliato corde : propitius esto mihi peccatori, concede mihi inutili et humili, respice de sancto habitaculo tuo in miseriam meam, respice de sancta sublimitate tua in orationem humilis servi tui, et ne despicias obsecrationem meam : dimitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam eo unde amplius non revertar. Ut homo peccavi, ut Deus ignosce : tu enim nosti, Domine, quam labens sit humana natura, et quod hominis animus a juventute ad mala sit omnino pronus. Recordare quod pulvis simus ; recordare quod tu solus sis mundus et illibatus et incorruptus, nos autem omnes in increpationibus ; recordare miserationum tuarum a sæculo et misericordiæ tuæ, neque condemnes me in iniquitatibus meis, nec secundum peccata mea retribuas mihi. Nosti multitudinem iniquitatum mearum, quod non possint numerari ; sed scio etiam benignitatis tuæ pelagus, quod inæstimabile et insuperabile sit. Tu es enim qui tollis peccatum mundi, qui de cœlo descendisti

in terram, ut errantem et perditam ovem perquireres: pastor bonus, qui animam suam ponit pro ovibus, et venisti in mundum ut peccatores salvos faceres, quorum primus ego sum. Miserere, miserere operis manuum tuarum; ne detesteris me indignum, sed miserere operis tui: qui propter me crucem sustinuisti, et vibicum stigmata accepisti; sed sanans, dele omnia pharmaco commiserationis et spongia benignitatis tuæ: omnia enim potes, nihil tibi impossibile est. Compunge obduratum cor meum, leve fac pondus conscientiæ, suscipe lacrymas meas et gemitum, ut meretricis, ut coryphæi apostolorum Petri: excipe parvam hanc meam confessionem et pœnitentiam, qui excepisti latronis probam pœnitentiam in cruce: suscipe fructum labiorum meorum ut hostiam viventem, beneplacentem, in odorem suavitatis. Oro, orationem accipe; obsecro, obsecrationem admitte. Peccavit et Manasse, rex ille, sed acta pœnitentia non periit: peccavit ante illum etiam David, sed cum de peccato lacrymatus esset, misericordiam assequutus est. Multa alia habeo exempla, quæ me in mœrore meo consolentur, quæ desperationem a me depellant, quæ spem salutis meam nutriant. Consolare tu quoque cor meum, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis; solatium affer bonum, fons misericordiæ et bonorum. Multa fecisti a sæculo magna et mirabilia, gloriosa et exsuperantia, quorum non est numerus: sed si me prodigum serves, si me indignum admittas, multo magis mirabilis eris: quia tanta est misericordiæ et be-

nignitatis tuæ virtus, ut ex luto margaritam facias, et ex filio gehennæ filium regni constituas. Et adhuc ad te clamabo Dominum meum, et ad Deum meum deprecabor : dirige residuum vitæ secundum voluntatem tuam, confirma me in timore tuo, corrobora me in dilectione tua, et in multitudine bonitatis tuæ bonum mihi finem et dignum benignitate tua concede : ossa et modos omnes totamque compositionem substantiæ meæ in misericordia et benignitate tua respice, et in requiei locum miseram animam meam deducens, constitue ibi, quia multæ mansiones apud te, singulis secundum meritum distributæ. Adhuc obsecro et oro, da, quæso, Domine, indignitati meæ gratiam prudentiæ, ad cognoscendam ea quæ tibi placita et mihi utilia sunt ; et non solum ad cognoscendum, sed etiam ad perficiendum, ut ne a vanis rebus abripiar et abducar, et quæ non oportet faciam, ut sine gloria inani cum humilibus humilier, et cum patientibus compatiar, et peccantibus ignoscam. Scio enim quod, si non dimittam, non dimittetur mihi. Ideo rogo, ut omnibus in me peccantibus omnia dimittas : neque enim illi in causa sunt, sed ego miser, qui non feci voluntatem tuam, et non servavi præcepta tua. Eos autem qui nos diligunt opulentis donis tuis remunera : spiritualem vero patrem meum, et fratres, quos tu dedisti, o misericors, iisdem judiciis, quibus mecum agis, benigne miserare. Hæc precis meæ verba sunt, me vivente et mortuo, opem postulantia sint : hæc confessio et lacrymæ quasi incensum in conspectu tuo recte diri-

gantur. Ego autem quotidie exspecto diem mortis inevitabilem. Et corpus quidem miserum sepulturæ traditum corrumpetur, et in ea ex quibus compositum fuit dissolvetur, quod tu, vitæ largitor, suscitabis incorruptibile in tempore regenerationis : spiritum vero meum in manus tuas commendo. Requiem da ei, sancte Domine, in lumine viventium, et in habitatione lætantium, et parentes meos, majores, fratres, famulos tuos probos; quoniam, etsi peccavimus, sed non discessimus a te, neque expandimus manus nostras ad Deum alienum; sed te agnovimus, te dileximus, in te credidimus, et te adoramus unum in Trinitate Deum : in te etiam precamur, et in te salutis spem reposuimus. Miserere nostri secundum magnam misericordiam tuam, et serva ad cœleste et æternum regnum tuum. Etiam, quæso, Domine mi, Domine, ita sint hæc in nobis, qui speramus in te, propter magnam et immensam tuam bonitatem et ob ineffabilem misericordiam et clementiam : intercessionibus gloriosissimæ, celebratissimæ, super omnes benedictæ, et gratia plenæ Dominæ nostræ, sanctissimæ Deiparæ et semper virginis Mariæ, cœlestium et intelligibilium virtutum, et omnium qui a sæculo tibi placuerunt. Amen.

ORATIONES SANCTI AUGUSTINI.

Gratias agit Deo pro remissione peccatorum, quodque a multis servatus sit.

Quid retribuam Domino, quod recolit hæc memoria mea, et anima mea non metuit inde? Diligam te, Do-

mine, et gratias agam, et confitear nomini tuo, quoniam tanta dimisisti mihi mala et nefaria opera mea. Gratiæ tuæ deputo et misericordiæ tuæ, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti. Gratiæ tuæ deputo et quæcumque non feci mala: quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? Et omnia mihi dimissa esse fateor; et quæ mea sponte feci mala, et quæ te duce non feci. Quis est hominum qui suam cogitans infirmitatem audet viribus suis tribuere castitatem atque innocentiam suam; ut minus amet te, quasi minus ei necessaria fuerit misericordia tua, qua donas peccata conversis ad te? Qui enim vocatus a te secutus est vocem tuam, et vitavit ea quæ me de meipso recordantem et fatentem legit, non me derideat ab eo medico ægrum sanari, a quo sibi præstitum est ut non ægrotaret, vel potius ut minus ægrotaret: et ideo te tantumdem, imo vero amplius diligat; quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.

PETIT AMOREM DEI, ET DELICTORUM VENIAM.

Quis mihi dabit acquiescere in te? Quis mihi dabit ut venias in cor meum, et inebries illud, ut obliviscar mala mea, et unum bonum meum amplectar te? Quid mihi es? Miserere ut loquar. Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, et nisi faciam irascaris mihi, et mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est, si non amem te? Hei mihi! Dic mihi per miserationes tuas, Domine

Deus meus, quid sis mihi. Dic animæ meæ : Salus tua ego sum. Sic dic, ut audiam. Ecce aures cordis mei ante te, Domine; aperi eas, et dic animæ meæ : Salus tua ego sum. Curram post vocem hanc, et apprehendam te. Noli abscondere a me faciem tuam; moriar, ne moriar, ut eam videam.

Angusta est domus animæ meæ quo venias ad eam; dilatetur abs te. Ruinosa est; refice eam. Habet quæ offendunt oculos tuos; fateor et scio: sed quis mundabit eam? aut cui alteri præter te clamabo, ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo? Credo propter quod et loquor; Domine, tu scis. Nonne tibi prolocutus sum adversum me delicta mea, Deus meus; et tu dimisisti impietatem cordis mei? Non judicio contendo tecum qui veritas es; et ego nolo fallere meipsum, ne mentiatur iniquitas mea sibi. Non ergo judicio contendo tecum; quia si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?

PRECATIO AD DEUM.

Deus universitatis conditor, præsta mihi primum ut bene te rogem, deinde ut me agam dignum quem exaudias, postremo ut liberes. Deus per quem omnia, quæ per se non essent, tendunt esse. Deus qui ne id quidem quod se invicem perimit, perire permittis. Deus qui de nihilo mundum istum creasti, quem omnium oculi sentiunt pulcherrimum. Deus qui malum non facis, et facis esse ne pessimum fiat. Deus qui paucis ad id quod

vere est refugientibus, ostendis malum nihil esse. Deus per quem universitas etiam cum sinistra parte perfecta est. Deus a quo dissonantia usque in extremum nulla est, cum deteriora melioribus concinunt. Deus quem amat omne quod potest amare, sive sciens, sive nesciens. Deus in quo sunt omnia, cui tamen universæ creaturæ nec turpitudo turpis est, nec malitia nocet, nec error errat. Deus qui nisi mundos verum scire noluisti. Deus pater veritatis, pater sapientiæ, pater veræ summæque vitæ, pater beatitudinis, pater boni et pulchri, pater intelligibilis lucis, pater evigilationis atque illuminationis nostræ, pater pignoris quo admonemur redire ad te.

Te invoco, Deus veritas, in quo et a quo et per quem vera sunt, quæ vera sunt omnia. Deus sapientia, in quo et a quo et per quem sapiunt, quæ sapiunt omnia. Deus vera et summa vita, in quo et a quo et per quem vivunt, quæ vere summeque vivunt omnia. Deus beatitudo, in quo et a quo et per quem beata sunt, quæ beata sunt omnia. Deus bonum et pulchrum, in quo et a quo et per quem bona et pulchra sunt, quæ bona et pulchra sunt omnia. Deus intelligibilis lux, in quo et a quo et per quem intelligibiliter lucent, quæ intelligibiliter lucent omnia. Deus cujus regnum est totus mundus, quem sensus ignorat. Deus de cujus regno lex etiam in ista regna describitur. Deus a quo averti, cadere; in quem converti, resurgere; in quo manere, consistere est. Deus a quo exire, emori; in quem redire, reviviscere; in quo habitare, vivere est. Deus quem nemo amittit, nisi

deceptus; quem nemo quærit, nisi admonitus; quem nemo invenit, nisi purgatus. Deus quem relinquere, hoc est quod perire; quem attendere, hoc est quod amare; quem videre, hoc est quod habere. Deus cui nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit, Deus per quem vincimus inimicum, te deprecor. Deus per quem accepimus ne omnino periremus. Deus a quo admonemur ut vigilemus. Deus per quem a malis bona separamus. Deus per quem mala fugimus, et bona sequimur. Deus per quem non cedimus adversitatibus. Deus per quem bene servimus et bene dominamur. Deus per quem discimus aliena esse quæ aliquando nostra, et nostra esse quæ aliquando aliena putabamus. Deus per quem malorum escis atque illecebris non hæremus. Deus per quem nos res minutæ non minuunt. Deus per quem melius nostrum deteriori subjectum non est. Deus per quem mors absorbetur in victoriam. Deus qui nos convertis. Deus qui nos eo quod non est exuis, et eo quod est induis. Deus qui nos exaudibiles facis. Deus qui nos munis. Deus qui nos in omnem veritatem inducis. Deus qui nobis omnia bona loqueris, nec insanos facis, nec a quoquam fieri sinis. Deus qui nos revocas in viam. Deus qui nos deducis ad januam. Deus qui facis ut pulsantibus aperiatur. Deus qui nobis das panem vitæ. Deus per quem sitimus potum, quo hausto nunquam sitiemus. Deus qui arguis sæculum de peccato, de justitia, et de judicio. Deus per quem nos non movent qui minime credunt. Deus per quem improbamus eorum errorem, qui ani-

marum merita nulla esse apud te putant. Deus per quem non servimus infirmis et egenis elementis. Deus qui nos purgas, et ad divina præparas præmia, adveni mihi propitius tu.

Quidquid a me dictum est, unus Deus tu, tu veni mihi in auxilium; una æterna vera substantia, ubi nulla discrepantia, nulla confusio, nulla transitio, nulla indigentia, nulla mors. Ubi summa concordia, summa evidentia, summa constantia, summa plenitudo, summa vita. Ubi nihil deest, nihil redundat. Ubi qui gignit, et quem gignit unum est. Deus cui serviunt omnia, quæ serviunt; cui obtemperat omnis bona anima. Cujus legibus rotantur poli, cursus suos sidera peragunt, sol exercet diem, luna temperat noctem: omnisque mundus per dies, vicissitudine lucis et noctis; per menses, incrementis decrementisque lunaribus; per annos, veris, æstatis, autumni et hiemis successionibus; per lustra, perfectione cursus solaris; per magnos orbes, recursu in ortus suos siderum, magnam rerum constantiam, quantum sensibilis materia patitur, temporum ordinibus replicationibusque custodit. Deus cujus legibus in ævo stantibus, motus instabilis rerum mutabilium perturbatus esse non sinitur, frenisque circumeuntium sæculorum semper ad similitudinem stabilitatis revocatur: cujus legibus arbitrium animæ liberum est, bonisque præmia et malis pœnæ, fixis per omnia necessitatibus distributæ sunt. Deus a quo manant usque ad nos omnia bona, a quo coercentur a nobis omnia mala. Deus supra

quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil est. Deus sub quo totum est, in quo totum est, cum quo totum est. Qui fecisti hominem ad imaginem et similitudinem tuam, quod qui se ipse novit agnoscit. Exaudi, exaudi, exaudi me, Deus meus, Domine meus, rex meus, pater meus, causa mea, spes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, salus mea, lux mea, vita mea. Exaudi, exaudi, exaudi me more illo tuo paucis notissimo.

Jam te solum amo, te solum sequor, te solum quæro, tibi soli servire paratus sum, quia tu solus juste dominaris; tui juris esse cupio. Jube, quæso, atque impera quidquid vis, sed sana et aperi aures meas, quibus vocem tuam audiam. Sana et aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam. Expelle a me insaniam, ut recognoscam te. Dic mihi qua attendam, ut aspiciam te, et omnia me spero quæ jusseris esse facturum. Recipe, oro, fugitivum tuum, Domine, clementissime Pater: jamjam satis pœnas dederim, satis inimicis tuis, quos sub pedibus habes, servierim, satis fuerim fallaciarum ludibrium. Accipe me ab istis fugientem famulum tuum, quia et isti me quando a te fugiebam acceperunt alienum. Ad te mihi redeundum esse sentio: pateat mihi pulsanti janua tua; quomodo ad te perveniatur doce me. Nihil aliud habeo quam voluntatem; nihil aliud scio nisi fluxa et caduca spernenda esse; certa et æterna requirenda. Hoc facio, Pater, quia hoc solum novi; sed unde ad te perveniatur ignoro. Tu mihi suggere, tu ostende, tu viaticum præbe.

Si fide te inveniunt qui ad te refugiunt, fidem da; si virtute, virtutem; si scientia, scientiam. Auge in me fidem, auge spem, auge charitatem. O admiranda et singularis bonitas tua!

Ad te ambio, et quibus rebus ad te ambiatur, a te rursum peto. Tu enim si deseris, peritur: sed non deseris, quia tu es summum bonum, quod nemo recte quæsivit, et minime invenit. Omnis autem recte quæsivit, quem tu recte quærere fecisti. Fac me, Pater, quærere te, vindica me ab errore; quærenti te mihi nihil aliud pro te occurrat. Si nihil aliud desidero quam te, inveniam te jam, quæso, Pater. Si autem est in me superflui alicujus appetitio, tu ipse me munda, et fac idoneum ad videndum te. Cæterum de salute hujus mortalis corporis mei, quamdiu nescio quid mihi ex eo utile sit, vel eis quos diligo, tibi illud committo, Pater sapientissime atque optime, et pro eo quod ad tempus admonueris deprecabor: tantum oro excellentissimam clementiam tuam, ut me penitus ad te convertas, nihilque mihi repugnare facias tendenti ad te, jubensque dum hoc ipsum corpus ago atque porto, parum, magnanimum, justum, prudentemque esse, perfectumque amatorem perceptoremque sapientiæ tuæ, et dignum habitatione, atque habitatorem beatissimi regni tui. Amen, amen.

INVOCATIO DEI OMNIPOTENTIS, AD MORUM ET VITÆ REPARATIONEM.

Domine Deus meus, da cordi meo te desiderare,

desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare: da, Domine Deus meus, cordi meo pœnitentiam, spiritui contritionem, oculis lacrymarum fontem, manibus eleemosynæ largitatem. Rex meus, extingue in me desideria carnis, et accende ignem tui amoris. Redemptor mei, expelle a me spiritum superbiæ, et concede propitius thesaurum humilitatis tuæ. Salvator mei, amove a me furorem iræ, et indulge mihi benignus scutum patientiæ. Creator mei, evelle a me animi rancorem, et largire mihi mitis mentis dulcedinem. Da, clementissime Pater, mihi solidam fidem, spem congruam, charitatem continuam.

Rector mei, averte a me vanitatem, mentis inconstantiam, cordis vagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, ventris ingluviem, opprobria proximorum, scelera detractionum, curiositatis pruriginem, divitiarum cupidinem, potentatuum rapinam, inanis gloriæ appetitum, hypocrisis malum, adulationis venenum, contemptum inopum, oppressionem debilium, avaritiæ ardorem, invidiæ rubiginem, blasphemiæ mortem. Reseca in me, factor mei, temeritatem, iniquitatem, pertinaciam, inquietudinem, otiositatem, somnolentiam, pigritiam, mentis hebetudinem, cordis cæcitatem, sensus obstinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, consilii repugnantiam, linguæ effrenationem, pauperum prædam, impotentum violentiam, innocentum calumniam, subditorum negligentiam, circa domesticos seve-

ritatem, adversus familiares impietatem, erga proximos duritiam.

Deus meus, misericordia mea, oro te per dilectum Filium tuum, da mihi misericordiæ opera, pietatis studia: compati afflictis, consulere erroneis, succurrere miseris, subvenire egenis, consolari mœstos, relevare oppressos, pauperes recreare, flebiles refovere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem despicere, sed honorare; bonos imitari, malos cavere, virtutes amplecti, vitia rejicere: in adversis patientiam, in prosperis continentiam, custodiam oris, et ostium circumstantiæ labiis meis; terrena calcare, cœlestia sitire.

ORATIO

AD PETENDAM DEVOTIONEM INTER SACRA MYSTERIA TRACTANDA.

Pulcherrime Jesu Christe, rogo te, per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui quo redempti sumus, da mihi cordis contritionem et lacrymarum fontem, præcipue dum preces et orationes tibi psalmodiam decanto, dum mysterium nostræ redemptionis, manifestum misericordiæ tuæ judicium, recolo vel profero, dum sacris altaribus, licet indignus, assisto, cupiens tibi offerre illud admirabile et cœleste sacrificium, omni reverentia et devotione dignum, quod tu, Domine, Deus meus, sacerdos immaculate, instituisti, et offerre præcepisti in commemorationem tuæ charitatis, mortis scili-

cet, et passionis pro salute nostra, pro quotidiana nostræ fragilitatis reparatione.

Confirmetur mens mea inter tanta mysteria dulcedine præsentiæ tuæ; sentiat te sibi adesse, et lætetur coram te, ignis qui semper luces, amor qui semper ardes, dulcis Christe, bone Jesu, lumen æternum et indeficiens, panis vitæ qui nos reficis, in te non deficis; quotidie comederis, et semper integer manes : resplende mihi, accende me, illumina et sanctifica vas tuum; de malitia evacua, imple de gratia, et plenum conserva, ut ad salutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ, quatenus manducando te, vivam de te, vivam per te, perveniam ad te, et repausem in te.

ORATIO SANCTI AUGUSTINI AD SANCTAM TRINITATEM.

Domine Deus noster, credimus in te Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Ad hanc regulam fidei dirigens intentionem meam quantum potui, quantum me posse fecisti, quæsivi te, et desideravi intellectu videre quod credidi, et multum disputavi, et laboravi, Domine Deus, mea unica spes, exaudi me ne fatigatus nolim te quærere; sed quæram faciem tuam semper ardenter. Tu da quærenti vias, qui inveniri te fecisti, et magis magisque inveniendi te spem dedisti. Coram te est firmitas et infirmitas mea : illam serva; hanc sana. Coram te scientia et ignorantia mea. Ubi mihi aperuisti, suscipe intrantem. Ubi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista donec me formes ad inte-

grum. Scio scriptum esse : *in multiloquio non effugies peccatum :* sed utinam prœdicando verbum tuum et laudando te tantummodo loquerer! non solum fugerem peccatum, sed meritum bonum acquirerem quantumlibet multum sic loquerer. Neque enim homo de te beatus, peccatum præciperet germano in fide filio suo, cui conscripsit dicens : *Prædica verbum, insta opportune, importune.* Numquid dicendum est istum non multum locutum, qui non solum opportune, verum etiam importune, verbum tuum, Domine, non tacebat! Sed ideo non erat multum, quia tantum erat necessarium. Libera me, Deus, a multiloquio quod patior intus in anima mea misera in conspectu tuo, et confugientem ad misericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus, et si quidem non cogitarem nisi quod placeret tibi, non utique rogarem, ut me ab hoc multiloquio liberares; sed multa sunt cogitationes meæ quales nosti cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Dona mihi non eis consentire; et si quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari, nec in tantum valeant apud me, ut aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia tuente. Sapiens quidam cum de te loqueretur in libro suo, qui ecclesiasticus proprio nomine illum vocat; *Multa*, inquit, *dicimus, et non pervenimus, et consummatio sermonum universa est ipse.* Cum ergo pervenerimus ad te, cessabunt multa ista quæ dicimus, et non pervenimus, et

manebis unus omnia in omnibus, et sine fine dicemus unum, laudantes te in unum, et in te facti etiam nos unum, Domine Deus, une Deus Trinitas, quæcumque dixi in his libris de tuo, agnoscant et tui, si quæ de meo, et tu ignosce, et tui.

ORATIO EJUSDEM.

Salva me, Domine, rex æternæ gloriæ, qui solus potes salvare. Da mihi et velle et operari et perficere quæ tibi placent et mihi expediunt. Da in perturbatione et tribulatione auxilium, in persecutione solatium, et in omni tempore tentationis virtutem. Tribue mihi de præteritis malis veniam, de præsentibus vitiis emendationem, de futurisque peccatis largiri digneris custodiam. Deus qui præscius es futurorum, qui transacta velut præsentia conspicis, tu, Domine, oculos cordis mei aperire dignare, et acceptabilem tibi fac animam meam, ut semper tuus amor pectus meum inflammet, et per diem tecum sit fabulatio mea, et per noctem visitationem tuam cognoscam : quia dulcia sunt eloquia tua, Domine, in faucibus meis, suscipe spiritum meum in tua perpetua pace. Te invoco, Domine, cui assistant omnes chori sanctorum, et glorificant cum timore et tremore : noli derelinquere animam meam, ut non dominetur ei quem tu confudisti in desiderio tuo. Te invoco illuminatorem hominum et salvatorem et redemptorem. Clamo ad te, exaudi me, Domine, et solve vincula peccatorum meorum, in quibus constrictus teneor, qui cum Patre, etc.

ALIA EJUSDEM ORATIO AD PETENDUM SANCTUM AMOREM.

O Domine Jesu, heu mihi misero! quod tam sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova! Tu enim sancta gratia tua me vocasti, et rupisti surditatem meam, illuminasti cor meum, fugasti cæcitatem meam. Dedisti enim mihi sensum purum ut cognoscerem te: dedisti et amorem ut diligerem te, dedisti et voluntatem ut exardescerem in sanctam pacem tuam. Cum enim sancta tibi inhæsero voluntate, nullus mihi nocebit dolor et labor; sed viva erit vita mea tota plena gratia tua, quoniam quem tu imples sublevas eum: cum enim tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætandis mœroribus, et ex qua parte stet victoria nescio. Contendunt mœrores mei mali cum gaudiis bonis, et ex qua parte stet victoria nescio. Hei mihi, Domine, miserere mei! hei mihi! Ecce vulnera mea non abscondo: medicus enim tu es, ego æger sum, tu misericors es, ego vero miser. Nam quid tentatio est vita humana super terram? Et tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua? Da, Domine, nobis et velle et posse perficere quod jubes, et jube quod vis. Imperas nobis continentiam, sed nemo potest esse continens nisi tuo dono. Et hoc ipsum est sapientia scire cujus hoc donum est. Per continentiam quippe colligimur in membra corporis tui, et redigimur in unum a quo in multa defluximus. Minus enim te amat quam debeat, qui tecum aliquid amat. O amor, qui semper

ardes, et nunquam extingueris ! Tu es charitas vera, tu es charitas pura. Deus meus, extingue in me omnem concupiscentiam malam, et accende in me suavissimam charitatem. Continentiam jubes, tu misericors Deus, da quod jubes. Jubes certe ut contineam a concupiscentia oculorum, et ambitione sæculi istius : sed adhuc vivunt in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit, et occursantur mihi. Numquid non potest manus tua, Deus omnipotens, sanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratia tua lascivos motus etiam mei operis extinguere. Auge in me, Domine, auge magis magisque in me munera tua, ut anima mea in me sequatur te. Qui cum Patre et Spiritu Sancto unus es Deus, unus es Dominus, vivens et dominans per omnia, et super omnia in sœcula sœculorum. Amen.

ORATIONES

VARIÆ EX LIBRO CUI TITULUS : LIBELLUS PRECUM, DESUMPTÆ.

ORATIO SANCTI HILARII AD CONSERVANDAM FIDEM.

Sancta Trinitas, conserva, oro, fidei meæ incontaminatam religionem, et usque ad excessum spiritus mei dona mihi hanc conscientiæ meæ vocem; ut quod in regenerationis meæ symbolo baptisatus in Patre et Filio et Spiritu Sancto professus semper obtineam, Patrem scilicet te nostrum, Filium tuum una tecum adorem, et Sanctum Spiritum tuum, qui ex te per unigenitum est,

promerear, quia mihi idoneus ad fidem testis est dicens: *Pater, omnia mea tua sunt, et tua mea.* Deus meus Jesus Christus manens in te, et ex te et apud te semper Deus, qui es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ.

Domine Jesu Christe, te obsecro per misericordiam et clementiam tuam, ut præstes mihi veniam delictorum meorum. Aperi mihi pulsanti januam vitæ, et princeps tenebrarum non occurrat mihi. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus extranea a te non contingat mihi; sed suscipe me secundum verbum tuum, et perduc me ad convivium epularum tuarum, ubi epulantur tecum omnes amici tui. Tu es enim Jesus Christus Filius Dei vivi, qui cum Patre et cum Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO SANCTI MARTINI
AD PETENDUM AUXILIUM DEI IN PERICULO.

Deus gloriæ, Deus qui unus et verus Deus, qui solus et justus es, Deus in quo omnia, sub quo omnia, per quem omnia facta sunt; exaudi me orantem sicut exaudisti tres pueros de camino ignis ardentis; exaudi me orantem sicut exaudisti Jonam de ventre ceti; exaudi me orantem sicut exaudisti Susannam, et liberasti eam de manu iniquorum testium; exaudi me orantem sicut exaudisti Petrum in mari et Paulum in vinculis. Parce

animæ meæ, parce factis meis, parce cunctis criminibus meis, qui cum Patre, etc.

ORATIO SANCTI AMBROSII.

Largire mihi, Domine, Pater pie et sancte, intellectum qui te intelligat, sensum qui te sentiat, animam quæ te sapiat, diligentiam quæ te quærat, sapientiam quæ te inveniat, animam quæ te agnoscat, oculos cordis qui te videant, conversationem quæ tibi placeat, perseverantiam quæ te expectet, finem perfectum, præsentiam tuam, sanctam resurrectionem, bonam retributionem, vitam æternam : qui regnas in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO SANCTI HIERONYMI AD OBTINENDAS VIRTUTES.

Mane cum surrexero intende ad me, Domine, et guberna omnes actus meos, et verba mea, et cogitationes meas, ut totum diem transigam in tua voluntate : dona mihi, Domine, timorem tuum, cordis compunctionem, mentis humilitatem, conscientiæ puritatem, ut terram despiciam, cœlum aspiciam, infernum timeam, peccata odiam, justitiam diligam. Abscinde a me, Domine, gulæ appetitum, concupiscentiam fornicationis, amorem pecuniæ, pestem iracundiæ, justitiam sæculi, mentis acidiam, vanam lætitiam, tyrannidem superbiæ. Planta in me, Domine, virtutem abstinentiæ, et continentiam carnis, et castitatem mentis, voluntariam paupertatem,

veram patientiam, lætitiam spiritualem, animi stabilitatem, cordis contritionem, humilitatem non fictam, fraternam charitatem. Custodi os meum ne loquar vana, ne fabuler sæcularia, ne detraham absentibus, ne maledicam prœsentibus, ne respondeam maledictum pro maledicto; sed e contrario benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Custodi oculos meos ne videant mulierem ad concupiscendam eam, ne desiderent rem proximi, nec delicias hujus sæculi; sed dicam cum spiritu David : *Oculi mei semper ad Dominum;* et iterum : *ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo.* Custodi aures meas ne audiant linguam detrahentem, ne audiant mendacium, nec verbum otiosum; sed apertæ sint quotidie ad audiendum verbum Dei. Custodi pedes meos ne circumeant domos otiosas : sed stent in oratione Dei firmiter immobiles. Custodi manus meas ne porrigantur sæpe ad accipienda munera, sed potius eleventur quotidie in precibus Domini mundæ et puræ sine ira, et disceptatione, quo possi dicere illum propheticum sermonem : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Custodi, Domine, exitum nostrum, qui in tuo nomine proficiscimur, et angelus tuus sanctus cœlestis comitetur nobiscum, qui possit deducere nos usque ad locum destinatum, et dirigere pedes nostros in viam pacis et veritatis. Custodi, Domine, cogitationes nostras, sermones et opera, ut possimus in conspectu tuo perficere voluntatem tuam, et ambulare in via tua toto tempore vitæ nostræ, per Redemptorem ani-

marum nostrarum Dominum nostrum, cui est gloria in sæcula sæculorum.

ORATIO SANCTI EPHREM AD PETENDUM AUXILIUM DIVINUM.

Domine Deus et Salvator meus, quare me dereliquisti? miserere mei, quoniam tu es amator omnium solus. Salva me peccatorem, quoniam tu es sine peccato solus. Erue me de cœno iniquitatum mearum, ut non infigar in æternum. Libera me de ore inimici mei : ecce enim ut leo rugiens devorare me cupit. Excita potentiam tuam et veni, ut salvum me facias. Emitte coruscationes tuas, disperge omnem virtutem inimici, amator hominum, benignissime Deus. Adjuro te per miserationes tuas ne me cum hœdis a sinistris tuis statuas cum iis qui te exacerbaverunt. Ne dicas mihi, nescio te; sed tribue mihi propter multam misericordiam tuam, indesinentem cordis compunctionem et fletum, et sanctifica me, ut fiam templum gratiæ tuæ. Qui vivis, etc.

ORATIO BEATI GREGORII

IN QUA OMNIPOTENTI DEO DEBITAS AGIT GRATIARUM ACTIONES.

Tibi ago laudes, et gratias tibi refero, Deus meus misericordiæ meæ, qui me ad tuam cognitionem perducere, et per sacri baptismatis ablutionem inter adoptionis tuæ filios aggregare dignatus es. Tibi ago laudes et gratias, qui me ab ipsis rudimentis infantiæ usque ad hanc horam per multa defluentem vitia immensæ bonitatis tuæ patientia ad emendationem exspectas. Te laudo,

et glorifico, qui me sæpissime de multis tribulationibus, et angustiis, calamitatibus et miseriis liberasti, qui me hactenus de æternis suppliciis, de corporis hujus cruciatibus exemisti. Te laudo et glorifico, qui mihi sospitatem membrorum, tranquillitatem temporum, et honorem, affectum et charitatem, si quæ etiam in me sunt dona pro tuæ pietatis gratia conferre dignatus es. Quæso, Domine Deus, inæstimabilem suavitatis tuæ clementiam, ut inchoata in me bona perficias, quidquid in me tibi displicet repellas, a cunctis me quæ supersunt tribulationibus, iniquitatibus ac diversis malis eripias, cogitationes meas, locutiones pariter et actus in tua voluntate dirigas, et ne auferas animam meam de hoc mundo priusquam emendare studeat. In tua voluntate inter adversa me et prospera gradientem semper et ubique custodias, et ad tuæ me visionis desiderata gaudia quandoque perducas.

ORATIO SANCTI ISIDORI PRO OMNIBUS CHRISTIANIS.

Pie et exaudibilis Domine Deus noster Jesu Christe, clementiam tuam cum omni supplicatione deposcimus, ut per interventum et meritum beatæ et gloriosæ semperque Virginis Mariæ, omniumque sanctorum angelorum, archangelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, virginum, confessorum, monachorum, et omnium civium supernorum Ecclesiæ tuæ sanctæ catholicæ fidem augeas, pacem tribuas, rectoribus nostris et nobis indulgentiam, et remissionem pecca-

torum concedas : infirmis salutem, lapsis reparationem, aerum commoditatem, navigantibus atque itinerantibus fidelibus iter prosperum ac salutis portum, tribulantis gaudium, oppressis relevationem; captivis, vinctis, et peregrinis remissionem, absolutionem, ad patriam reversionem, mutuam discordantibus charitatem, infidelibus veram fidem, et defunctis fidelibus perpetuam requiem. Angelum tuum sanctum nobis hic et ubique custodem et defensorem propitius donare digneris, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO

PRO FAMILIARIBUS NOSTRIS ET CUNCTIS FIDELIBUS DEFUNCTIS.

Te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, supplices deprecamur pro spiritibus famulorum et famularum tuarum N, quos ab origine ab hujus sæculi ad te accersire præcepisti; ut digneris, Domine, dare eis locum lucidum, locum refrigerii et quietis, et ut liceat eis transire portas infernorum, et vias tenebrarum, maneantque in mansionibus sanctorum, et in luce sancta quam olim promisisti Abrahæ et semini ejus. Nullam læsionem sustineant animæ eorum, sed cum magnus ille dies resurrectionis ac remunerationis advenerit, ressuscitare eos digneris, Domine, una cum sanctis et electis tuis; et ut deleas eorum delicta atque peccata usque ad novissimum quadrantem, tecumque immortalitatis vitam et regnum consequantur æternum per requiem æternam.

ORATIO PRO QUALICUNQUE HOMINE FIDELI DEFUNCTO.

Omnipotens et misericors Deus, tuam deprecamur clementiam, quia judicio tuo aut nascimur aut finimur, ut animam fratris nostri N. quam tua pietas de incolatu hujus mundi transire præcepit, in requiem æternam suscipias, et in consortio electorum tuorum in resurrectione sociari permittas : ut in æterna beatitudine una cum illis sine fine permaneat per animam quam redemisti. Suscipe, Domine, cum servis tuis, et qui te confessus est in vita communi, et constituas eum in vita perenni.

In Dei nomine beatorum apostolorum, martyrum et confessorum atque Virginum, ex libro quem beatus Hieronymus de eorum per anni circulum natalitiis conscripsit. Incipiunt nomina quæ sicut a sanctis patribus traditum est in quotidianis sunt legenda.

Miserere nobis miseris, misericors Trinitas sancta, et dimitte universa delicta nostra quæ commisimus coram angelis tuis in conspectu tuo, per merita et orationes et intercessiones et invocationes omnium sanctorum tuorum, quorum hodie sfetivitas celebratur N., et quorum nomina nunc recitamur. Libera nos, clemens Trinitas, cum omnibus fratribus et sororibus nostris ab omni malo præterito, præsenti et futuro; de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de inferno ad paradisum, de malo ad bonum, de ignorantia ad scientiam, de peccatis ad veram pœnitentiam, de omnibus vitiis ad perfectas virtutes, de cunctis insidiis inimici ad medicinam cœles-

tem ; et divinam protectionem per invocationem trini nominis tui Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, quia qui fideliter et humiliter tuum invocaverit, salvus erit. Humiliter ergo et fideliter te postulamus, ut deleas et obliviscaris cuncta scelera nostra per suffragia et merita omnium sanctorum tuorum. Angeli, archangeli, virtutes, potestates, principatus, dominationes, throni, cherubim, seraphim, patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres, et confessores, et episcopi sancti, et præsbyteri sancti, et diaconi sancti, et omnes sancti ecelesiastici, et anachoritæ, et eremitæ, et monachi, et sanctæ virgines, et sanctæ viduæ, et sanctæ sapientes, et omnes sancti qui nos præcesserunt ab Adam usque in hodiernum diem, orent pro nobis.

Per horum omnium SS. martyrum et confessorum, et beatarum virginum merita et orationes et intercessiones et passiones et suffragia, Trinitas clementissima, exaudi me, libera me, defende me, redime me, protege me, adjuva me, et salva me, conserva me, illustra me. Da mihi, Domine, cor contritum, purum, quod te videat, et cogitet, et credat : et pedes castos, qui præceptis tuis obedienter ministrent, et manus continentes sine ira, et vanitate ad te elevatas, quæ utilitatem proximorum et misericordiam laborent. Largire, Domine Christe, labia discreta, quæ te benedicant, et magnificent, et prædicent, et cum timore et tremore et exsultatione te semper adorent, et aures intentas, quæ nomen tuum et legem tuam et verba tua audiant, et oculos humiles qui

te videant, sensum qui te sentiat, intellectum qui te intelligat, et animam quæ te semper cogitet, et diligat; et non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

Largire mihi, clemens Trinitas, abstinentiam et castitatem, mansuetudinem, largitatem, pietatem et quietem, et misericordiam, lenitatem, indulgentiam, humilitatem, benignitatem, hilaritatem, patientiam, modestiam, sinceritatem. Miserere mihi, Domine, miserere mihi. Da mihi de criminibus præteritis veniam, de præsentibus emendationem, de futuris custodiam. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

ORATIO EUGENII EPISCOPI.

Rex Deus immense, quo constat machina mundi,
Quod miser en famulus posco tu perfice clemens.
Sit mihi recta fides, et falsis obvia sectis.
Sit mihi præcipue morum correctio præsens.
Sim carus, humilis, verax, cum tempore præsens,
Secreti tacitus, et linguæ famine cautus.
Da fidum socium, da fixum semper amicum,
Da blandum, sobrium, parcum, castumque ministrum.
Non me pauperies cruciet, aut languor obuncet.
Sit comes alma salus et sufficientia victus;
Absint divitiæ, fastus, et gurgia litis,
Invidiæ, luxus, et ventris pensio turpis.
Crimine ne lædam quemquam, nec crimine lædar.
Sic bene velle queam, quo pravum posse recedat.
Nil turpe cupiam, faciam, vel proloquar unquam.
Te mens desideret, lingua canat, actio promat.
Da, Pater altitonans, undosum fletibus imbrem,

Quo valeam lacrymis culparum solvere moles.
Da, precor, auxilium, possim quo vincere mundum,
Et vitæ stadium placido percurrere passu;
Cumque suprema dies morte patefecerit urnam
Concedas veniam cui tollit culpa coronam.

ORATIO PRO INVIDIA HOMINUM.

Libera nos, Domine, a latratu hominum pessimorum, ut detrahentia vomituum eorum cœnosa contagia nostram quæ a te est non polluant puritatem. Te deprecamur, pius dominator Deus, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO AD POSTULANDAM PECCATORUM REMISSIONEM.

Deus justorum gloria, et misericordia peccatorum, qui dixisti : *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat :* suscipe me, piissime Pater, pœnitentem famulum tuum, quia tibi confiteor omnia delicta et peccata mea, quæcumque peccavi coram te, et coram sanctis angelis tuis, in cogitatione, in verbo et opere, in omnibus simul vitiis et peccatis, sive in superbia et elatione, unde me gravissime reor esse pollutum, et in omnibus peccatis quæ nascuntur ex ea, in inobedientia, in præsumptione iniqua, atque in pertinacia et contentione, vel etiam in arrogantia et obstinatione, sive in gula, in qua me super mensuram occupatum œstimo, et in universis vitiis quæ generantur ex ea, in inhonesta lætitia, in scurrilitate et risu, in vaniloquio, in immunditia simul cordis et corporis, in instabilitate mentis, in

libidine et ebrietate, in comessatione non modica, in fornicatione quoque multis modis me pollutum esse sentio, et in cunctis sceleribus quæ pullulantur ex ea, in cæcitate mentis, in visu malo et noxio, in auditu vano ac turpi, in gustu immoderato, in odoratu scelesto, in consensu delectationis malignæ, in immenso amore propriæ voluntatis, in periculo vitæ, in lascivia et petulantia, in incontinentia mali desiderii, consilio iniquitatis, in odio mandatorum tuorum, et in negligentia atque in inconsideratione vitæ futuræ, in avaritia quoque surabundanter me reor esse demersum, et in tota serie criminum quæ procedunt ex ea, in invidia et dolo, in furto et rapina, in perjurio atque mendacio, in inquietudine mentis, in injusto judicio vel fraude, in veritatis contemptu, in oblivione beatitudinis sempiternæ, et in obduratione mortis. Deinde in ira et in iracundia nimium me esse arbitror depravatum, et in omnibus delictis ejus radice surgentibus, in tumore mentis, in rixa et dissentione, in contumelia, in injurgandi vel ulciscendi amore, in odio, in impatientia, in maledictionibus, in indignatione iniqua, in recordatione injuriæ meæ, in acedia etiam immensa timeo me nimium obnoxium esse, et in omni labe facinorum ex ejus fomite prorumpentium, in somnolentia et boni operis pigritia, in inconstantia, in pervagatione mentis, in trepidatione laborandi, in tædio cordis, in moratione atque delectatione, in tristitia injusta ab antiquo in me hoste commissa, et in ejus semine nequissimo valde timeo me

obvolutum, in malignitate animi, in asperitate linguæ, in amaritudine verborum, in rancore animi, in pusillanimitate, in cenodoxia namque vitio et in omnibus malis quæ prodeunt ex ea valde me depravatum esse arbitror, in jactantia, in arrogantia, in indignatione proximorum, in discordia, et hypocrisi, et innumeris peccatis. Insuper etiam multis in afflictione et in angustia constitutis per gratiam tuam subvenire potui, multosque de tribulatione et angustia liberare, sed meis peccatis tardantibus minus hoc egi, quam debui, et sœpe sciens malum persilui et bonum loqui neglexi: unde nunc reum me esse gravissime sentio, meque reum esse confiteor; sed tu, Domine, qui omnia nosti etiam antequam fiant, tibi patefaciam omnia facinora cordis mei, tuam misericordiam humiliter invoco, ut omnia quæcumque peccavi coram te, et de quibuscumque mea me accusat conscientia, seu quæ confessus, seu quæ per negligentiam vel oblivionem detegi in cogitatu, in verbo et opere, vel in negligentia mea, hæc omnia oblivioni in perpetuum tradas. Tu, Deus infinitæ misericordiæ, qui omnibus invocantibus te in veritate subvenire soles, te supplici mente deposco, ut ex his omnibus mihi in hujus vitæ spatio compunctionem saluberrimam ex intimo corde, veramque pœnitentiam, confessionem puram, emendationemque per omnia dignam, uberem etiam lacrymarum fontem quo defleam mala quæ commiseram largire digneris. Nam si qua sunt de supra nominatis, quibus non sum pollutus, tuæ est, Domine, pietatis

defensio, malum vero semper a me factum scio, ab incautione mea vel etiam ignorantia. Tuum tamen, Domine, plasma sum, meque sacratissimo et pretiosissimo sanguine tuo redemisti. Miserere mihi et gemitum fructiferum tribue, ne iterum lugenda committam. Tu, Domine piissime, omnium largitor bonorum, tribue mihi contra spiritum superbiæ humilitatem veram, per quam universa mala superbiæ valeam vincere; contra gulam et concupiscentiam malam continentiam dignam; et contra immunditiam fornicationis cordis et corporis castitatem, et totius pravæ delectationis mortificationem, jejunii vel orationis instantiam, atque vigiliarum consuetudinem sanctam : ita ut omnia valeam tentamenta diaboli per misericordiam gratiæ tuæ superare : contra avaritiam tibi placitam largitatem, vires et scientiam superandi omnia quæ nascuntur ex ea; contra iræ impetum patientiam, temperantiam animi : ita ut omnia quæ prodeunt ex ea exstinguantur in me; contra acediam boni operis, perseverantiam et studium sancti certaminis ad implendam in omnibus voluntatem tuam quantum tuæ sit donum pietatis in me; contra tristitiam gaudium mihi, Domine, tribue spirituale, per quod omnia vitiorum mala penitus evellantur; contraque vanam gloriam plenissimam fidem, spem firmam, et charitatem perfectam, ut te toto corde, tota mente, tota etiam merear virtute diligere, hic quoque omnium peccatorum remissionem pleniter percipere, et in futuro æternam lætitiam possidere quod ipse nobis præsta, Filius Dei manens

et regnans cum Patre et Spirictu Sancto, unus Deus in Trinitate et in unitate perfecta in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO PRO ITER AGENTIBUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es doctor sanctorum, et dirigis itinera sanctorum, dirige angelum pacis nobiscum, qui nos ad loca destinata perducat. Sit nobis comitatus jucundus, ut nullus viæ nostræ subripiat inimicus. Procul a nobis sit malignorum accessus, et comes nobis dignetur esse semper sanctus. Per Dominum.

ORATIO PRO IISDEM.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, propitiare digneris supplicationibus nostris, et mitte angelum tuum sanctum nobiscum, qui nos a cunctis adversitatibus protegat, et in servitio sancti nominis tui ubique custodiat, ut nullus nos in viam nostram decipiat inimicus, sed mereamur ab omni hoste triumphum, et tuæ semper miserationis subsidium : quatenus tua jussa complentes, sospites ad propria redeamus, per te, Christe Jesu, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis.

Omnipotens et misericors Deus, tuum super nos nomen supplices invocemus, ut tua largiente clementia bene ambulemus in prosperis, et ut nomen tuum sit semper in cogitationibus, in verbis, et in operibus nostris, angeli tui sancti comitentur nobiscum; archangelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum,

confessorum, et omnium sanctorum tuorum auxilientur nobis orationes. Emitte, Domine, super nos spiritum castitatis, benignitatis, et veritatis, misericordiæ et largitatis, tuæque perpetuæ charitatis, lucis et pacis, qui nos regat, protegat, atque ab omni malo defendat, ut per vias planas et rectas cum omni fiducia sine impedimento ad loca desiderata possimus pervenire, et in nomine tuo sancto cum sanitate et lætitia ad propria possimus habitacula remeare. Per Dominum nostrum Jesum.

ORATIONES

EX LIBRO CUI TITULUS : *de usu psalmorum*, DESUMPTÆ.

Prævia monitio de usu psalmorum.

Primus usus. Si vis pro peccatis tuis pœnitentiam agere, et confessione peccatorum tuorum veniam rogare delictis, quantum vales intente, non celeritate verborum, sed mente cogitando ac scrutando, decanta septenos psalmos Davidicos. Et celerrime invenies clementiam Dei.

Secundus usus. Si vis mentem tuam spirituali gaudio et lætitia illuminare, et magnam spem de Dei indulgentia tibi promittere; et si vis orare, mitte mentem tuam ad virtutem psalmorum quorum initium est : *Exaudi, Domine, justitiam meam ; ad te, Domine, levavi ; Deus in nomine tuo ; Deus misereatur nostri ; Deus in adjutorium; in te, Domine, speravi ; inclina, Domine.* Et nullatenus poteris tua propria lingua, nec humano sensu

tam perfecte miseriam tuam ac tribulationem, angustiamque diversarum tentationum explicare; et illius misericordiam implorare, quam in his psalmis, et cæteris his similibus.

Tertius usus. Si vis omnipotentem Deum laudare, et ipsius majestatem, omniumque beneficiorum suorum, gratias agere, decanta illos psalmos, quorum titulus est *alleluia*: vel *Ps.* 71, 72, 73; vel alios similes.

Quartus usus. Si diversis tentationibus afflictus sis, et vel humanis vel spiritualibus tentationibus undique astrictus, et tibi videris a Deo derelictus, qui plerumque sanctos suos ad tempus derelinquit probandos, et per id tibi videatur tentatio major esse quam tolerare possis, intima mente decanta illos psalmos, quorum caput est: *Deus, Deus meus, respice in me; Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor; Salvum me fac, Deus.* Et clemens Deus statim te adjuvabit, et tentationem, quam pateris, tolerare te posse efficiet.

Quintus usus. Si tibi vita præsens fastidiosa sit, et animum tuum delectet supernam patriam contemplari, et omnipotentem Deum ardenti desiderio quærere, intenta mente hos psalmos decanta: *Quemadmodum; quam dilecta; Deus, Deus meus.* Et clemens Deus citius mentem tuam consolabitur.

Sextus usus. Si te in tribulationibus a Deo derelictum intelligas, compuncto corde decanta hos psalmos: *Usquequo, Domine; Deus auribus nostris; miserere mei, Deus; Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexe-*

ris; in te, Domine, speravi. Et Deus statim lætificabit te in omnibus angustiis tuis.

Septimus usus. Post acceptum quietem, et prosperitatis tempore, hos psalmos decanta in laudem; *Benedicam Domino; Benedic, anima mea, Domino; Exaltabo te, Deus meus, rex.* Et in omni tempore sive prosperitatis, sive adversitatis, semper hymnum *trium puerorum* decanta. Nullus itaque virtutem hujus nominis explicare potest, in quo omnis creatura ad laudandum Creatorem invocatur.

Octavus usus. Si volueris intima mente exercere te in divinis laudibus ac præceptis, et mandatis cœlestibus, psalmum, *Beati immaculati in via*, decanta. Et licet usque ad obitum vitæ tuæ hujus psalmi virtutem contempleris atque scruteris, nunquam perfecte illum, ut puto, intelligere poteris. In quo nullus versus est, quin insit vel via Dei, vel lex, vel mandatum, seu præceptum Dei, vel verba, aut justificationes, vel judicia, aut sermones. Et ideo non est tibi opus, ut per diversos libros animum diffundas.

Nonus usus. In psalterio usque ad obitum vitæ tuæ habes materiam legendi, scrutandi, docendi; et omnem virtutem divinorum dictorum invenies in psalmis, si intima mente perscruteris, et ad medullam intimi intellectus per Dei gratiam perveneris.

I

ORATIO AD ADORANDUM, GRATIAS AGENDUM ET PETENDUM.

Domine Deus omnipotens, æterne et ineffabilis, sine fine atque initio, quem unum in Trinitate, et trinum in unitate confitemur; te solum adoro, te laudo, te benedico, teque glorifico. Tibi, o misericors et clemens, gratias refero, qui me exutum nocte perfidiæ et erroris, participem fieri tribuisti gratiæ tuæ. Perfice, quæso, Domine, cœptum in me opus misericordiæ tuæ. Dona mihi semper cogitare, loqui et agere quæ placita sunt tibi; et gratuita me ubique pietate custodiens, fac me indignum et miserum ad tuam pervenire visionem. Amen.

II

AD LAUDANDUM DEUM.

Versus.

Benedicat nos omnipotens et misericors Deus, qui fecit cœlum et terram. Benedicimus Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum : laudamus et super exaltamus eum in sæcula. Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum, et laudabile et gloriosum nomen tuum in sæcula. Qui timetis Dominum, benedicite Domino : benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem. Cantate Domino, et benedicite nomen ejus : bene nuntiate de die in diem

salutare ejus. Nos qui vivimus, benedicimus Domino; ex hoc nunc et usque in sæculum. Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit mirabilia magna solus : et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, et in sæculum sæculi. Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Laudabo nomen Dei mei cum cantico, et magnificabo eum in laude. Laudent eum cœli et terra, mare et omnia quæ in eis sunt. Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo, quandiu fuero. Suavis sit ei laudatio mea, ego vero delectabor in Domino. Sit gloria Domini in sæculum sæculi, lætabitur Dominus in operibus suis. Laudem Domini loquitur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus in æternum, et in sæculum sæculi. Sit nomen Domini benedictum, ex hox nunc et usque in sæculum.

Gratiarum actio.

Gratias tibi ago infinita misericordia, Domine Deus omnipotens, qui me per aquam sacri baptismatis, et renovationem sancti spiritus ab originalibus vinculis expedisti. Gratias tibi ago, qui me in te credere recte fecisti, et tuorum me fidelium numero sociare dignatus es. Te laudo et glorifico, misericordissime Domine, qui me per universa crimina percurrentem non es passus perire; sed benigne revocans de profundo me iniquitatis ereptum, ad pœnitentiam perduxisti. Te laudo, et glorifico, qui me de æternæ mortis interitu, de pœnis et hujus carnis cruciatibus, in qua affligi dignus

sum, hactenus liberasti. Tibi ago laudes et gratias, qui me de multis mortibus, de multis opprobriis, calamitatibus et miseriis, de immanissimis diaboli laqueis, de immundis desideriis exemptum, diruptis vinculis, quibus tenebar astrictus, perducere dignatus es ad servitium tuum. Tibi ago laudes, et gratias, qui me eripiens a jurgiorum procellis, des mihi servorum tuorum perfrui charite, qui mihi salutem corporis, et animi largiris quietem. Tibi laudes, tibi, Domine, decanto honorem et gloriam, qui quotidie me et sine intermissione delinquentem, et tua præcepta postponentem, tanta adhuc patientia quotidie ad emendationem exspectas. Quæso, Domine Deus meus, qui mihi usque ad præsentem horam tuam misericordiam impendere dignatus es, perfice opus misericordiæ tuæ; libera me a malis omnibus, quæ premunt me, sicuti cœpisti; salva me usque in finem per Jesum Christum servatorem et recuperatorem nostrum, qui tecum et cum Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. Deo gratias, Deo gratias, Deo gratias. Benedicta gloria Domini de loco suo.

III

PŒNITENTIA, ET PUBLICÆ PŒNITENTIÆ GEMITUS.

Versus.

Ego dixi, Domine, miserere mei, quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, multiplicatæ sunt

super capillos capitis mei. Quo ibo a spiritu tuo? Eripe me de inimicis meis, Deus meus. Suscipe me secundum eloquium tuum. Ab occultis meis munda me, Domine. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo. Quoniam iniquitatem ego agnosco. Delictum meum cognitum tibi feci. Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Quoniam tu es patientia mea. Adjutor meus tu es. Sit nomen Domini benedictum.

Confessio peccatorum.

Tibi, Domine Deus, confiteor crimina et delicta. Tu propter ineffabilem pietatem et misericordiam tuam suscipe, quæso, confessionem meam: imo ipse largire, ut toto corde confitear. Tu enim, clementissime Domine, dignatus es dicere: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Multis vitiis infelix sine intermissione deservio, ac propter hoc gravatur anima mea, et corpus meum: unde somniculosus ac torpens, tarde ad orationes et officia accurro, et semper alienatus et negligens assisto. Libidinis stercoribus putrefactus sum, et intus exteriusque totus inquinatus. Pollutum est cor meum, et labia mea, oculi mei, et aures meæ, gustus meus, pariter odoratus et tactus, et usque ad hanc horam cogitationibus vanis sordidatur cor meum. Tristitia demersus sum, acedia dissolutus, iræ facibus inflammatus sum, cupiditatis igne perustus, invidiæ venenis infectus sum, fraterno odio toxicatus, detractione convulsus sum, omni malitia tabefactus, oblivione et desidia hebetatus sum;

fraude et hypocrisi, fragilitate et negligentia languidus, falsitate et mendaciis maculatus sum, vanæ gloriæ levitate turgidus. Sæpe majorum jussa contempsi. Sæpe rebellans et murmurans exstiti. Sæpe corde tumido excusationes falsas objeci. Promisi de his et hujuscemodi malis emendationem, et semper in eisdem relabor. Promissiones meas, quibus me sanctam regulam scrutaturum spopondi, momentis singulis violo. Semper infelix, ad vaniloquia, ad otiositatem festino. Heu me! Quantæ impietates, quantæ diversæ tenebræ lacerant mentem meam! Quæ universa, nisi ineffabili bonitatis tuæ misericordia repellas ac deleas; mortua est in peccatis anima mea. Plura sunt mala mea, in quibus per ignorantiam lapsus sum: plura, quæ animo meo exciderunt. Innumera sunt omnino mala, quæ miser commisi, et quanta enarrare non sufficio: pro quibus omnibus mihi perdito tormenta pariter, et vermes, et ignis paratur æternus. Sucurre, Domine Jesu Christe, mihi miserrimo et captivo; et ne me perire patiaris, quem dignatus es redimere pretioso sanguine tuo. Ne perdas me cum peccatis meis, neque in æternum reserves mala mea. Ne projicias me a facie tua, ne despicias me, neque confundas me peccantem in te. Reminiscere miserationum tuarum. Qui facis magna et mirabilia absque numero, serva me gratuito munere tuo. Qui non sprevisti publicanum, ne spernas me. Qui latroni in cruce posito subvenisti, subveni mihi. Qui mulieri peccatrici flenti ad vestigia tua misertus es, miserere mei. Cui est cum Deo

Patre et Sancto Spiritu æquus honor, et par gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IV

SUPPLICATIO PRO GRATIA VIRTUTES OMNES CONSEQUENDI ET VITIA CONTRARIA EMENDANDI.

Versus.

Custodi animam meam, et eripe me, Domine; non confundar, quoniam invocavi te. Confundantur et deficiant, detrahentes animæ mæ; operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala mihi. Exsurge, Domine, præveni eos, et subverte eos, eripe animam ab impio, frameam inimicorum de manu tua. Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui. Intende animæ meæ, et libera eam, propter inimicos meos eripe me. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias. Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te, miserere mei et exaudi me. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, et dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Intret oratio mea in conspectu tuo : inclina aurem tuam ad deprecationem meam, Domine. Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine, secundum eloquium tuum eripe me. Eripe me, Domine, ab homine malo; a viro iniquo libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me. Convertantur inimici mei retrorsum, in quacumque

die invocavero te, ecce cognovi quoniam Deus meus es tu. Fac mecum, Domine, signum in bonum, ut videant qui me oderunt, et confundantur. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Postulatio.

Præsta mihi, Domine, spiritum, ut te tota cordis intentione exquiram; deinde ut digna petam; postremo ut petitionum mearum effectum consequar. Exue me a peccatis præteritis, custodi me ab imminentibus, muni me a futuris. Dona cibi potusque congruentem abstinentiam, castitatis cingulum, cordis labiorumque munditiam, largire mihi patientiam, longanimitatem, benignitatem, modestiam, spirituale gaudium, et perfectum mundi contemptum. Tribue mihi nulli occasionem scandali præbere, simplicitatem puritatemque diligere, instanter ea quæ pacis sunt sequi. Longe fac a me hypocrisim, tribue mihi veram humilitatem, plenam confessionem, perfectam emendationem. Aufer a lingua mea jurandi consuetudinem, mendaciorum nebulam, detractionis pestem, murmurationis ingluviem, scurrilitatis ac stultiloquii vanitatem. Pone custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Concede mihi, quæso, majorum subdi imperiis, et alacri corde ad obedientiam, ad compassionem, ad concordiam, sine mora concurrere. Da mihi in omnibus discretionem, ut possim inter bona malaque discernere, ut bonos valeam ad meliora exhortari, et eos qui adverse gradiuntur, ad tuæ

rectitudinis lineam revocare. Excita torporem meum, et desidiam meam tuis stimulis, et fac me strenue perseverare in præceptis et laudibus tuis. Dona mihi prudentiam, justitiam, fortitudinem, sive temperantiam. Largire mihi fidem rectam, spem inconcussam, charitatem perfectam. Infunde cordi meo spiritum sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, atque timoris tui. Dona mihi, Domine, benedictionem de rore cœli, et de pinguedine terræ : da irriguum superius, et irriguum inferius. Concede miseræ animæ meæ liquefieri igne charitatis tuæ, fac me tuo desiderio mundo funditus exstingui. Concede mihi cor habere contritum et humiliatum coram te semper. Largire, me in conspectu tuo per ignem compunctionis hostiam vivam fieri. Summa æterna lux, illumina me. Summa æterna virtus, libera me. Summa æterna fortitudo, conforta me. Summa æterna sapientia, depelle tenebras ignorantiæ meæ. Summa æterna misericordia, miserere mei. Dona mihi toto corde meo, tota anima mea, totis viribus meis, exquirere faciem tuam semper. Et perduc me misericors ad tuam sanctissimam visionem. Adsit, quæso, mihi beatorum angelorum tuorum pia custodia, et præsta ut apud te pro me felicissima sanctorum tuorum agmina intercedant. Concede mihi fragilissimo dilecti tui Filii sequi et imitari vestigia, ut merear consequi misericordiam tuam et ad gaudia pervenire promissa.

Alia oratio ad Patrem in nomine filii.

Deus ineffabilis et incircumscriptæ naturæ, institutor omnium rerum, et Domini nostri Jesu Christi Pater, qui eumdem dilectum Filium de sinu tuo misisti ad publicum nostrum, suscipere nostram vitam, ut nobis daret suam; obsecro te, ut des mihi cum eodem Filio tuo te in omnibus benedicere et glorificare, quia quorum una est substantia, unum et datum. Des etiam mihi per illum et cum illo peccatorum omnium veniam, et mandatorum tuorum custodiam; dilectionem tuam, et fraternum amorem, contra diabolum fortia arma, et erga fratres charitatem perfectam; temperantiam cibi et potus, et libidinis continentiam; auditum castum, et simplicem visum; puritatem cordis, et munditiam corporis; cogitationem mundam, et oris et cordis custodiam, ut nec cor intus iniquitatem concipiat, nec lingua fores parturiat, ut nec falsa loquar, nec vera taceam, nec salutifera abscondam, nec mortifera proferar. Precor ergo, ut des mihi assiduitatem orationis, frequentiam lectionis, ut præcepta tua infatigabiliter legam, et inexplebiliter diligam, et efficaciter compleam, et quidquid in me pravum deprehendero, corrigam; quod rectum est teneam, quod deforme componam, quod pulchrum excolam, quod sanum servem, quod infirmum corroborem. Des insuper mihi despicere temporalia, et æterna diligere, ut mortuum mihi deputem mundum. Nec gaudens, nec lugens de temporalibus,

ut nec metuam aliquid temporale nec diligam, nec blandis corrumpar, nec adversis concutiar. Et quia ipse tuus unice natus dixit : *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, obsecro, Domine, et suppliciter rogo, trahe me tu ad ipsum, et ipse me perducat ad te illuc, ubi est sempiterna vita, et sempiterne beata; æterna securitas, et secura tranquillitas; felix æternitas, et æterna felicitas; ubi est amor perfectus, et nullus timor; ubi est dies æternus, et unus omnium spiritus : ubi tu cum illo, et ille tecum in communione sancti spiritus æternaliter ac sempiternaliter vivis et regnas Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

V

PRO CONTEMPLATIONE ET AMORE CŒLESTIS PATRIÆ, QUÆ NONNISI A MUNDI CONTEMPTORIBUS PERCIPITUR.

Nota. Admonet nos Apostolus, dicens: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens*. Et iterum : *Nostra autem conversatio in cœlis est*. Si ergo nostra conversatio in cœlis est, lugeamus nos in hoc calamitoso itinere, quamdiu exsulamus in hoc a patria. Transcendamus contemplationis pennulis, cuncta quæ cœperunt ex tempore, et cum tempore finiuntur; et ad illam totis desideriis patriam mente volitemus, ad quam in tempore pergitur, sed sine tempore vivitur. Ad accendenda ergo nostra desideria, hos quinque canamus spiritu et mente quotidie : *Sicut ser-*

vus; judica me Deus, et discerne; Te decet *hymnus Deus; quam amabilia sunt; voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Dominum.* Hi etiam in tribulatione mentes consolantur et sublevant.

Versus.

Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem. Illic ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini tuo. Domine, exaudi orationem meam, ad te omnis oratio veniat. Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis. Heu me ! quod incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus cedar, multum incola fuit anima mea. Negavit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum. Defecit cor meum, et caro mea : Deus cordis mei, et pars mea Deus in sæcula. Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? quoniam incola ego sum apud te in terra, et peregrinus sicut omnes patres mei. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter et caro mea. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum tabernaculi gloriæ tuæ. Tene manum dexteram meam, et in voluntate tua deduc me, et cum gloria assume me. Ut videam voluntatem Domini, et protegar a templo sancto ejus. Ut audiam vocem laudationis tuæ, et enarrem universa mirabilia tua. Et ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum. Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo, satiabor dum manifestabitur gloria tua. Domine Deus meus, in æternum

confitebor tibi. Sit nomen Domini benedictum, et ex hoc nunc et usque in sæculum.

Confessio Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Confitebor tibi, Domine, rex cœli et terræ, et honorifico te sacrificio laudis : et quia exteriora mihi munera desunt, quæ sunt in me vota laudationis reddam tibi. Credo te toto corde, et ore confiteor Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, in personis ternionem, in substantia unionem; non corpus, aut in corpore positum, neque in diversis speciebus aut mistum, aut membrorum compagibus effigiatum, sed unius, simplicis, incorporeæ, atque invisibilis naturæ; nihil in te majus aut inferius habentem; sed per omnem modum, ex omni parte sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio veritatem, sine loco ubique totum, sine sinu ubique præsentem, sine extensione omnia implentem, sine contractione ubique occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu infra omnia manentem, sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentem, sine sui initio omnibus initium dantem, sine sui mutatione omnia mutabilia facientem; in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consiliis terribilem, in justitiis justum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis

copiosum, erga delinquentes patientissimum, erga patientes pium; semper idem ipsum æternum ac sempiternum, immortalem atque incommutabilem. Quem nec spatia dilatant, nec brevitas locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent. Cui nec oblivio tollit, nec memoria reddit; nec præterita transeunt, nec futura succedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit; sed ante sæcula, et in sæculis, et per sæcula in æternum vivis. Et est tibi perennis laus, et æterna gloria, summa potestas, et singularis honor, perpetuum regnum, et sine fine imperium : per indefessa et immortalia sæcula sæculorum. Amen.

VI

PRO CUSTODIENDA HUMILITATE, ET COGNITIONE HUMANÆ FRAGILITATIS.

Versus.

Memento, Domine, quoniam pulvis sumus, homo sicut fenum dies ejus, et sicut flos agri, ita efflorebit. Quia spiritus pertransibit ab eo, et non erit, et non cognoscet amplius locum suum. Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Ego dixi in excessu mentis meæ; omnis homo mendax. Memorare, Domine, quæ est mea substantia : non enim vane constituisti filios hominum.

Domine, quid est homo, quod innotuisti ei; aut filius hominis, quoniam reputas eum? humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundum verbum tuum. Vide humilitatem meam, et eripe me: quia legem tuam non sum oblitus. Custodiens Dominus parvulos, humiliatus sum, et liberavit me. Ego vero egenus et pauper sum, Dominus curam habet mei. Sit nomen Domini benedictum, et ex hoc nunc et usque in sæculum.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in hunc mundum propter peccatores de sinu Patris advenisti, ut nos de eodem peccato redimeres, quia scio et credo; non propter justos, sed propter peccatores in terra habitare voluisti. Exaudi me, Domine Deus, peccatorem et culpabilem, et indignum et negligentem, et obnoxium. Tibi confiteor omnia peccata mea, omnia mala mea, quidquid in hoc sæculo gessi, delicto meo, actu, sive iniquis cogitationibus, de omnibus veniam peto. Peccavi : tamen te non abnegavi, quia scio et credo quia tu Pater es. Indulge mihi, Christe. Te laudo, te magnifico, te glorifico, Trinitas sancta. Tibi gratias ago in omnibus infirmitatibus meis, quia non habeo spem in alium, nisi in te, Deus meus. Ad portum Ecclesiæ tuæ, Christe, confugio, et ante pignora sanctorum tuorum prostratus indulgentiam peto. Precor et supplico tibi, Deus, ut mihi concedere digneris pro tua misericordia misericordiam, et pietatem usque in finem meum, et in illa hora tremenda, quando anima mea

migratura erit de corpore meo. Præsta mihi sensum rectum, fidem rectam, et credulitatem. Omnipotens Deus, Deus meus, exaudi me, ut animam meam liberare digneris de inferno inferiori. Deus omnipotens, libera me de pœna infernali. Deus omnipotens, libera me de igne inexstinguibili. Deus omnipotens, libera me de protoplasto Satana. Deus omnipotens, libera me de vermibus immortalibus. Deus omnipotens, libera me de mansione impiorum. Deus omnipotens, libera me de angustia æterna. Deus omnipotens, liberare digneris animam meam de tenebris exterioribus. Quia in te confido, quia opus manuum tuarum sum ego, ne me despicias, Christe. Rogo sanctam ac beatissimam matrem nostram Mariam, rogo vigenti quatuor seniores, omnes sanctos angelos tuos deprecor, omnibus sanctis patriarchis et prophetis supplico, omnes apostolos et martyres, et confessores tuos, atque virgines rogo : similiter omnes sanctos tuos, et electos Dei invoco in auxilium meum. Et in illa tremenda hora, quæ anima mea egressura erit de corpore meo, sancte archangele, deprecor, qui animarum accipiendarum accepisti potestatem, ut animam meam suscipere digneris, quando de corpore erit egressura : et libera eam de potestate inimici, ut pertransire possim portas inferorum et vias tenebrarum, ut non se opponat leo vel draco, qui consuetus est animas inferorum recipere, et ad æterna tormenta detrahere. Te deprecor, sancte Petre, princeps apostolorum, qui tenes claves regni cœlorum, et accipiendarum animarum accepisti potestatem, ut por-

tam paradisi mihi aperire digneris. Domine Jesu Christe, fili Mariæ, processum do tibi, ut agas de ánima mea pietatem et misericordiam, quia in te speravi. Christe Redemptor mundi, quando occursurus sum, ne sim expulsus a facie tua, quia non mereor coronam vel veniam, nisi mihi concedere digneris. Auxiliatrix sit mihi sancta Trinitas, exaudi me, Domine, qui es Deus meus vivus, et virtus mea, judex justus. Tu medicus potentissimus. Tu es sacerdos in œternum. Tu dux ad patriam. Tu lux mea vera. Tu dulcedo mea sancta. Tu sapientia mea clara. Tu simplicitas mea pura. Tu anima mea catholica. Tu concordia mea pacifica. Tu custodia mea tota. Tu perfectio mea tota. Tu salus mea sempiterna. Tu misericordia mea magna. Tu vita mea immaculata. Tu patientia robustissima. Tu redemptio mea facta. Tu resurrectio mea sancta. Tu vita perpetua. Te rogo, te deprecor, ut per te ambulem, ad te perveniam, in te requiescam, et ad te resurgam. Exaudi me, Domine. Memento, Domine, David, sicut jurasti patribus nostris, ut avertas iram tuam a famulo tuo. Angelus Michael, Angelus Raphael, omnes Angeli, omnes Archangeli, omnes Throni, omnes Dominationes, omnes Principatus et Potestates, omnes Patriarchæ et Prophetæ, omnes Apostoli et Martyres, omnes Confessores et Virgines, in adjutorium et auxilium assistant mihi, per Dominum nostrum Jesum Christum. Domine, de limo terræ formasti me, ossibus et venis compegisti me. Domine, pro tua pietate salvum me fac. Pax hic, Deus hic. Domine, exaudi orationem meam, et

clamor meus ad te veniat. Quia tibi soli peccavi et malum coram te feci : quia peccata mea innumerabilia sunt valde. Veniam pro his peto, Domine, peccatis et negligentiis meis, pro vana gloria, pro concupiscentia carnali, pro delectatione, pro murmuratione, invidia, superbia, pro cogitationibus meis iniquis, pro hoc quod ego ad opus Dei tarde venio. Peccata mea nec dicere, nec nominare possum. Reus sum, iniquitates meas, et malitias meas non abscondi, quia scio et credo quod tu pius Pater es. Ne me derelinquas, Pater misericors, sed dignare indulgere quod malum egi. Succurre mihi pius, invisibilis, dulcis, et amabilis, antequam porta inferorum absorbeat me, antequam veniat pars inimici mei. Tu mihi manus porrige, et lumen ostende, ut nulla potestas inferni invadat me in illa hora, quando anima mea assumptura erit de corpore meo. Piissime Deus, misericors Deus, clementissime Deus, te laudo, te magnifico, tibi gratias ago : qui me salvasti per noctem, jubeas me servari per diem. Fac me, Domine, tuam gratiam invenire, te amare, te laudare et timere, tibi servire, et diligere omnibus diebus vitæ meæ. Deus, tibi commendo vitam meam. Miserere mei, Domine gloriæ, qui es unus et verus, et solus et justus, et in quo omnia, et per quem omnia facta sunt. Exaudi me, Domine, orantem; sicut exaudisti tres pueros de camino ignis ardentis. Parce animæ meæ, parce malis meis, et cunctis criminibus meis. Christe Deus meus, pone te ante me, si exsultat inimicus meus contra me. Ego dormiam, et cor meum vigilet.

Angeli tui, Domine, me custodiant tam per diem, quam per noctem. Deus omnipotens, emitte Spiritum tuum bonum et rectum, qui animam meam et corpus meum custodiat. Peccavi, Domine, peccavi in lege Dei, verbis, factis, et cogitationibus. Multa sunt peccata mea. Negligens fui de opere Dei, et de ordine meo. Precor te, beata Virgo Maria, et omnes Sancti Dei, orate pro me peccatore. Misereatur mei omnipotens Deus, et donet Dominus Deus verus veram humilitatem, veram pœnitentiam, veram indulgentiam, sobrietatem, tolerantiam, bonam fidem, bonam perseverantiam. Illuminet me Spiritus sanctus, indulgeat mihi Dominus omnia peccata mea hic et in futuro. Amen.

VII

IN TENTATIONIBUS MALIGNORUM SPIRITUUM.

Versus.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum tribulor, a timore inimici eripe animam meam. Tribulationes cordis mei dilatatæ sunt, de necessitatibus meis eripe me. Statuisti in loco spatioso pedes meos, miserere mei, Domine, quoniam tribulor. Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, et ne repellas usque in finem. Ne tradas me a desiderio meo peccatori, cogitaverunt adversum me, ne derelinquas me, ne unquam exaltemur. Exsurge, Domine, non prævaleat homo, judicentur gentes in conspectu tuo. Exsurge, Domine Deus meus, exaltetur manus

tua, ne obliviscaris pauperis in finem. Tu autem, Domine, ne longe facias auxilium tuum a me, ad defensionem meam aspice. Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis, et de manu filiorum alienorum. Quoniam alieni insurrexerunt in me, et fortes quœsierunt animam meam : et non proposuerunt Dominum ante conspectum suum. Et tu, Domine, fac mecum misericordiam propter nomen tuum, quoniam suavis est misericordia tua. Libera me, quoniam egenus sum, et pauper sum ego, et cor meum conturbatum est in me. Ne tradideris me in animas persequentium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui. Disperge illos in virtute tua, et destrue eos protector meus, Domine. Adjutor meus et liberator meus esto, Domine, ne tardaveris. Sed et lingua mea meditabitur justitiam tuam, dum confusi et reveriti fuerint, qui quærunt mala mihi. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum. Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. Exsurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum.

Oratio.

Præsta mihi, Domine, profectum quærendi legem tuam, et peccatorum omnium remissionem, ut qui desiderio magno ad lumen Scripturarum tuarum pervenire cupio, nullis peccatorum caligationibus oculi mei obscurentur. Attrahe me ad te virtute omnipotentiæ tuæ. Non me derelinquas in propria voluntate vagari, quem pre-

tiososanguine redemisti. Imaginem tuam in me non sinas obscurari ; quæ si te præstante defendatur, semper egregia est. Non diabolo liceat tua dona subvertere, quia totum fragile est, quidquid tibi nititur obviare. Audi me, pie rex, clamantem pro peccatis meis, et prius illa a me remove, quam pro eisdem in tua examinatione condemner. Quid mihi mea insidiatur iniquitas? quid contra me delicta mea confligant? Creaturam tuam evertere cupiunt, quæ nulla substantiæ firmitatæ subsistant. Dicat certe diabolus, cur me insaturabili dolore prosequitur? Numquid ego illi dedi, ut tibi, Domine, superbus existeret, et de beatitudine collocata caderet, cum tantæ virtutis insignia possideret? Sufficiat illi, quod me in Adam perdidit : quare me quotidianis deceptionibus impius calumniator insequitur; et sicut ille a gratia tua per culpam suam cecidit, me quoque, ut ab eadem separet, exquirit? Concede mihi, Domine, contra hostem crudelissimum, pium tuæ defensionis auxilium ; ut sicut ille fragilitatem meam non desinit impugnare, ita tuis cogatur viribus confusus obscedere. Non permittas, bone rex, in me sævissimum hostem sua vota complere, qui te graviter elegit offendere. Quid me sicut leo rugiens circuit, quid me devorare contendit? Semel illi in baptismate sacro renuntiavi, semel tibi Domino credere professus sum. Talem me perpetua defensione concede servari, qualem me fieri per aquam regenerationis, Creator altissime, præstitisti. Et quia tuus esse cœpi, alium dominum nesciam ; ut quia tua gloria redemptus sum, tua mandata te donante faciam.

Quod si me relinquis, statim ille tergiversator invadit, qui indefessus atque impudens semper assistit, lucra sua computans humanas ruinas. Qui ideo blanditur ut decipiat, ideo instigat ut perimat. Maxime per corpus nostrum animas nostras decipit, et ita per desideria humana diffunditur, ut nulla providentia, nullo prorsus consilio sentiantur. Longum est per cuncta discurrere : tali quis posset obsistere, nisi tu, Domine, decreveris obviare? Quid enim mihi non potest facere, qui te in meo corpore ausus fuit per subdola machinamenta tentare? Exaudi me, o custos hominum; et me ab illo indulgentia tua libera, qui me trahere nititur ad gehennam. Cum illo partem non habeam, ut tecum, Domine, possim habere. Vindica fabricam tuam ab illo, qui destruit. Damnari alios non faciat, qui seipsum damnavit : sed potius ille cum suis pereat, qui perdere cuncta festinat. Me vero omnipotens libera, et eripe ab hoste generis humani, et perduc me ad gaudia æterna, ubi sine fine lætari merear. Amen.

VIII

IN TRIBULATIONIBUS VARIIS, QUÆ AB HOMINIBUS INFERUNTUR.

Versus ut supra.

ORATIO.

Christe, Fili Dei vivi, virtus et una indiscreta majestas, orationis meæ tota substantia; invoco nomen tuum sanctum : exaudi me cum corde luctantem, et agnoscentem

peccata facinorum, et cogitationum crimina confitentem. Frange, Domine, artes diaboli, obrepentibus aliis aliud suggerendo. Ipsa enim orationem in alienationem captivat. Respice, Domine, lacrymas meas; et cum lacrymæ non sunt, indulgentia tuæ pietatis infunde. Custodi in me immaculatam fidem, meque cum proximis meis semper in pace reconcilia; fructus tuos, panis ac vini, propria largitate distribue. Tibi inclino cervicem, tibi genua flecto. Te Dominum meum, cum sis unus, in sancta Trinitate confiteor. Frange, Domine, contra me omnium potestatem, erue me jacentem; et ea quæ explere non possum, quasi sint postulata, concede. Amen.

IX

POST TRIBULATIONEM DE ACCEPTO GAUDIO GRATIARUM ACTIO.

Versus.

Cum invocarem te, exaudisti me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Lætabor et exsultabo in te, et psallam nomini tuo, Altissime. Exsultavit cor meum in salutari tuo : cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini Altissimi. Narrabo nomem tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Quoniam respexisti humilitatem meam; nec conclusisti me in manus inimici. Confitebor tibi, Domine, in sæcula, quia fecisti : et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est ante conspectum san-

ctorum tuorum. Protexisti me a conventu malignantium, et a multitudine operantium iniquitatem. Propterea confitebor tibi in populis, Domine, et nomini tuo psalmum dicam. Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia solus. Ego aute msemper in te speravi, Domine, et adjiciam super omnem laudem tuam. Mihi autem adhærere Domino bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Per singulos dies benedicam te, et laudabo nomen tuum in æternum, et in sæculum sæculi. Quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Oratio.

Benedictum nomen tuum, Domine Deus patrum nostrorum : qui cum iratus fueris misericordiam facis, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant nomen tuum. Ad te, Domine, faciem meam converto, tibi omnia peccata mea confiteor. Tu nosti omnia, antequam fiant. Tu scis, quia post baptismum præcepta tua contempsi, et mandata tua non custodivi; et bonum quod potui facere, per negligentiam non feci : et malum quod non debui facere, per audaciam perpetravi. Et per concupiscentiam multa mala feci in visu, in auditu, in gustu, in odoratu, et tactu : in cogitatione, et in locutione, et in opere. Et quod in sacrosancto baptismate coram Angelis et sanctis tuis promisi, non custodivi, sicut debui; nec adimplevi, sed contempsi, et præceptis tuis non

obedivi, sicut debui : sed superbiendo, irascendo, contemnendo, negligendo, proprias voluntates faciendo, murmurando, detrahendo, dijudicando culpas incurri. Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea non sunt abscondita. Aspice in me confitentem peccata mea coram te, et miserere mei. Concede mihi in hoc sæculo agere veram pœnitentiam, et in futuro da mihi indulgentiam, quia tu dignatus es dicere : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat*. Effunde super me misericordiam tuam, et dimitte omnia peccata mea, quæ conscientia mea metuit, et adjice quod oratio non præsumit. Et da mihi perseverantiam in bonis operibus, ut te miserante pervenire merear ad gloriam regni tui, Salvator mundi, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

X

PRO IPSO DIEI INITIO.

Versus.

Conserva me, Domine, quoniam in te speravi; dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi, Domine. Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te, Domine, levavi animam meam. Dirige me in veritate tua, et doce me : quia tu es Deus salutaris meus, et te sustinui tota die. Deduc me, Domine, in via tua; et ambulabo in veritate tua. Averte oculos meos, ne videant vanitatem. In via tua vivifica

me. Legem mihi constitue in via tua, et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Et misericordia tua subsequatur me, omnibus diebus vitæ meæ. Sed et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Oratio.

Gratias tibi ago, omnipotens Pater, qui me dignatus es in hac nocte custodire. Deprecor clementiam tuam, piissime Domine, ut concedas mihi diem venturum sic peragere in tuo sancto servitio, cum humilitate et discretione, qualiter tibi complaceat servitus nostra : et præsta mihi hodie cum summa patientia tibi gratum exhibere servitium. Immitte, quæso, Domine, angelum tuum in circuitu nostro, et eripe nos ab impiis, qui in circuitu ambulant; ut viam mandatorum tuorum absque omni errorum scandalo inoffenso pede currere valeamus, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

XI

ORATIO PRO SE ET PRO OMNIBUS ALIIS.

Pie exaudibilis Domine Jesu Christe, exaudi me indignissimum peccatorem supplicantem, per interventum et meritum beatæ et gloriosæ semper Virginis Mariæ genitricis tuæ, et omnium civium supernorum. Ecclesiæ tuæ

sanctæ catholicæ fidem auge, pacem tribue Papæ nostro, episcopoque nostro, abbati nostro, et omni huic congregationi; principibus quoque nostris, consanguineis, parentibus, et tua mihi charitate conjunctis; etiam sua nobis munera largientibus, persequentibus et calumniantibus nos; omnibus, qui pro nobis implorant sanctum nomen tuum, vel qui pro se nos miseros apud tuam clementiam supplicare voluerunt. Nobis quoque peccatoribus remissionem et indulgentiam tribue omnium peccatorum, infirmis salutem, lapsis reparationem, aeris commoditatem navigantibus, et itinerantibus iter prosperum ac salutis portum, tribulatis gaudium, oppressis relevationem, captivis, vinctis, et peregrinis remissionem, absolutionem, ad patriam reversionem propitius concede. Amen. Angelum tuum sanctum nobis hic et ubique largire custodem et defensorem, mutuam discordantibus charitatem, infidelibus veram fidem, defunctis parentibus nostris, patribus, fratribus, seu omnibus in tua fide quiescentibus indulgentiam tribue delictorum. Amen.

Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam meam, qui peccavi tibi. Sacerdotes tui induant justitiam, et sancti tui exsultent. Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditatem tuam, et rege eos, et extolle eos usque in sæculum. Memento congregationis tuæ, quam creasti ab initio. Liberasti virgam hæreditatis tuæ. Ne tradas bestiis animas confitentium tibi : animas pauperum tuorum ne obliviscaris in

finem. Domine, Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. Domine, Deus virtutum, exaudi preces nostras, auribus percipe, Deus Jacob. Et tu, Domine, Domine, fac nobiscum misericordiam propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua. Protege nos a conventu malignantium, et a multitudine operantium iniquitatem. Mitte nobis auxilium de sancto, et de Sion tuere nos. Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua : secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Prætende, Domine, misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde. Complaceat tibi, Domine, ut eripias me : Domine, in auxilium nostrum respice. Exsurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum.

XII

PRO DEFUNCTIS.

Versus.

Animæ morientium fratrum nostrorum in bonis demorentur, et semen eorum hæreditate possideat terram. Non veniat eis pes superbiæ, et manus peccatorum non moveant eos. Accipiant benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. Exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia. Tu autem, Domine, ne longe facias misericordias tuas a me : misericordia tua et veri-

tas tua suscipiat eos. Da eis, Domine, protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscipiat eos. Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa eos deducat in montem sanctum tuum, in tabernacula tua. Et habitent in tabernacula tua in sæcula; protegantur in velamento alarum tuarum. Tu autem, Domine, miserere eis, et resuscita eos, et confirma eos in conspectu tuo in æternum : ut inhabitent in domo tua, in longitudine dierum.

Oratio.

Ne reputes, piissime Domine, peccata quiescentium fratrum meorum, vel eorum qui mihi conjuncti tua charitate exstiterunt; ut his atque omnibus in tua fide defunctis digneris æternam concedere requiem.

Da, quæso, Domine, requiem omnibus fratribus nostris, qui de hac luce in confessione tui nominis migraverunt, et nobis miserere. Amen.

XIII

ORATIO PRIUSQUAM CORPUS DETUR QUIETI.

Versus.

Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto, et de Sion tuere nos. Protege nos a conventu malignantium, et a multitudine operantium iniquitatem. Illumina faciem tuam super servum tuum, et salvum me fac in tua misericordia. Domine, non confundar, quoniam invocavi te. Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce

me justificationes tuas. Quoniam tu illuminas lucernas meas, Domine Deus meus, illumina tenebras meas.

Oratio prima in dormitorii cellula.

Benedic, Domine, quæso, cellulam istam, ut qui in umbra alarum tuarum speramus, ab omnibus insidiis dæmonum, virtutis tuæ potentia tueamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Alia.

Huic cellulæ, quæso, Domine, præsens adesto, ut caterva dæmonum contrita effugetur.

Item oratio.

Domine, quem neque spatia dilatant, nec brevitas locorum angustat, hanc cellulam, quæso, presentiæ tuæ luce perfunde, ut tenebrarum auctor confusus abscedat.

Alia.

A face impiorum, quæso, Domine, sub umbra alarum tuarum nos protege, ut ad laudem tui nominis surrecturi, te super nos vigilante securi dormiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Alia.

Gratias tibi ago, Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui me dignatus es in hoc die custodire per tuam sanctam misericordiam; concede mihi hanc noc-

tem tranquillo et mundo corde et corpore sic pertransire, ut pure ad vigilias surgens gratum tibi servitium exsolvere possim

---

ORATIONES SANCTI JOANNIS GUALBERTI.

Gratias tibi ago, infinita misericordia, Domine Deus omnipotens, qui me per aquam sacri baptismatis et renovationem Sancti Spiritus ab originalibus vinculis expedisti. Gratias tibi ago, qui me in te credere recte fecisti, et tuorum me fidelium numero sociare dignatus es.

Domine Deus omnipotens, æterne et ineffabilis sine fine atque initio, quem unum in Trinitate et trinum in unitate confitemur, te solum adoro, te laudo, te benedico, teque glorifico, tibique, misericors et clemens, gratias refero, qui me exutum nocte perfidiæ et erroris, participem fieri tribuisti gratiæ tuæ. Perfice, quæso, Domine, cœptum in me opus misericordiæ tuæ. Dona mihi tempus cogitare, loqui et agere quæ placita sunt tibi, et gratuita me ubique pietate custodiens, fac me indignum et miserum ad tuam pervenire visionem.

Oratio in initio diei, surgendo.

Gratias tibi ago, omnipotens Pater, qui me dignatus es in hac nocte custodire. Deprecor clementiam tuam, piissime Domine, ut concedas mihi diem venturum sic peragere in tuo sancto servitio, in humilitate et discre-

tione, qualiter tibi complaceat servitus nostra; et præsta mihi hodie cum summa patientia tibi gratum exhibere servitium.

Oratio pro sensuum custodia.

Mecum esto, Domine Sabaoth, mane cum surrexero; intende in me et guberna actus meos et verba mea et cogitationes meas. Custodi pedes meos, ne circumeant domum otiosi, sed stent in oratione. Custodi manus meas; sint puræ, mundæ et elevatæ sine ira et disputatione. Custodi os meum, ne loquatur vana, ne fabuletur sæcularia, ne detraham proximo meo, ne invitem alios ad vanum eloquium, sed semper sim promptus ad laudem, tardus ad iram. Custodi aures meas, ne audiant detractionem, nec mendacium, nec verbum otiosum; sed aperiantur quotidie ad audiendum verbum Dei, ut tota die transeam in tua voluntate. Custodi oculos meos, ne videant vanitatem. Dona mihi timorem tuum, Domine, cordis compunctionem, mentis humilitatem, conscientiæ puritatem, ut cœlum aspiciam, terram despiciam, peccata odiam, justitiamque diligam in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio pro se et rectore suo.

Reple corda nostra fide, spe et charitate, obedientia et humilitate atque patientia, et fac nostrum rectorem secundum cor tuum, ut faciat voluntatem tuam ad salutem suam et nostram. Amen.

Oratio pro universis gradibus ecclesiæ.

Universis gradibus, qui in fide sanctissimæ Trinitatis in Ecclesia tua Catholica communiter continentur, miserere, clementissime Deus. Propitiare omnibus in quibuscumque necessitatibus atque miseriis constitutis, et universo populo tuo Christiano, quem pretioso sanguine redemisti. Miserere omnibus catholicis tam vivis quam defunctis, et aversos a via veritatis dignare ad te convertere, ut te toto corde requirant. Et æterna protectione omnes conserva, ut nullis tentationibus a te separentur. Et præsta ut mortuis prosit hæc oratio servi tui ad emundationem delictorum seu levigamentum pœnarum. Tu, Deus magne et terribilis, misericors et amator hominum, tu scis quidquid singulis expediat: obsecramus clementiam tuam, Domine, ut juxta voluntatem tuam fiat nobis omnibus tam vivis quam et fidelibus defunctis, Salvator mundi, qui vivis et regnas, etc.

ORATIONES

PER ORDINEM E LIBRI, DE USU PSALMORUM, SECUNDA PARTE DESUMPTÆ.

I

ORATIO POST PSALMOS, PRO SE.

Liberator animarum et mundi redemptor, Jesu Christe, Domine Deus æterne, rex immortalis, supplico ego pec-

cator immensam et magnam clementiam tuam, ut per modulationem psalmorum, quos ego miser cantavi, liberes animam meam de peccato, et abducas cor meum de malis et pravis perfidisque cogitationibus, et abstrahas corpus meum a servitate peccati, et repellas a me carnales concupiscentias, et eripias me de omni impedimento Satanæ, atque ministrorum ejus visibilium atque invisibilium, et infidelium tuorum, qui quærunt impedire animam meam.

II

ORATIO QUANDO PRO ALIIS PSALMI DECANTANTUR.

Domine Deus omnipotens, creator cœli et terræ, exaudi propitius orationem meam, in qua ego peccator magnificentiam tuam exoro pro famulo tuo *N*... Suscipe, obsecro, per magnam misericordiam tuam, et pro modulatione psalmorum, quos infelix cantavi, petitionem meam; et concede ei in præsenti sæculo vitam et sanitatem, et spatium in ista vita ad pœnitentiam agendam, et in futuro sæculo da ei veniam, et indulgentiam vel remissionem omnium peccatorum, et cum omnibus sanctis tuis, vitam percipere sempiternam. Amen.

III

ORATIO PRO PATRE, ET MATRE, ET OMNI PARENTELA.

Dominator Domine Deus omnipotens, qui mirabiliter cuncta condidisti, et tua dispositione omnia creasti, qui-

que jussisti conditionem propagandæ sobolis ex viro et femina esse, et præcepisti dilectionem et amorem circa patrem matremque exhibere; exaudi me, misericors Deus, clamantem ad te pro genitore meo, et pro genitrice mea, quorum utrumque ex tua providentia mihi humillimo præparare dignatus es; seu et fratribus meis atque sororibus, omnique parentela, qui mihi peccatori ex carnis consanguinitate conjuncti sunt, tam vivis quam et defunctis, quorum nomina et merita tibi Domino Deo universorum cognita sunt, ut protegas eos atque ab omni malo defendas, et in via salutis eos disponas; et ne dies eorum ante finiri sinas, quam per veram confessionem, veramque emendationem suorum omnium delictorum, peccata dimittas, ut carne exutos cœlesti participatione dignos efficias. Exaudi me etiam miserrimum, clementissime Deus, supplicantem ad te pro animabus famulorum famularumque tuarum, illorum et illarum, qui nobis suas largiti sunt eleemosynas, et quorum nomina scripta sunt apud nos, et qui se in nostris commendaverunt orationibus, ut eis tua misericordia beneficia impendas, et in loco tibi placentium collocare digneris, Servator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

IV

ORATIO PRO ABBATE VEL CONGREGATIONE.

Domine Deus æterne et incomprehensibilis, tu solus

nosti corda filiorum hominum. Tu scis quod innumerabilis est iniquitas mea, et quo modo pro aliis rogare valeo, qui pro me ipso idoneus non sum? Tamen, clementissime Pater, secundum multitudinem misericordiæ tuæ suscipe preces servi tui, quas in conspectu majestatis tuæ effundo pro famulo tuo N. Abatte, vel cunctis fratribus, qui sub regimine ipsius esse videmus, ut des nobis omnibus charitatem veram ad invicem et concordiam, quæ tibi sit placita. Aufer a nobis, Domine, omnia mala, et mitte nobis omnia bona quæ sine te nemo habere potest: et da nobis perseverantiam in bonis operibus, ut te miserante pervenire mereamur ad gloriam regni tui, Servator mundi, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Alia oratio.

Dominator Domine Deus omnipotens, in voluntate tua universa sunt posita, tu nosti omnia, antequam fiant. Aspice in nos, et miserere nostri. Tu, clementissime Deus, qui hanc congregationem ad glorificandum nomen tuum sanctum in hunc locum adunare permisisti, da adjutorium tuum sanctum de cœlis nobis servis tuis, ne patiamur detrimentum animæ nostræ; et ne des hanc congregationem in dispersionem, sed conserva eam propter nomen sanctum tuum, et reple corda nostra fide, spe et charitate, obedientia, et humilitate, atque patientia; et fac nostrum rectorem atque Patrem secundum cor tuum, ut faciat voluntatem tuam ad salutem suam

et nostram : qualiter te, Domine, semper mereamur habere pastorem, et in omnibus protectorem. Fiat, Domine, voluntas tua in omnibus nobis, ut te miserante pervenire mereamur ad gloriam regni tui, Servator mundi, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

V

ORATIO PRO FAMILIARIBUS ET OMNIBUS CHRISTIANIS, OMNIBUS COMMENDATIS.

Domine Deus omnipotens, qui ecclesiam tuam toto orbe terrarum in cunctis gentibus dilatare dignatus es, et ab omnibus gradibus qui in ea fideliter continentur, tibi serviri jussisti, et cui singulorum merita cognita sunt, miserere universis familiaribus nostris et omnibus orthodoxis episcopis, abbatibus, presbyteris, diaconis et subdiaconis, acolytis, exorcistis, lectoribus, janitoribus, monachis, clericis, virginibus, viduis, conjugatis, continentibus, pœnitentibus, regibus, principibus, ducibus, judicibus, universis gradibus qui in fide sanctæ Trinitatis in Ecclesia tua Catholica communiter continentur. Miserere et omnibus qui in fide et amore sancti nominis tui nobis eleemosynas suas dederunt, seu in orationibus nostris se commendaverunt, et his quos admisceri in orationibus nostris promisimus, tam vivis quam defunctis, incolumibus atque infirmis, quorum nomina et merita tibi Domino Deo universorum sunt cognita, quia sapientiæ tuæ non est numerus. Exaudi me, piissime et misericors Deus, et miserere omnibus

catholicis adhuc in corpore commorantibus; et aversos a via veritatis dignare ad te convertere, ut te toto corde requirant: et æterna protectione omnes conserva, ut nullis tentationibus a te separentur; et præsta ut mortuis prosit hæc oratio servi tui ad emendationem delictorum seu alleviationem pœnarum. Tu Deus magne et terribilis, misericors et amator hominum, tu scis quid singulis expediat. Obsecramus clementiam tuam, ut juxta voluntatem tuam fiat nobis omnibus, tam vivis quam defunctis fidelibus, Servator mundi, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

VI

ORATIO PRO ELEEMOSYNA.

Domine Deus omnipotens, magne et æterne medice, qui remedium animarum in eleemosynarum distributione fidelibus tuis indulgentiam et remissionem peccatorum misericorditer promisisti; exaudi me, clemens et benigne, pro universis fidelibus tuis, qui nobis eleemosynas suas dederunt, vel in fide tuæ majestatis in orationibus nostris se commendaverunt, tam vivis quam defunctis, incolumibus atque infirmis: et perveniant ad aures misericordiæ tuæ preces meæ, quas pro salute illorum coram te effundo. Ne aspicias, Domine, peccata mea, sed fidem illorum atque illarum, qui nobis in fide tui nominis largiti sunt bona temporalia, ut tu Deus remunerator omnium bonorum retribuere illis digneris

pro parvis magna, et pro terrenis prœmia sempiterna, Servator mundi, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

VII

CONFESSIO MAJESTATIS, ET POSTULATIO VENIÆ.

Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei. Deus, intret in conspectu tuo oratio mea. Inclina aurem tuam ad preces meas, Domine. Deus qui justa postulantes exaudis, ne sis inexorabilis propter nimia peccata et crimina mea, sed propter immensam pietatem tuam exaudi orationem meam, et auribus percipe lacrymas meas, et remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero. Deus qui omnes homines vis servare, et neminem vis perire, serva me a laqueo mortis, et a pœnis inferni, et ab omnibus insidiis inimici mentis et corporis. Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, adjuva me, ut toto corde convertar ad te, et tuis merear inhærere mandatis. Deus, qui mortificas et vivificas, deducis ad inferos ac reducis, da mihi mortificationem carnis, et vivificationem spiritus. Deus, qui suscitas de pulvere egenum, et de stercore elevas pauperem; erige me de lacu miseriæ, et de luto fœcis ad te clamantem, et statue supra petram pedes meos; et immitte in eos, et in os meum canticum novum, hymnum gloriæ tuæ. Deus, qui solus habes immortalitatem, et lucem habitas inac-

cessibilem, libera me a morte perpetua, et ostende mihi lucem miserationum tuarum, et dele iniquitates meas, et doce me facere voluntatem tuam cunctis diebus vitæ meæ. Deus, qui nosti præterita et futura, da mihi veniam delictorum meorum prœteritorum, et de præsentibus et futuris dona mihi continentiam, ut ad tuam merear misericordiam pervenire. Deus, qui magis nos vis esse correctos quam perire neglectos, noli me perdere in delictis meis multis et maximis; sed secundum tuam misericordiam et miserationem corripe me, et a tua misericordia ne repellas me, nec corruam in conspectu adversariorum meorum; et ne dicat inimicus meus, prævalui adversus eum. Deus, cujus oculi respiciunt vias filiorum hominum, respice in me, et miserere mei, et repelle a me quod odisti, et misericors impende quod diligis. Repelle a me, Domine, omnes cogitationes noxias, et omne os pravum, et opus perversum; et dimitte quæ conscientia mea misera metuit, et adjice quod oratio non præsumit. Deus, quia tibi de omnibus cura est, noli me derelinquere in manu consilii mei, et in arbitrio meo sine adjutorio, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens; et quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis omnibus fragilitas mea, et ad salutaria dirigatur. Deus, qui es cordium inspector, da mihi cor quod te timeat, sensum qui te intelligat, opus quod tibi placeat; ut te timendo semper declinem a malo, et te diligendo semper a te custodiar in bono: et da mihi virtutem resis-

tendi contra vitia et insidiatores omnium virtutum. Deus, qui es largitor omnium bonorum, largire mihi fidem, et opus scientiæ et continentiam, charitatem et castitatem, veram patientiam et humilitatem, et voluntariam paupertatem, et perseverantiam bonam in tuo famulatu. Deus, qui es via, veritas et vita, deduc me in viam tuam, ut ingrediar in veritate tua; lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum, et perduc me ad vitam æternam.

Deus, qui es lux vera illuminans corda fidelium, illumina cor meum lumine intelligentiæ tuæ, et da mihi scientiam veram, et repelle a me omnes tenebras ignorantiæ, et tenebras peccatorum meorum expelle a me, Domine, ut in splendore luminis tui semper ambulare merear. Deus, qui facis mirabilia magna solus, fac mecum signum in bonum, ut videant qui me oderunt, et confundantur; quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me, et dicant: hæc mutatio dexteræ Excelsi, esto. Domine, fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me. Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut discam mandata tua, et custodiam illa in toto corde meo, quia in custodiendis illis retributio multa est. Domine, fac mecum secundum misericordiam tuam, quia suavis est misericordia tua. Libera me, quia egenus et pauper ego sum, et cor meum conturbatum est intra me. Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me. Libera me, Deus Israel, ex omnibus iniquitatibus meis.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, et exultabit lingua mea justitiam tuam. Libera me de ore leonis, et a cornibus unicornium, ut enarrem nomen tuum fratribus meis. Liberator meus de inimicis meis iracundis, ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me, nec me patiaris tentari supra id quod possum, quia tu scis figmentum meum, tu scis fragilitatem corporis et mentis meæ. Tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. Deus meus, eripe me de manibus inimicorum meorum, et a persequentibus me, et deduc me de laqueo quem absconderunt mihi, quia tu es protector meus: et illumina faciem tuam super servum tuum, et salvum me fac in tua misericordia. Domine, non confundar, quoniam invocavi te.

VIII

ORATIO PRO COGNITIONE DEI, ET PRO INDULGENTIA DELICTORUM ET PEREMPTIONE DIVERSARUM TRIBULATIONUM.

Miserere, Domine, miserere, Christe; tu misericordia mea miserere mei. Miserere, Domine, miserere, Christe, ut bene rogem te. Miserere, Domine, miserere, Christe, ut dignum me facias exaudiri. Miserere, Domine, miserere, Christe. Exaudias me, ut sciam voluntatem tuam; doceas me, ut in charitate tua enutrias me. Miserere, Domine, miserere, Christe, ut credam in te, ut cognoscam te, ut diligam te. Miserere, Domine, mise-

rere, Christe, ut sperem in te. Miserere, Domine, quia coinquinatum sensum habeo in omnibus concupiscentiis illicitis, et ex omni elatione et ira, et suspicione et hypocrisi. Miserere, Domine Deus omnipotens, ut cognoscam et diligam vinculum charitatis perseveranter. Miserere, Deus, ut a morte perpetua eripias me. Miserere, Deus, ut de omnibus peccatis et criminibus meis veram pœnitentiam et indulgentiam tribuas mihi. Miserere, Deus, ut remissionem omnium peccatorum meorum concedas mihi, ut ab omni tribulatione eripias me, et ab omni immunditia cordis et corporis liberes me, totumque fomitem libidinis exstinguas in me, ac ab omnibus insidiis diaboli et omni malo liberes me. Miserere, Domine Deus, miserere, ut anima mea vivat in te, et vita mea proficiat in te. Miserere, Domine Deus Pater, gloria mea, vita mea, salus ac fortitudo mea. Miserere, Spiritus paraclete, consolatio et illuminatio mea. Miserere, miserere, Trinitas et unitas. Te laudo, te adoro, te confiteor, pax mea, spes mea, laus, vita, pulchritudo et beatitudo mea, confidentia et fiducia mea, remissio facinorum et flagitiorum meorum : amor ac firmamentum meum, refugium, liberator, et susceptor Deus meus : doctor, medicina, gubernator ac redemptor meus, requies mea, sanitas et delectatio mea, testis et judex meus, sancta Trinitas, inseparabilis unitas. Deus omnipotens, me ab omni malo liberare digneris, et tua sempiterna benedictione benedicere, qui es Deus benedictus, ineffabilis et incorruptibilis in sæcula sæculorum. Amen.

IX

ORATIONES PRO CONFESSIONE PECCATORUM.

Confiteor, quia propter corporis mei suavitatem et delectationem, Dei præcepta postposui, et sœpe vigilias sanctas dimisi, et somnolentiam meam explevi : desidiam, mollitiem, pigritiam, torporem, ignaviam, plenus fastidio spirituali secutus sum. Per superbiam et elationem Dei præcepta transgressus sum, et me meliorem cœteris putavi : de multis rebus voluptates carnales, et immunditias, ebrietates, comessationes, convivia, manifeste et occulte perpetravi, et in his totis sensibus meis, tanquam in deliciis delectans male suaviterque requievi. Dominicorum dies, et sanctas Dei solemnitates, et sanctorum festivitates indigne, et sine Dei timore deduxi, et nihil spirituale in his meditatus sum, sed totum carnaliter egi, intentus ad saturitatem ventris, et ad dissolutionem risus, et joci vani discursus : religiosum statum cum timore Dei reverenter, prout debui, non custodivi. In sancta ecclesia, dum ad opus Dei accessi et interfui, multa vana et mala cogitavi, perpetravi et locutus sum ; et sœpe nimio somno gravatus multas perdidi orationes, lectiones et psalmodias cum officiis. Nam et vigilans frequenter alienata memoria discurrit visus meus interior per multas rerum terrenarum dispositiones, et per illicitas oblectationes, vanas ac turpes meditationes,

variosque errores ; unde occupatus sensus meus sine fructu spirituali efficitur.

Alia confessio.

Suscipe confessionem meam, Domine Deus, unica spes salutis meæ. Gula, ebrietate, libidine, tristitia, acedia, somnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate ac superbia perditus sum omnino. Cogitatione, locutione, actione, atque omnibus sensibus meis exsecutus sum ; sed tu, qui justificas impios et vivificas mortuos, vivifica me, et justifica me, Domine Deus meus. Amen.

Alia confessio valde movens ad compunctionem.

Consecrata Dei ministeria, et sanctas reliquias, et sanctos codices, et sancta vasa indignus et pollutus tetigi, et sordide atque negligenter contrectavi. Corpus et sanguinem Domini polluto corde et corpore, sine confessione et pœnitentia, scienter et indigne accepi, nec judicium Dei super me venturum exterritus timui, ut timere debui. Officia, et orationes atque psalmodias vel lectiones negligenter atque irreverenter in conspectu Dei effudi, et multa dimisi, quæ non solvi. Patrem meum et matrem, fratres et sorores, et omnes propinquos meos et Christianos, non, sicut præcepit Deus, dilexi propter Deum, et nec eis honoris obsequium exhibui; sed semper omnibus carnaliter placere volui, quia quæ mea sunt, quæsivi potius, quam

quæ Dei. Adversantes et calumniantes me non solum secundum Dei præceptum non dilexi, nec patienter sustinui; sed insuper malum pro malo ampliatum eis reddidi, et sæpe malum pro bono reddere decertavi. Episcopos, præsbyteros, abbates, monachos, canonicos et omnem clerum Ecclesiæ Dei, nec non et priores meos, seu in sublimitate positos non amavi, nec dilexi, neque honoris obsequium prœbui eis, sicut Deus præcepit, sed insuper vituperavi eos, et detraxi atque dijudicavi. Hospitalitatem non dilexi, veram fraternitatem puro corde non custodivi. Infirmos et incarceratos non visitavi, nudosve operui, ut debebam. Hospites et peregrinos propter Deum non suscepi. Esurientes et sitientes non refeci. Dolentes et flentes non sum consolatus. Discordantes inter se plus ad iram quam ad pacem provocavi. Malum et credere et audire malui quam bonum; et mendacium prius quam veritatem : et quod maxime credere debui, non credidi, et quod non debui credere, credidi. Sæpe ad malum consensi, detrahentes libenter audivi : meipsum per carnalia desideria, et malas cogitationes ac voluntates, et mala opera contaminavi et perdidi, et cui nocere potui, nocui, et diabolo consensi, et voluptati illius peccando me subdidi. Confiteor quia multum peccavi in visu, auditu, gustu, odoratu, et tactu; in pedibus et in manibus meis, et in lingua mea, et in omnibus meis sensibus multa mala perpetravi. Repletus omni iniquitate, malitia et nequitia, feci sacrilegium : reddidi malum pro bonis; et non solum ista, sed et alia mala feci multa, et facientibus con-

sensi. Ego miser peccavi nimis, quia eleemosynas, quas sub obtentu sacerdotii suscepi, male expendi, et in propriis usibus meis ea consumpsi, et illud quod inde debui facere, non feci. Peccavi, quod negligens fui de meo cursu, quem per horas canonicas exsolvere debui; et de mea psalmodia, et de meis orationibus, et de meo ministerio, quod non custodivi secundum ordinem. Peccavi de illis pœnitentibus qui ad me propter confessionem venerunt, quos ego nec secundum canonicum judicium judicavi, nec sollicitus fui de illis, sicut debui. Peccavi erga subditos mihi, quia circa negligentes zelum rectitudinis justo moderamine non tenui, ut debui; et sæpe per inutilem remissionem eis condescendi, quando non debui. Peccavi postquam confessus fui crimina mea quæ perpetravi. Peccavi in desiderio alienarum rerum, et per curiositatem multa vidi oculis meis, et multa audivi auribus meis, quæ nec videre nec audire oportuerat. Sæpe volui publica increpatione eum qui mihi non placuit, confundere, et proximi famam mordaciter carpere, et passim vituperare. Sæpe occulta cordis alieni male dijudicavi. Peccavi, quia injurias mihi factas in mente retinui, et peccantibus in me puro corde non indulsi, et modo dimitto ex toto corde omnibus, qui in me peccaverunt. Peccavi, quia ipsas iniquitates, quas feci in alios, jure dijudicavi, et condemnavi; et aliter me, aliter alios judicavi. Multa dixi, quæ dicere non debui. Multa cogitavi quæ non debui, et multa, quæ cogitare debui bona, non cogitavi. Horrui quod diligere debui, et dilexi quod

non debui. Pro quibus omnibus atque aliis innumeris sceleribus meis; quæ contra legem Dei commisi, ut possem apud Deum invenire indulgentiam, vitam religiosam suscepi; sed miser ego sæpe involvor variis modis in levitatibus, vanitate, negligentia, inquietudine animi, in amaritudine, et stimulis malarum cogitationum, in contumaci eversione, in negligentia boni operis, in prævaricatione religionis, in loquacitate, duritia mentis, in accidia, in indignatione, inobedientia, dijudicatione, murmuratione, et detractione, superbia et rancore animi. Quæ omnia mala coram Deo omnipotente, et sancto hoc altari, et sanctis reliquiis quæ in hoc loco sunt, confiteor pura et vera confessione; et bona voluntate emendare propono, in quantum Dei misericordia dignatur me adjuvare. Ipse enim Deus omnipotens, qui dixit per prophetam : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat;* et iterum : *in quacumque die ingemueris, salvus eris*, et qui me dignatus est ad confessionem peccatorum meorum misericorditer trahere, et mihi virtutem continendi me a malis operibus tribuat, et misereatur animæ meæ, et parcat et remittat ac deleat omnia peccata mea præterita, præsentia et futura, et perducat me et introducat in vitam æternam. Amen.

X

ORATIO AD PETENDUM PURITATEM ANIMÆ ET VIRTUTUM POSSESSIONEM.

Domine, quidquid errans, sciens atque contemnens;

quidquid voluntate, vel infirmitate, seu studio; quidquid subreptione vel meditatione, cogitatu, dicto vel facto, occulte seu manifeste peccavi; quidquid etiam horum aut latet animo, aut patet, aut mordet sensum, aut deludendo quibuscumque modis per securitatem decipit, gratuita pietate tua placatus clementer indulge; nec sine spe veniæ animam meam deseras, quam post perpetrata crimina multa et gravia, ad immensam tuæ pietatis clementiam festinare miseratus inspiras; et cum eam de futuris pœnarum tormentis suspectam esse pateris, de mansuris quoque vitæ æternæ gaudiis, indulta venia peccatorum, semper respirare concedas; et emundatam animi conscientiam a prævaricationum seu omnium vitiorum cogitatione iterum apostatari eam a te, vel irrecuperabiliter inquinari non permittas. Domine, omnem stultitiam cordis mei misericorditer munda, et quæ in me sunt vitiorum secreta purifica, et cor meum, ad expugnandas passiones, tua sancta unctione dilata, sensusque meos ad impugnationum certamina superanda conforta; et fac me digne vitiis meis irasci, ut omnium peccatorum meorum indulgentiam consequar. Domine, fac nos incessanter ante mentis oculos habere timorem tuum, ut in omni loco peccata nostra, et futurum pro eis judicium cogitare ac timere, simulque præcepta tua, et gloriam cœlestem a te datam his qui ea servant, considerare, et semper in mente retinere; quia incessanter tu Deus, qui nos judicaturus es, de cœlo respicis omnes actus et cogitationes nostras, et locutiones nostras, et

quod omni hora Angelus nobis deputatus in cœlo annuntiat facta nostra; et idcirco timentes nunquam recedamus a bonis meditationibus et actibus, sed semper in cordibus nostris tibi placita cogitemus et disponamus. Domine, tribue nobis, ut nullo actu delectemus nostram voluntatem propriam implere; sed omnia secundum tramitem præceptorum tuorum tibi, et superioribus nostris obediendo faciamus. Domine, largire nobis, ut sine murmuratione oris et cordis, omnibus diebus vitæ nostræ simus veraciter subjecti et obedientes tibi, et senioribus nostris. Domine, tribue nobis, ut omnia dura et aspera, et nostræ voluntati contaria, etiam super vires et scientiam nostram nobis injuncta, vel etiam hæc ipsa cum injuriis et contumeliis imperata, simpliciter et humiliter in spe misericordiæ tuæ, absque ulla simulatione patienter et gaudentes suscipiamus, et cum magno desiderio impleamus, etsi impossibilia fuerint nobis, humiliter et patienter suggeramus imperanti impossibilitatem nostram : et si ille suam sententiam nullatenus mutare voluerit, tu operare in cordibus nostris, ut nos confidentes in auxilio tuo, datis nobis divinitus animi viribus et scientia, ex charitate obediamus devote, quia sine te nihil boni possumus. Da nobis, Domine, ut nulla correptione contendere præsumamus, neque ullis sermonibus justos nos conemur ostendere, nec erubescendo deformes aliis apparere, aliquem culpare velimus; sed terra consternati tam diu nos culpabiles et reos confiteamur, quousque commotio animi nos corripientis nostra humili-

tate sanetur. Domine, da nobis, ut omnes nostras malas cogitationes, et mala opera a nobis absconsa humiliter nostro confiteamur superiori; ut per correptionem et admonitionem, diaboli laqueos te auxiliante evadamus, sed et cor nostrum semper sit confitens omnia; cui nihil est absconditum. Domine, tribue nobis, ut semper simus contenti omni vilitate cibi, et potus, ac vestium; ut quæcumque sint vilia ista, in tantum, ut per ea possit corpus nostrum subsistere ad serviendum tibi, non nobis sit cura de melioribus, sed his simus sufficientes absque dolo et hypocrisi. Domine, da nobis ut omnis extremitas placeat nobis quantocumque fuerimus minimi, et posteriores omnibus in sedendo, in stando, et ascendendo, et loquendo, et in omnibus quæ dici possunt, gaudeamus de hoc: et tunc nos vere a te misericorditer respectos æstimemus, et in cordibus nostris gratias tibi agamus. Domine, da nobis ut ad omnia quæ nobis injunguntur, quantocumque sint vilia et abjecta, et omnium ministeriorum minima, indignos nos ad tam honesta faciendum, et corde credamus ac sentiamus, ac perficiamus ea cum magna devotione. Domine, da nobis fructum charitatis et humilitatis, et obedientiæ, et patientiæ, cum vero amore fraternitatis. Domine, tribue nobis ut nos semper ex intimo corde credamus viliores omnibus atque inferiores, et sic haberi nos ab aliis et constitui cupiamus, atque ab omnibus dici, quamvis alii sic nos non æstiment, nec ordinent, neque dicant; et nos non sinas esse hypocritas, ut quasi nos ore nostro fateamur nos esse indignos, et viliores

atque inferiores omnibus esse debere, et sub hac professione humili velimus videri, et haberi ab aliis tanquam justi et religiosi, interius hujus sæculi altitudines, et laudes atque honores appetentes. Neque de illis nos permittas esse quibus si alter eis dixerit quod ipsi de se fatentur ore proprio, vel si ita eos viles aut extremos posuerit ut illis esse debere dicunt, aut statim in contumelias; aut nimiam iram irrumpunt, ut ad hoc usque perveniant quod instigante diabolo, a congregatione cui se sociaverunt recedant; aut certe dolum in corde celantes, iracundiæ tempus reservent : vèl eos qui recte vivere decertant, detrahere et dilacerare injuriis atque impedire non desistant. Ab his, Domine, et hujus modi nervis corda nostra munda. Domine, adjuva nos, et libera nos, et custodi nos; ut nihil agamus nostra præsumptione, nisi quod agendum in monasterio sancta prœcipit regula. Domine, tribue nobis virtutem discrete tacendi, et discrete loquendi, ut interrogati cum humilitate et reverentia respondeamus; et cum interrogamus, cum omni subjectione et reverentia interrogemus, caventes, ne plus aut aliter videamur loqui quam expedit nostræ religioni vel causæ, seu necessitati, unde loquimur; et muni corda nostra, ut nunquam delectemur vana vel superflua gloria, neque inutilia cogitemus, audiamus, loquamur, seu videamus. Domine, miserere nobis, et fac ut non simus faciles ac prompti in risu, sed te tribuente, sit in nobis salutaris contritio et cordis humiliatio, et compunctio, et affluentia lacrymarum, et utilis tristitia. Risus otiosus, carnalis

lætitia, dissolutio et oblectatio, tua virtute pellatur a nobis. Domine, da nobis ut cum loquimur, leviter, cum gravitate, pauca verba salutaria, sine vocis clamore et absque concitatione loquamur. Domine, tribue nobis miseris et indignis ut in omni loco omnique tempore, et omni opere sedentes, stantes, ambulantes, operantes inclinatum et humiliatum habeamus cor coram te, et reos nos omni hora de nostris actibus æstimemus, et repleti spiritu timoris et amoris tui, dicamus singuli in secreto cordis nostri : Domine, non sum dignus ego peccator levare oculos meos in cœlum. Deus, propitius esto mihi peccatori semper, hic et in æternum, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

XI

ORATIO AD CRUCIFIXUM.

Christe, qui pro nobis crucis et mortis patibulum subiisti, ut mortis a nobis expelleres potestatem, et sanguinis tui nos pretio liberares, miserere mei, qui sum humillimus servus tuus, et veniam mihi omnium meorum tribue peccatorum, meque coram adoranda cruce tua prostratum ab omnibus malis eripe, bonis tuis misericorditer refice.

Alia oratio.

Domine Jesu Christe, qui es, et qui eras cum Patre ante sæcula genitus, Deus ex Deo vero, conceptus ex

Spiritu Sancto, et natus homo in fine sæculorum de Maria Virgine semper; qui obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, liberasti nos tuo sancto et pretioso sanguine, destructo mortis imperio, omnibus in te credentibus cœlestis gloriæ aditum reserasti : te Deum verum, et Dominum nostrum suppliciter exoro, sedentem ad dexteram Dei Patris omnipotentis; deprecando infinitam et ineffabilem misericordiam tuam, ut per virtutem hujus salutaris signi crucis et redemptionis tuæ, redimas me miserum, et dignum morte peccatorem ab omnibus criminibus et facinoribus meis, et libera me ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris, et mortifica in me omnia vitia spiritualium et carnalium nequitiarum, et fac me resurgere tecum in virtute gloriæ tuæ, et quæ sursum sunt, cœlestia desiderare et quærere, et ad æternæ beatitudinis gloriam feliciter pervenire, præstante tua immensa clementia, Domine Jesu Christe Deus, et Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu Sancto in unitate essentiæ deitatis omnia creando regis, vivificas, et gubernas, per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

XII

PRIMA HORA HAC ORATIONE ORANDUM EST.

Domine Deus, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tua nos serva virtute, ut in die hac ad nullum declinemus peccatum : sed semper ad tuam justi-

tiam faciendam nostra procedant eloquia. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio ad secundam horam.

Domine Deus omnipotens, qui nos in hanc horam secundam post nocturnas caligines pervenire fecisti, conserva nos hodie per omnium horarum spatia et momenta temporis, et perpetua nos semper fac misericordia permanere illæsos, per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio ad tertiam.

Domine Deus, Jesu Christe, qui hora tertia diei ad crucis pœnam pro mundi salute ductus es, te suppliciter deprecamur ut nostra deleas peccata : ut et de præteritis malis nostris semper apud te inveniamus veniam, et de futuris jugiter habeamus custodiam. Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ad sextam.

Domine Jesu Christe, qui dum hora sexta pro redemptione mundi in crucis ascendisti lignum, universus mundus in tenebras conversus est, illam nobis lucem in anima et corpore nostro semper tribue, per quam ad æternam vitam pervenire mereamur. Qui cum Patre et Spiritu Sancto regnas in æterna sæcula.

Oratio ad nonam.

Domine Jesu Christe, qui nona hora in crucis patibulo

confitentem latronem intra mœnia paradisi transire jussisti, te suppliciter deprecamur, ut post obitum nostrum paradisi nos gaudia introire gaudentes concedas. Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ad vesperas.

Gratias tibi agimus, Domine Deus omnipotens, qui nos per hujus diei cursum in hanc horam vespertinam pervenire tribuisti, te supplices deprecamur, ut ad te elevatio manuum nostrarum sit in conspectu tuo acceptabile sacrificium vespertinum. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio horæ duodecimæ.

Domine Deus, dominator omnium et protector, qui separasti lucem de tenebris, te subnixe precibus exoramus, ut per hanc superventuræ noctis caliginem tua nos protegat dextera, ut in lucis aurora cuncti surgamus gaudentes. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio ad completorium.

Pacem tuam, Domine, da nobis de cœlo, et pax tua, Christe, semper maneat in visceribus nostris, ut non timeamus a timore nocturno.

Alia.

Pacem tuam, Domine, da nobis de cœlo, et pax tua, Christe, semper maneat in visceribus nostris, ut dormia-

mus cum pace, et vigilemus cum Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto regnat in sæcula

---

ORATIONES

EXCERPTÆ EX LIBRO VETERI, CUI TITULUS : OFFICIA PER FERIAS.

ORATIO,

Si quis se in tribulationibus derelictum intelligat, decantanda.

Deus, qui contritorum non despicis gemitum, et mœrentium non aspernaris affectum, adesto precibus nostris, quas pietati tuæ pro tribulatione nostra fundere præsumimus : implorantes, ut eas clementer suscipere digneris, tribuasque, ut quidquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, et consilio pietatis tuæ allidas, ut nullis adversitatibus læsi, sed erepti de omni tribulatione et angustia, læti tibi in Ecclesia tua sancta gratias referamus, per Christum Dominum nostrum : per quem te, summe Deus, rogamus ut preces has attendas propitiabili dignatione, et ad hanc nostram orationem respicias, quam tibi pro ereptione et relevatione nostra a pressura nostræ infirmitatis offerimus. Jam, Domine, respice super nos vultu placabili, et misericordia singulari a nobis amove, quod sævitia malorum permittit, quod inimicorum pravitas infert, quod pravorum in consiliis adversitas alligat, quod ex judicio imminet, quod ex sententia pendet,

quod conspiratione machinatur, quod accusatione confingitur, quod propriæ merentur iniquitates, quod alienis fictionibus alligatur; quod pressuris dejicimur, quod cruciatibus premimur, quod angustiis angustiamur. Non justitia tua, Domine, quæsumus, injustitias nostras exerceas : sed potius pietatem tuam in nostris iniquitatibus manifesta. Non nos in persecutione dejicias : non per intolerantiam perdas, sed per tribulationem exerce, per pietatem attolle, per misericordiam rege : quo per te ab inimicorum jaculis tuti, a præsenti tribulatione exempti, te Deum unum in Trinitate consona collaudemus voce. Qui cum eo unigenito filio tuo Domino nostro Jesu Christo, sanctoque paracleto Spiritu vivis et regnas, Domine Deus omnipotens, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ALIA ORATIO.

Adjuva nos, Deus saluter noster, propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Dimitte, Deus, peccata nostra, et tribue nobis misericordiam tuam oris nostri deprecatus alloquio, ac humilitatem attende, vincula solve, delicta dele, tribulationem inspice, adversitatem repelle, effectumque petitionis nostræ largiens et benignus clementer exaudi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis et necessitatibus laborantibus, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, qui nos in angustiis et necessitatibus nostris

laborantes, consolationibus foveat tuis, quibus et de præsenti tribulatione consequamur auxilium, et æterna remedia comprehendere valeamus. Per, etc.

ORATIO PRO DEFUNCTO.

Libera, Domine, animam servi tui de periculis infernorum, et de periculis tenebrarum, et de persecutionibus multis, et de flammarum gehennæ ignibus. Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldæorum. Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Loth de civitate Sodomorum. Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti populum Israel de manu Ægyptiorum. Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysem de manu Pharaonis, qui antecedebat populum Israel in deserto. Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu Saulis, et de manu Goliæ gigantis. Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Eliam et Enoch de hoc mundo. Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis. Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de manu principum. Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Daniel de lacu leonum. Sicut liberasti, Domine, Jonam de ventre ceti, sic aminam fratris nostri ab omnibus periculis pœnarum liberare digneris, et bonis æternis cum electis tuis eam perfrui jubeas. Per, etc.

CONFESSIO PECCATORUM POST ACCEPTAM QUIETEM.

Confiteor tibi, Domine, omnia peccata mea, quæcumque feci, et egi, et gessi omnibus diebus vitæ meæ. Deus, qui creasti omnia, tu nosti peccata mea : indulge et miserere mei, quia nimirum peccavi tibi, Domine, miserere mei. Per intercessionem omnium Angelorum atque Archangelorum, miserere mei. Per intercessionem Patriarcharum et Prophetarum, miserere mei. Per intercessionem Apostolorum, Martyrum, Confessorum, et Virginum te deprecor, miserere mei. Domine, si in te peccavi, tamen te non dereliqui, deos alienos non adoravi : miserere mei, Domine, veniam peto a te pro omnibus culpis meis. Pius Deus, tibi confiteor peccata mea, quia crimina agnosco in me. Deus, propitius esto mihi peccatori servo tuo : non me deseras, non me derelinquas, Deus meus. Pius Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis : misericors Deus clementissime, adjuva me peccatorem famulum tuum. Domine, mollifica cor meum durum et lapideum, qui sum cinis mortuus. Salva me, Domine, vigilantem, custodi me dormientem; ut dormiam in pace, et vigilem in Christo. Amen. Deprecor te, Domine, ut omnes, qui mihi bona volunt aut faciunt, redde illis in æternum : et si qui mihi mala volunt aut faciunt, da illis indulgentiam. Misericors Deus, da mihi famulo tuo remissionem peccatorum, et finem perfectum; perduc me ad viam salutis.

Alia oratio. Fiat mihi, quæso, Domine, fides firma in

corde, galea salutis in capite, signum Christi in fronte, verbum veritatis in ore, voluntas bona in mente, dilectio Dei in pectore, præcinctio castitatis in circuitu, honestas in actione, sobrietas in conscientia, humilitas in prosperitate, patientia in tribulatione, spes in Creatore, perseverantia usque in finem, amor vitæ æternæ; præstante Domino.

ORATIO SANCTI BENEDICTI.

Digneris mihi donare, Pater pie et sancte, intellectum qui te intelligat, sensum qui te sentiat, animum qui te sapiat, diligentiam quæ te quærat, sapientiam quæ te inveniat, animum qui te cognoscat, viscera quæ te ament, cor quod te cogitet, actum qui te augeat, auditam qui te audiat, oculos qui te videant, linguam quæ te prædicet, conversationem quæ tibi placeat, patientiam quæ te sustineat, perseverantiam quæ te exspectet, finem perfectum, præsentiam tuam sanctam, resurrectionem bonam, retributionem, vitam æternam. Amen.

GRATIARUM ACTIO.

Tibi ago laudes et gratias, Deus meus, misericordia mea, qui me ad tuam cognitionem perducere, et per sacri me baptismatis ablutionem inter adoptionis tuæ filios aggregare dignatus es. Tibi ago laudes et gratias, qui me ab ipsis rudimentis infantiæ usque ad hanc horam per multa defluentem vitia, immensæ bonitatis tuæ patientia ad emendationem exspectas. Te laudo et glorifico,

qui me sæpissime de multis tribulationibus et angustiis, calamitatibus et miseriis liberasti, qui me hactenus de æternis suppliciis, de corporis hujus cruciatibus exemisti. Te laudo et glorifico, qui mihi sospitatem membrorum, tranquillitatem temporum, et honorem, affectum et charitatem : si qua etiam dona sunt in me tuæ pietatis, conferre dignatus es. Quæso, Domine Deus, inæstimabilem suavitatis tuæ clementiam; ut inchoata in me bona perficias. Quidquid in me tibi displicet, repellas; a cunctis me, quæ supersunt, tribulationibus, iniquitatibus ac diversis malis eripias. Cogitationes meas, locutiones pariter et actus in tua voluntate dirigas; et ne auferas animam meam de hoc mundo, priusquam emendari studeat in tua voluntate. Inter adversa me et prospera gradientem semper et ubique custodias : et ad tuæ me visionis iterata gaudia quandoque perducas. Amen.

ORATIO PRO FAMILIARIBUS.

Libera nos, quæsumus, Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, ab omnibus vitiis, et de insidiis inimici. Protege nos ab omni tribulatione et potestate iniqua, ut magnificetur nomen tuum et majestas tua; ne dicant gentes, ubi est Deus eorum? Deus autem noster in cœlo, omnia quæcumque voluit, fecit. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos : ne ulla potestas humana iniqua nobis nocere valeat in anima, in corpore, in mente, in ambulando, in dormiendo, in stando, in sedendo,

in visu, in auditu, in tactu, in odoratu, in gustu, in potu, in usu, in gressu, in lectione, in oratione, in sensu, in locutione, in cogitatione, in separatione, in congregatione, in itinere, in navigatione. Libera nos, clemens Trinitas, ab omni malo præterito, præsenti, et futuro : sicut liberasti servos tuos ab initio mundi, Noe a diluvio, Abraham de Ur Chaldæorum, Lot de civitate Sodomorum, Moysen et populum Israel de mari rubro et de manibus Pharaonis, David de manu Saulis et Goliæ, Eliam et Enoch de hoc mundo, Tobiam de dolore oculorum, tres pueros de camino ignis ardentis, Susannam de manu principum, Daniel de lacu leonum, Jonam de ventre ceti, Ezechiam de infirmitate, Naaman Syrum de ægritudine, et Jesum filium Nun de præliis Chananæorum, Ninivem de morte minante, Isaac de gladio patris sui, Job de tribulationibus suis, Gedeon de barbaris, Petrum de fluctibus maris et de carcere, Paulum de multis tribulationibus et periculis. Sic sancta Trinitas æterne Deus, nos famulos tuos ab omnibus in hoc sæculo insidiis diaboli liberare, et in tuo sancto conservare digneris illæsos servitio : ut in futuro tecum præmia consequi mereamur æterna, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

DEPRECATIO

QUAM PAPA GELASIUS PRO UNIVERSALI ECCLESIA CONSTITUIT CANENDAM ESSE.

Dicamus omnes, Domine, exaudi et miserere.

Patrem unigeniti, et Dei Filium genitoris ingeniti, et sanctum Deum spiritum fidelibus animis invocamus.

Pro immaculata Dei vivi Ecclesia, sacerdotibus ac ministris, divinam bonitatis opulentiam deprecamur.

Pro sanctis Dei magni sacerdotibus et ministris, cunctisque Deum verum colentibus populis, Christum Dominum supplicamus.

Pro universis recte tractantibus verbum veritatis, multiformem verbi Dei sapientiam peculiariter obsecramus.

Pro his, qui se mente et corpore propter cœlorum regna castigant, et spiritualium labore desudant, largitorem spiritualium munerum obsecramus.

Pro religiosis principibus, omnique militia eorum, qui judicium et justitiam diligunt, Domini potentiam obsecramus.

Pro jucunditate et serenitate pluviæ, atque aurarum vitalium blandimentis, ac prospero diversorum operum cursu, rectorem mundi Dominum deprecamur.

Pro his, quos prima christiani nominis initiavit agnitio, quos jam desiderium gratiæ cœlestis accendit, omnipotentis Dei misericordiam obsecramus.

Pro his, quos humanæ infirmitatis fragilitas, et quos nequitiæ spiritalis invidia, vel varius sæculi horror involvit, Redemptoris nostri misericordiam imploramus.

Pro his, quos peregrinationis necessitas, aut iniquæ potestatis impietas, vel hostilis vexat ærumna, Salvatorem Dominum supplicamus.

Pro judaica falsitate, aut hæretica pravitate deceptis, vel gentilium superstitione perfusis, veritatis Dominum deprecamur.

Pro operariis pietatis, et his qui necessitatibus laborantium fraterna charitate subveniunt, misericordiarum Dominum deprecamur.

Pro omnibus intrantibus in hæc sanctæ domus Dei atria religioso corde, et supplici devotione convenienter Dominum gloriæ deprecamur.

Pro emundatione animarum corporumque nostrorum omnium, ac venia peccatorum, clementissimum Dominum supplicamus.

Pro refrigerio fidelium animarum, præcipue sanctorum Domini sacerdotum, qui huic Ecclesiæ præfuerunt catholicæ, Dominum spirituum, et universæ carnis judicem deprecamur.

Mortificatam vitiis carnem, et viventem fide animam præsta, Domine, præsta.

Castum timorem, et veram dilectionem præsta, Domine, præsta.

Gratum vitæ ordinem, et probabilem exitum præsta, Domine, præsta.

Angelum pacis, et solatia sanctorum præsta, Domine, præsta.

Nosmetipsos, et omnia nostra, quæ orta, quæ acta, per Dominum ipso auctore suscepimus, ipso custode retinemus, ipsiusque misericordiæ et arbitrio Providentiæ commendamus. Domine, miserere.

ORATIO SANCTI ISIDORI AD PETENDAM CHARITATEM.

Beatissimi servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Beata vigilia, qua ad Dominum universitatis amatorem vigilatur. Utinam me quoque vilem, licet tuum tamen servulum, ita digneris, Domine, de somno inertiæ excitare; ita illo divinæ charitatis igne accendere, quo de meo corde supra sidera exardesceret tuæ charitatis flamma, tuæ nimiæ dilectionis desiderium, semperque divinus intra me arderet! Utinam illa ligna haberem, quibus ille ignis jugiter aleretur, pasceretur, succenderetur, et illa flamma nutriretur, quæ exstingui nesciret, sed augeri sciret! Utinam talis essem meriti, ut mea lucerna semper tota nocte in templo Domini Dei mei arderet, ut omnibus domum Dei intrantibus luceret! Da mihi, Domine, rogo te, in nomine Jesu Christi, Filii tui Dei mei, illam, quæ nescit cadere, charitatem: ut mea lucerna accendi sciat, exstingui nesciat; mihi ardeat, aliis luceat. Tu ipse, Christe, lucernas nostras accendere digneris, ac lucidissime Salvator noster, quo

perpetue luceant in templo tuo, ac perenne lumen a te, perenni lumine accipiant, ut tenebræ nostræ illuminentur, mundi autem tenebræ fugentur; sic lumen meæ largiaris lucernæ, rogo te, Domine Jesu, ut illius luminis claritate, illa ita mihi sancta sanctorum appareant, quæ te æternum pontificem æternorum in interioribus magni illius templi tui illo intrantem habeant, quo te jugiter tantummodo aspiciam, desiderem, exspectem. Tantum te amans concupiscam. Tuum sit, quæso, ita te nobis pulsantibus demonstrare, amantissime Salvator noster, ut te amplius intelligentes te tantum amemus, te solum die ac nocte meditemur, semper de te cogitemus: et in tantum nobis tuam inspirare digneris dilectionem, quantum amari Deum decet ac diligi, ut omnia interiora nostra tua impleat dilectio, totosque nos tuus possideat amor, tua impleat charitas, ut tua igniti charitate præter te aliud amare nesciamus, quo tanta charitas aquis multis hujus aeris, hujus terræ, hujusque maris exstingui in nobis nequeat: Juxta illud, *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem:* quod in nobis quoque compleri vel ex parte Deus faciat, donante Domino nostro Jesu Christo.

EJUSDEM ALIA ORATIO.

Apud nos fias, quæsumus, Domine, ut nos defendas in gloria: intra nos fias, ut nos recipias: circa nos fias, ut nos conserves: ante nos fias, ut nos deducas: pro nobis fias, ut pro nobis intercedas: super omnia fias, ut

nos benedicas, et provoces ad tuum regnum, qui vivis et regnas.

ORATIO SANCTI GREGORII PAPÆ AD OBTINENDAM LIBERATIONEM AB OMNI MALO.

Deus omnipotens Pater et Filius et Spiritus Sanctus, unica Trinitas in tribus personis, qui es idem et qui eras, et qui venturus es. Libera me, Domine, ab omnibus peccatis meis et ista mortalitate, et a morte pœnæ, a planta usque ad verticem, intus et foris. Intercedite pro me sancti Cherubim, sancti Seraphim, sancti Throni, sanctæ Dominationes, sancti Principatus, sanctæ Potestates, sanctæ Virtutes, sancti Angeli, sancti Archangeli. Sancte Gabriel, sancte Michael, sancte Raphael, orate pro me. Intercedite pro me, sancti Patriarchæ, sancti Duces, sancti Judices, sancti Sacerdotes, sancti Prophetæ, sancti Reges, sancti Machabæi, sancti Infantes. Intercedite pro me nativitas Christi, Christi circumcisio, Christi baptisma, Christi operatio, Christi virtutes, Christi doctrina, Christi crux, Christi anima, Christi caro, Christi resurrectio, Christi descensio, Christi ascensio. Sancta Maria, sancti Apostoli, sancti Discipuli, sancti Successores, sancti Baptistæ, sancti Principes, sancti Episcopi, sancti Præsbyteri, sancti Diaconi, sancti Subdiaconi, sancti Lectores, sancti Exorcistæ, sancti Martyres, sancti Confessores, sancti Anachoretæ, sancti Monachi, sancti Clerici, sancti Laici, sanctæ Virgines, sanctæ Uxores, sancti Domini, sancti Servi, sancti Divites, sancti Pauperes,

sancti Doctores, sancti Fratres, sanctæ Sorores. Horum omnium generaliter nomina, et memoriæ, et spiritus, et animæ, et sanctæ cogitationes, et sancta verba, et sancta opera, et merita in cœlis, et reliquiæ in terris, et divitiæ bonitatis Dei, et longanimitatis, et patientiæ, et misericordiæ ; hæc omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, sint scuta, sint galeæ, sint sanitates, sint suffragia, sint loricæ animæ meæ, et spiritus mei, et corporis mei cum omnibus personis intus et foris, a planta usque ad verticem : visui, auditui, odoratui, gustui, tactui, carni et sanguini cum omnibus ossibus, et nervis, et visceribus meis, venis, medullis, compagibus, artubus meis, cuti, meatibus meis. Per te enim, Jesu Christe, omnia vivificantur, et inspirantur, et mutantur, et sana sunt. Protege me, Domine, a dextris et a sinistris, ante et retro, subtus et supra, in aere, in terra, in aquis, in mari, in flexu, in erectione, in gressu, in sede, in stando, in ambulando, in vigilando, in dormiendo, in loco, in omni hora, in omni die, in omni nocte, in omni vita. Adjuva me, custodi me, Trinitas sancta, omnipotens Deus. Libera me, Domine, ab omni malo præterito, præsenti et futuro : de periculis terræ, et maris, et omnium bestiarum, et phantasmatum, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Defende me ab igne et fulgure, a tonitruo, a grandine, a nive, a pluvia, a ventis, a hiatu terræ, a turbine, a terræ motu, ab omnibus hominibus malis, a veneficiis, ab invidis oculis. Ego confiteor impietatem peccati mei : peccator enim sum, et de pec-

cato natus. Tu autem verus Deus omnipotens sine peccato. Rogo Patrem per Filium. Rogo Filium per Patrem. Rogo Spiritum Sanctum per Patrem et Filium; ut et omnia vitia elongentur a me, et omnes sanctæ virtutes plantentur in me. Deus immense, a quo omnia, per quem omnia sunt: in quo omnia facta sunt, visibilia et invisibilia, supra tegens, et infra ferens, opera tua extra circumdans, intra replens. Custodi me, Domine, creaturam tuam usque in sempiternum. Hos omnes invoco in auxilium meum. Per, etc.

ORATIO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI.

Deus justitiæ, te deprecor, Deus misericordiæ, Deus invisibilis, Deus incomprehensibilis, Deus inenarrabilis, æterne, perpetue, benedicte; Deus, cujus omnia, in quo omnia, sub quo omnia, per quem omnia sunt: parce animæ meæ, parce malis meis, parce peccatis meis atque criminibus: visita infirmum, cura ægrum, sana languentem. Da cor, quod te timeat, sensum qui te intelligat, oculos cordis qui te videant. Da mihi scintillam sapientiæ tuæ, quæ mihi justificationum tuarum iter ostendat, et foveas inimici declinare me doceat. Miserere mei, quia peccavi, et propter duritiam cordis mei, in ipsa peccatorum meorum morte perduro: ego ore, ego corde, ego opere, ego omnibus vitiis inquinatus sum, omnibus sceleribus coopertus sum. Veniam peto, quia crimen agnosco: scelera mea tibi fateor, quæ etsi non confiterer, tamen te latere non possunt.

Tu enim scrutator cordis et renium es. Tibi occulta manifestantur, et secreta patefiunt. Miserere mei, Domine, ne me perire patiaris : ne me permittas æternis tenebris et perpetua morte consumi. Aufer a corde meo alienum sensum, cura in me stuporem mentis : exstirpa a visceribus meis consilia iniquitatis, erade a lingua mea detrahendi consuetudinem, mentiendi facilitatem, loquendi scurrilitatem, et omnes actus meos arte et medicina tua sana. Circumcide in me, Domine, vitia cordis et corporis. Miserere mei, Deus, quia tu nosti facta mea. Si tu transgressiones meas judicio tuo persequi ac punire voluisses, olim me terra vivum absorbuisset. Sed quia tanta est clementia majestatis tuæ, ut nullum perire patiaris; sed omnes exspectas ad pœnitentiam reverti, qui das spatium pœnitendi; da possibilitatem operanti, ut non sit hoc vanum indulgentiæ tuæ tempus, quod mihi largiri pro tua pietate dignaris. Miserere mei, Deus, ne me despicias, neque avertas faciem tuam a me, quia non pro justitia mea peto misericordiam tuam, sed propter clementiam tuam respice ad me de sede majestatis tuæ, et tenebras cordis mei radio splendoris tui illumina. Protege me, Domine, scuto veritatis ac fidei, ut me diaboli jacula ignita non penetrent, et quidquid illud est, quod infelicitas mea a te petere aut non præsumit, aut non intelligit, id tu pro tua virtute tribue, et hoc largire, quod animam meam salvet a morte; et exeunti mihi de hac clausura tenebrarum manum porrige, et lumen ostende. Miserere mei, Domine, et redin-

tegra confractum, sana corruptum, emenda vitiatum, et illud indulge, quod feci, et hoc, præsta, ne iterum faciam. Misericors et miserator Deus, qui et barbaros salvare vis, et ad veritatis agnitionem venire, ad te confugi fidelium Salvatorem. Miserere mei, quia te plurimum exacerbavi, et inimicum gaudere feci, et ecce mortuus sum obediens ei. Tu, Domine, et impiis, et his qui sunt sine misericordia, misereris : miserere humilitati meæ : apud te enim impossibile nihil est, quoniam secus infernum dissipata est anima mea. Fac misericordiam, quia benignus es et misericors, figmento tuo; qui et corpora, quæ non sunt, in die resurrectionis suscitaturus es. Exaudi me, Domine, quia defecit spiritus meus, et infelix anima mea. Tabefactum est etiam corpus meum, quod coinquinavi : etiam vivere non valeo pro eo, quod non credidi. Ignosce peccatum meum per pœnitentiam, vivifica me contritum, et igne splendoris tui illumina; et accende cor meum; ut ego accipiens fiduciam misericordiæ et indulgentiæ tuæ, residuum tempus vitæ, quod mihi donaveris, mandata tua custodiam, et a timore tuo non recedam; sed devote serviam tibi amplius, quam modo. Parce ergo mihi, et vivifica me, omnipotens Deus, Domine Jesu Christe, universitatis conditor, spes unica mundi. Præsta mihi, ut te bene rogem, et ut me agam dignum, quod me exaudias. Auge in me, Domine, munera tua, ut anima mea diligat te et fiat expedita ab omni vitio concupiscentiæ. Rogo te, Pater, deprecor te, Fili, obsecro te, Spiritus Sancte, ut evadam de mundi

miseria, et dones mihi æterni regni perpetua gaudia. Revertere jam Deus meus, et ne obliviscaris mei usque in finem, non in perpetuum deseras, nec me cadere in potestate dæmonum permittas. Licet in offensa jaceam, tu tamen clemens, tu pius, tu patiens, tu multum misericors, nullum derelinquis, nullum spernis ad sanitatem venientem, sed ultro offerens misericordiarum clementias peccatores exspectas, ut redeant. Quanti enim scelerati, et multis flagitiis involuti, per bonitatis tuæ gratiam ad indulgentiam pervenerunt? Sicut multis non merentibus gratis veniam donasti : sic et mihi indigno indulgentiam largiri digneris propter tuam ineffabilem misericordiam, omnipotens Deus, qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO SANCTI GREGORII, AD IMPLORANDAM DEI MISERICORDIAM.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui sedes in septimo throno; sub cujus pedibus omnia contremiscunt; miserere mei, qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Fac Domine, cor meum immaculatum, qui diem a nocte separas. Ad te expando manus meas in similitudinem crucis : ad te humilior, ad te resurgam. Domine, antequam discutias me, miserere mei; sana peccatorum meorum vulnera, quia peccavi in te. Ab occultis meis munda me, Domine. Illumina cor et sensum meum lumine serenitatis tuæ. Te ante omnia sensus meus sapiat. Da mihi intellectum, ut

sciam testimonia tua, et custodiam ea in corde meo. Da mihi gratiam tuam, quia non est, qui convalescat. Pater orphanorum, indultor egentium, confessor pœnitentium; præsta mihi veniam, quem plasmasti de limo; et cogitationes, quæ fidem non frangant. Doce me facere voluntatem tuam. Quæcumque præcipis, ipse adjuva, ut implere possim, ut non peccem tibi amplius; sed da mihi desiderium ad omne opus bonum. Domine, in tua justitia libera me de peccatis meis, ab omni malo, ab omni periculo, ab omni hæresi, ab omnibus iniquis desideriis: et constitue me in omni opere bono, et visita dolores meos, et sana quæ tibi apta non sunt; et quod in me obscurum est, nomen luminis accipiat. Ante te, Domine, omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Da mihi, Domine, fortitudinem adversus insidias diaboli, et instiganti obsistere satanæ. Da mihi arma virtutis, et loricam fortitudinis tuæ. Nulla mihi nimia oblectatio subripiat, nullus antiquæ putredinis suæ me fœtor corrumpat. Aufer a me lubricos et inutiles cogitatus, suggestionesque furtivas. Deus, qui plus potes dare, quam nos petamus aut intelligamus, moveat vox mea misericordiam tuam, qui es unus in Trinitate, et trinus in unitate. Ne perdas me cum peccatis meis; quia non venisti justos salvare, sed peccatores ad pœnitentiam revocare: qui es amator pœnitentiæ, miserere mei.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, fortitudo mea, firmamentum meum, liberator et protector

magnus et patiens, refugium et virtus, adjutor et liberator, lux lucis, fons luminis, sol justitiæ, stella diei, qui inhabitas sæculum, cujus alta et superna terra, cujus thronus inæstimabilis, et gloria incomprehensibilis, cui assistunt militiæ cum pavore, cujus vultus excitat abyssos, et tabescere facit montes : exaudi orationem servi tui, Deus meus, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui est splendor veræ lucis, janua vitæ, via salutis, lucerna ardens, cibus cœlestis, panis vivus, potus ex fonte perenni, Verbum in principio apud Deum cum Spiritu Sancto, qui a Patre procedens circumit girum cœli. Quid ergo Deus meus, quid rogo, nisi Dominus Deus ? Summe, optime, potentissime, et misericordissime, et justissime, et sacratissime et præsentissime, et pulcherrime, stabilis et incomprehensibilis, immortalis ; mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus ; innovans omnia sine vetustate, perdens superbos et nesciunt, semper agens, semper quietus, colligens et non egens, portans et implens, et protegens, creans, et nutriens, et perficiens ; quærens, cum nihil tibi desit. Amas nec æstuas ; zelas et securus es : pœnitet te, et non doles : irasceris et tranquillus es : opera mutas, nec mutas consilium : recipis quod invenis, et nunquam amisisti : nunquam inops, et gaudes lucris : nunquam avarus, et usuras exigis : supererogas ut debeas, nec quis habet quidquam non tuum. Reddis perdita debita, nihil perdens : sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine indigentia Creator, sine situ omnia tenens,

sine loco ubique totus, sine tempore sempiternus, sine ulla mutatione mutabilia faciens, nihilque patiens. Exaudi, exaudi me, Domine. Tu es enim Deus meus vivus et verus, Pater meus sanctus, Dominus meus pius, rex meus magnus, judex meus justus, magister meus unus, adjutor meus opportunus, medicus meus potentissimus, dilectus meus pulcherrimus, panis meus vivus, sacerdos meus in æternum. Deus meus ad patriam lux mea vera. Dulcedo mea sancta, via mea recta, sapientia mea præclara, simplicitas mea pura, concordia mea pacifica, custodia mea tuta, portio mea bona, salus mea sempiterna, misericordia mea magna, patientia mea robustissima, victima mea immaculata, redemptio mea facta, spes mea futura, charitas mea perfecta, resurrectio mea sancta, vita mea æterna. Te deprecor, supplico et rogo, ut per te ambulem, ad te perveniam, in te requiescam. Exaudi, exaudi, exaudi me, Christe, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas.

ORATIO SANCTI GREGORII PAPÆ,

AD IMPLORANDAM MISERICORDIAM PER MERITA CHRISTI ET INTERCESSIONEM SANCTORUM.

Peccavi, Domine, coram te, peccavi et coram angelis tuis. Fac mecum servulo tuo secundum misericordiam tuam. Tibi, Domine, misericordia, tibi, Domine, justitia. Sana me, Domine, et sanabor : salva me, et salvabor, quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te. Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego

hodie. Intercede pro me, sancta Maria, mater Domini nostri Jesu Christi. Beatissima et gloriosa genitrix, adjuva me. Obsecro vos, apostoli Christi, per commemorationem vestram, ut mihi servulo vestro misereamini, et me in omni adjutorio adjuvetis. Obsecro vos, novem ordines Angelorum, Angelos, Archangelos, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim et Seraphim, ut intercedatis pro me, ut sit mihi propitius Christus Filius Dei vivi. Obsecro divitias bonitatis et longanimitatis et patientiæ tuæ, Jesu Christe Fili Dei Salvator noster; quia non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; nec exstinguis linum fumigans, et arundinem quassatam non confringis. Fac me sicut unum de mercenariis tuis, et efficiar a te de servo amicus : et fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.

ORATIO SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI, AD PETENDAM VITAM ÆTERNAM.

Domine Jesu Christe, qui me dignatus fuisti creare ad imaginem tuam, et redimere de tuo pretioso sanguine : qui intra matris viscera, mea membra compaginasti, et ad istius vitæ lucem perduxisti. Precor dulcissimam pietatem tuam, ut me tuo cœlesti lumine illuminare digneris, et vias paradisi mihi ostendas, et ad portum salutis æternæ perducas. Domine misericordissime, dignare in me accendere ignem amoris tui, qui peccata mea consumat, et ad tuum desiderium semper accendat; et habitet Spiritus Sanctus in corde meo, qui me doceat

facere voluntates tuas. Domine piissime Pater, mollifica cor meum durum et lapideum. Largire mihi compunctionem cordis, ut de reatu peccatorum meorum profusas lacrymas ante clementiam tuam fundam. Concede mihi, Domine, lacrymas Mariæ, quæ pedes tuos unguento unxit, lacrymis rigavit, et crine tersit. Concede mihi fidem latronis, qui in cruce positus te confessus est, dicens : *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum ;* et audire meruit : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Præsta mihi, omnipotens Deus, ut in illa die qua jusseris animam meam a corpore separari, piam sententiam merear audire, et Angeli sancti perducant animam meam ad gaudia justorum. Angeli vero iniqui tristes abscedant a me. Dirigatur ad te, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te, miserere mei et exaudi me. Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

ORATIO EJUSDEM GRATIAM PŒNITENTIÆ IMPLORANTIS.

Da mihi, Domine, compunctionem cordis, et lacrymas oculis meis; ut defleam diebus ac noctibus omnes dies negligentiæ meæ cum humilitate et puritate cordis et charitate. Appropiat oratio mea in conspectu tuo. Si iratus fueris, Domine, adversum me ; quem adjutorem quæram, aut quis miserebitur infirmitatibus meis ? Memento, Domine, quod Chananæam et Publicanum vocasti ad pœnitentiam, et Petrum lacrymantem susce-

pisti ; sic et meas suscipere digneris preces, misericors Deus, salva me, Salvator mundi, qui regnas.

ORATIO SANCTI HIERONYMI,

DIVINAM GRATIAM ET CHARITATEM IMPLORANTIS.

Ego te, Domine Jesu Christe, vere credo, verum fateor ; quia vere redemisti nos : vere, quia vivificasti nos ; verum quia salvasti nos. Tu fortior forte, victor in prælio, præparator vitæ. Tu resurrectio mortuorum. Tua sumus vasa, tu noster figulus. Rogamus te, Domine, ut vacua spiritu tuo impleas, plena conserves. Te in Patre credimus : Patrem similiter in te confitemur, Spiritum quoque Sanctum in utroque veneramur. Trinum Deum colimus in personis, unum in substantia deitatis. Munda me, Domine, vas tuum, et sanctifica, quod fecisti ; de malitia evacua, et imple de gratia. Præsta mihi, ut fraternam semper teneam charitatem : mala obliviscar, aliena non requiram. Te solum creaturarum omnium, qui unus et verus es, semper diligam Creatorem, qui mortificas et vivificas, deducis ad inferos et reducis, in Trinitate semper permanens in sæcula sæculorum.

ORATIO SANCTI COLUMBANI,

AD PETENDAS VIRTUTES ET OMNE OPUS BONUM.

Domine Deus, destrue, et quidquid in me plantat adversarius, eradica ; ut destructis iniquitatibus, in os et cor meum intellectum et opus bonum inseras : ut opere et voluntate tibi soli deserviam, et intelligam mandata

tua, et teipsum requiram. Da memoriam. Da charitatem. Da castitatem. Da fidem. Da omne, quod scis ad utilitatem animæ meæ pertinere. Domine, fac in me bonum, et præsta mihi, quod scis oportere, qui regnas.

ORATIO SANCTI ISIDORI,

SUPER PECCATA SUA GEMENTIS.

Quo fletu mala mea flere incipiam, quibus lacrymis facinora mea lugeam, quibus fletibus angustias meas plangam ? Scio me esse peccatorem, et quam turpis sum video. Iniquum me esse reprehendo, impium me esse accuso. Rogo te, Domine, ut ignoscas mihi ; ego agnosco iniquitatem meam. Et nunc summæ clementiæ Deus, quoniam delicta mea cognita tibi facio, et in justitiam meam non abscondo ; misericordiam tuam deprecor, misericordiam tuam imploro. Tuam imploro miserationem, tuam quæso clementiam; dele mea peccata, ablue facinora mea. Peccatorum meorum maculas munda, labem criminum meorum purga, sordes delictorum meorum absterge, sordes iniquitatum mearum ablue. Non differas mundationem meam, Deus. Totum me tibi sanandum offero, recipiat salutem anima mea. Da vulneri meo salutem, Deus, languoribus meis medelam tribue, post plagas vulnerum redde incolumem. Vulneratus sum, medicum quæro. Languidus sum, medelam posco. Consumpta est caro mea, contabuit species mea. Ossa mea exaruerunt, membra mea contabuerunt. Appropinquavi corruptioni, umbra mortis comprehendit me. Tenebræ

operuerunt me, caligo inferni involvit me. Oppressit me tenebrarum horror. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Tibi honor, et gloria, et virtus, et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO PRO OMNI POPULO.

Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo; ut non in æternum irascaris nobis. Deprecamur, Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus et ira tua a loco isto, et a domo sancta tua, quoniam peccavimus. Peccavimus tibi, Domine, et tu iratus es nobis, et non est qui effugiat manus tuas : sed supplicamus, ut veniat misericordia tua super nos, qui Ninivæ pepercisti. Invocantes Dominum exclamemus, ut respiciat populum conculcatum et dolentem : protegat templum sanctum suum, ne ab impiis contaminetur, sed misereatur nobis. Exclamemus omnes ad Dominum dicentes : Peccavimus tibi, Domine, patientiam habe in nobis, et erue nos a malis istis, quæ quotidie accrescunt super nos. Dimitte, Domine, peccata populi tui, secundum multitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti patribus nostris. Propitius esto nobis, et impleatur gloria tua universa terra. Recordare, Domine, dic angelo percutienti : Sufficit, contine manum tuam, et cesset interfectio quæ grassatur in populo, et ne perdas omnem animam viventem. Exsurge, Domine, adjuva nos et libera nos propter nomen tuum.

ORATIO SANCTI EPHREM,

DEI MISERICORDIAM IMPLORANTIS.

Pone, Domine, lacrymas meas in conspectu tuo, sicut in promissione tua, ut avertatur inimicus meus retrorsum, et expavescens conturbet, cum viderit me in loco quem præparavit misericordia tua. Exspectans autem inimicus videre in loco, quem mihi propter delicta mea præparavit, videat me in loco lucis et vitæ æternæ, et conversus in tenebris conturbetur, quia nequaquam voluntas ejus effecta est. Ita benignissime, ita amator hominum, ita qui solus sine peccato es, effunde super me inæstimabilem et immensam misericordiam tuam, et præsta mihi ut et ego et hi qui te diligunt regni tui efficiamur hæredes; et videntes gloriam tuam, adoremus bonitatem tuam : et dicamus pariter, qui digni fuerimus videre insatiabilem pulchritudinem majestatis tuæ : Gloria Patri, qui fecit nos, gloria Filio, qui sanavit nos, gloria Spiritui Sancto, qui renovavit nos : Trinitas sancta, une Deus, sub umbra alarum tuarum nos protege, qui es benedictus in sæcula.

ORATIO CONTRA DIABOLUM.

Præsta, Domine, legentibus profectum, quærentibus legem tuam, peccatorum omnium remissionem : ut qui desiderio magno ad lumen Scripturarum tuarum pervenire cupimus, nullis peccatis caligantibus obscuremur. Attrahe nos ad te virtute omnipotentiæ tuæ. Ne relinquas

sua voluntate vagari, quos pretioso sanguine redemisti. Imaginem tuam in nobis non sinas obscurari, quæ si te præstante defendatur, non diabolo, non nobis liceat tua dona subvertere; quia totum fragile, quidquid nititur obviare. Audi nos, pie Rex, contra peccata nostra; et prius illa a nobis remove, antequam nos per ea juste possis in tua examinatione damnare. Quid nobis nostra insidiatur iniquitas? Quid contra nos delicta confligunt? Creaturam tuam evertere cupiunt, qui nulla substantia firmitate consistunt. Diabolus cur nos insaturabili dolore prosequitur? Numquid illi consilium dedimus, ut tibi Domino superbus existeret, et de beatitudine collata caderet, cum tantæ per te virtutis insignia possideret? Sufficiat quod nos in Adam perculit; quare quotidianis deceptionibus impius calumniator insequitur? Et sicut ille fragilitatem nostram non desinit impetere, ita tuis possit viribus confusus abscedere. Non permittas, bone Rex, in nobis sævissimum hostem sua vota complere, qui te graviter eligit offendere. Quid nos sicut leo rugiens circuit? Quid devorare contendit? Semel illi in baptismate sacro renuntiavimus; semel tibi Domino credere professi sumus. Tales nos per tuam defensionem concede servari, quales nos fieri per aquam regenerationis, Creator altissime, præstitisti. Qui tui esse cœpimus, alium Deum nesciamus. Tua gratia redempti sumus, tua mandata, te donante, faciamus. Si nos relinquis, tergiversator invadit. Indefessus atque impudens semper assistit, lucra sua computans humanas ruinas. Blanditur ut decipiat, ins-

tigat ut perimat. Maxime per corpus nostrum animas decipit, et ita labilis per desideria humana diffunditur, ut nulla pene providentia, nullo prius consilio sentiatur. Longum est per singula discurrere. Tali quis possit obsistere, nisi tu, Domine, illi decreveris obviare? Quid enim de nobis possit facere, qui te in nostro corpore ausus fuit per subdola machinamenta tentare? Exaudi nos, o custos hominum. Hic nos ab illo indulgentia tua libera, qui nos trahere nititur ad gehennam. Cum illo sortem non habeamus, ut tecum, Domine, habere possimus. Vindica fabricam tuam ab illo qui destruit. Damnari alios sic facit, qui se ipse damnavit: sed potius ille cum suis pereat, qui perdere cuncta festinat. (Et ego, ab ejus potestate tua misericordia, Domine, ereptus, transferri merear in locum lucis et pacis, socius sanctorum qui te laudant, te diligunt sine fine per sempiterna sæcula.)

ORATIO JOANNIS FISCAMNENSIS ABBATIS.

GRATIARUM ACTIO, ET PETITIONES.

Spes mea, Christe Deus, te deprecor, supplico et rogo, ut perficias in me cœptum opus misericordiæ tuæ. Ego enim ultimus servorum tuorum, non immemor beneficiorum miserationis tuæ, quæ mihi peccatori collata sunt, gratias tibi ago, qui me indignum pro tua sola clementia per aquam sacri baptismatis, et renovatione

Sancti Spiritus ab originalibus vinculis expedisti. Tu pastor et rector omnium, Christe Deus, qui nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ vocasti parvitatem meam ad hoc pastorale officium, propter te et nomen sanctum tuum, fac me idoneum ad hoc ministerium, ut sapienter domum tuam regam, et in omnibus secundum voluntatem tuam gregem tuum pascere valeam. Concede, propter honorem nominis tui, ut cum multo bono fructu fraternæ societatis pervenire merear ad gloriam tuam... Scio et certus sum quod tu vales fructus bonos et magnos facere de grege tuo, per me exiguum et infirmum. Parvulus quippe sum et nullius virtutis homuncio, nihil habens in me quod expeti debeat, vel quod dignum sit tanti officii. Idcirco, desperans de parvitate mea, non respiro nisi in sola misericordia tua. Sed licet sis magnus in magnis, gloriosus tamen operaris magna in minimis. Erit certe laus tua dulcior, et copiosior more hominum, cum per me tantillum operari dignatus fueris magna de grege tuo.... Da mihi cœlestia et terrena subsidia ad omnem sufficientiam, ut habeam unde gregem tuum possim pascere et sustentare, tam spiritaliter quam corporaliter, atque venientes in tuo nomine suscipere absque ulla hæsitatione, simulque loca commissa ordinare et præparare ad quietem et salutem Francorum, sicut decet et oportet. Duo a te peto : unum horum pro tua clementia non deneges mihi. Rogo te per omnes miserationes tuas, da mihi consolationem tuam cœlestem in multis tribulationibus meis! Pondus enim istud gravissimum

quod impositum est super infirmas cervices meas, ferre non valeo, deponere timeo... Gratias tibi ago, Domine, qui me etiam a vano hujus mundi consortio separasti, et ad tuum servitium sanctum perduxisti.

ALIA EJUSDEM ORATIO.

DESIDERIUM COELESTIUM, ASPIRATIO AD SUPERNA.

Christe Domine, virtus et sapientia Patris, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis Angelos tuos Spiritus, et ministros tuos ignem urentem : obsecro et suppliciter rogo, da perpetes pennas fidei, da celeres alas virtutum, quibus erectus æterna et cœlestia valeam contemplari. Adhæreat, quæso, anima mea post te, et suscipiat me dextera tua ; sustollat me super altitudinem terræ, et cibet me illa cœlesti hæreditate, cui suspirat peregrinatio mea nocte ac die. Et quia moribunda membra vigorem animæ hebetant,

> Dissice terrenæ nebulas et pondera molis ;
> Siste vagam mentem per devia multa ruentem.

Da cœlestem menti conscendere sedem, ut, superno lumine irradiata, terram despiciat, cœlum aspiciat, peccata odiat, justitiam diligat. Quid enim pulchrius quidve dulcius quam inter tenebras hujus vitæ multasque amaritudines divinæ dulcedini inhiare, et æternæ beatitudini suspirare : illicque teneri mentem ubi haberi vera gaudia certissimum est. O beata dies in qua mihi dicere licebit : Ecce quod concupivi jam video, quod speravi jam teneo,

quod desideravi jam habeo : illi jam in cœlis junctus sum, quem in terris positus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus sum, toto amore inhæsi. Ipsum laudo, benedico atque adoro, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI PETRI DAMIANI PRECES.

1. ORATIO AD DEUM PATREM.

Rogo te, immensa pietas, Deus Pater omnipotens, ne perdas me creaturam tuam ad tui similitudinem conditam ac pio Filii tui Domini mei Jesu Christi cruore redemptam. Porrige mihi manum tuam, Domine Deus meus, et eripe me de profundissimo lacu iniquitatum mearum. Erige lapsum, solve compeditum, illumina cæcum, sana me mille malignorum spirituum vulneribus sauciatum heu ! me miserum, heu me perditum, heu me indeficienti lacrymarum fonte lugendum ! Qui dum spurcissimæ carnis meæ legibus vixi, nunquam te de me gaudere permisi, sed semper de reprobæ vitæ meæ flagitiis ad amaritudinem provocavi. Sed scio, Domine, quia in voluntate tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati. Si enim decreveris salvare nos, continuo liberabimur. Produc, Domine, de saxea cordis mei duritia lacrymarum abundantiam, qui de rupe deserti largissimam profluentis aquæ copiam prodire jussisti. Domine Jesu Christe, si tu es lux vera,

et ego colo te, cur pateris in tenebris esse me? Væ mihi, lumen adoro, et tenebras perfero; veritati deservio, et per inanium cogitationum figmenta deludor. Domine, qui catervas tartari divinitatis tuæ radiis illustrasti; qui densas Ægypti tenebras Moysis famuli tui precibus effugasti; respice chaos istud, et tenebrosum mei cordis infernum visitationis tuæ luce perfunde, ut animam, quam tu dignatus es, lux æterna, redimere, tenebrarum auctor nequeat in obscuritatis suæ caligine possidere. Qui illuminasti cæcum a nativitate, illumina me. Qui leprosos mundasti, purifica me. Qui Lazarum de sepulcro suscitasti, resuscita me vitiis fetidum, et perversæ consuetudinis mole depressum. Qui Danielem in lacu a leonum morsibus custodisti, eripe me. Qui tres pueros de camini æstuantis incendio liberasti, libera me. Qui liberasti Israel de oppressione Pharaonis, libera me. Qui liberasti David de manibus Goliæ et Saulis, libera me. Qui eduxisti Petrum de carcere Herodis, libera me. Domine benedicte, gloriose, piissime vides, et ipse conscientiæ meæ testis es, quia volo mala mea cuncta respuere sanctisque jussionibus, ut dignum est, obedire; sed quia nequeo ex me, spero in te. Non enim invenio in carne mea bonum. Et revera, Domine, quis unquam sanctorum ex se virtutem vel sanctitatem habere potuit? Quis per se, sine auxilio, perfectionis culmen ascendit? Certe, Domine, non Petrus, non Paulus, non martyr, non apostolus, non denique ipsi Angeli, non Cherubim aut Seraphim, nisi a te percepissent, donum aliquod habere potuissent.

Si ergo ipsæ virtutes cœlorum nihil habent a se, sed omnia perceperunt a te, quid ergo boni a me, qui sum stercus et vermis, pulvis et cinis, poteris exspectare, nisi quod ipse digneris infundere? Tu enim es Pater luminum, a quo omne datum optimum omneque donum perfectum. Tu es, a quo bona cuncta procedunt. Tu fons vitæ. Tu auctor salutis æternæ. Sicut enim terræ non a seipsa, sed de cœlo semper lumen infunditur; sic anima mea sicut terra sine aqua tibi, tenebrosa squalet semper et arida, nisi tuæ gratiæ rore perfusa tui splendoris radio fuerit illustrata. Et quidem inquiro apud te, Domine, ut tibi de meis aliquid offeram, sed, cum omnia mei pectoris arcana revolvo, nihil ibi nisi tenebras video, nihil omnino nisi vitiorum tribulos et spinas invenio. Vide ergo, Domine, miseriam meam, vide tantæ paupertatis inopiam, mihique compunctionis gratiam tribue, quæ animæ meæ rubiginem tergere tamque cruenta meorum criminum valeat inquinamenta lavare. Expelle, Domine, frigus hoc atque torporem de meo pectore, et flammam in me dulcisimæ tuæ charitatis accende. Numquid enim, Domine, immensam tuæ pietatis abundantiam mea valebit iniquitas vincere, quam totius mundi non potuerunt crimina superare? Nam cum totus pene mundus esset idololatriæ deditus, quis te rogare præsumeret, ut quem cœli non capiunt uteri virginalis angustias habitaturus inviseres, mortalitatis nostræ membra susciperes, mortis atrocissimæ tormenta perferres, ut inimicos tuos a mortis debitæ supplicio liberares!

Si ergo, clementissime et piissime Domine, misericordiæ tuæ magnitudinem totius mundi flagitia non vicerunt, unius canis mortui peccata quantum libet gravia superabunt? Absit hoc a te, Domine, absit a te, qui dixisti: Nolo mortem peccatoris. Quid est ergo quod dicis: gaudium esse angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente? Quid est quod de te Propheta dicit: quia miserationes tuæ sunt super omnia opera tua? Nonne tu, Domine, permisisti te ab illa spurcissima et fœdissima muliere contingi, quæ fluxu erat sanguinis cruentata? Cujus præsumptionis audaciam non modo nullatenus condemnasti, sed ut salutem quoque cum ipsa vestimenti fimbria raperet, indulsisti. Nonne tu, mitissime Domine, cum multivira illa Samaritana loqui dignatus es? Sive, quod majus est, numquid non cum Chananæa, quæ adorabat idola, colloquium miscuisti? Ejus insuper filiam a dæmonio maternis precibus liberasti? Hanc circa me, quæso, Domine, mirandæ pietatis tuæ regulam exhibe; exstinctum animæ meæ infelicis igniculum his olei tui fomitibus reaccende. Non Pauli, non Petri misericordiam quæro, quia dum alter ignorantia, alter timore peccavit, facile uterque veniam obtinuit. Illud mihi, piissime Domine, misericordiæ tuæ genus indulge, illud animæ meæ languenti, vel jamjam potius morienti, suavissimæ medicinæ tuæ poculum porrige, quod latroni in cruce pendenti misericors obtulisti, eumque absorptum ex deglutientis mortis faucibus eduxisti. Illud tuæ misericordiæ genus quæro, quod deprehensæ in adulterio

præbuisti; quod peccatrici in domo Simonis contulisti; quæ dum pedes tuos crinibus tersit, animam suam a peccatorum sorde purgavit. Hoc modo trahe me ad te, Salvator meus, accende me, purifica me. Impleantur amore tuo omnia viscera mea, ut benedicat tibi anima mea, et descendat super me misericordia tua. Ad hoc enim te Pater omnipotens misit in terras, ut salvos facias peccatores, qui tecum et cum Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

2. ORATIO AD DEUM FILIUM.

Recordare, Domine Jesu Christe, quia non auro, vel argento, sed proprii sanguinis tui me pretio redemisti; et cum tu sis fons patens domus David in ablutione peccatoris et menstruatæ, ego solus, Domine, tantæ pietatis exspers ero, et extra redemptionis tuæ lineam remanebo? Heu me, piissime Domine, permittes me cum regenerationis tuæ tunica, quam mihi dedisti, cum vexillo sanctæ crucis, quam mihi in fronte pinxisti, in manus venire diaboli, et cum ipsis tuis insignibus æternis incendiis cruciari? Scio, Domine, quia tantæ pietatis es, si ego perfecte convertor ad te, quod tu statim recipies me. Sed quia tantæ fragilitatis et ignorantiæ sum ut ipsa conversio per me sine te digne fieri non possit, tu me converte, Deus salutaris meus, tu illumina animam meam, tu dirige, tu in me flammam tuæ dilectionis accende. Et forsitan, justissime et piissime Domine, tanta sunt peccata mea, ut nulla pœnitentia ad hæc plangenda

sufficiat; ecce corpus meum, per quod te miser offendi, tu, qui es animarum medicus, verbera, flagella; sive lepra, sive quibuscumque doloribus tibi visum fuerit, durissime percute. Tua plane creatura sum, conditor meus; tu me tuis cinge flagellis; nec tradas me in manus inimici mei; aut si eousque mea processit iniquitas ut in hac non possit vita deleri, præcipe usque ad diem Judicii tui ultricibus me pœnis affligi, ut tunc saltem extremus omnium electorum tuorum merear inveniri. Absit enim a me ut postulem gloriam. Sufficit mihi, ut tantummodo pœnas evadam.

Sed quoniam preces meæ, tam sordido ore prolatæ, ad te non merentur ascendere, te rogo, beata virgo Maria, templum Dei vivi, aula regis æterni; sacrarium Spiritus Sancti, benedicta inter mulieres; redolet ager sacratissimi uteri tui naribus cordis mei; ex quo, videlicet agro, dum unicum illud ac singulare lilium prodiit, omne cum eo virtutum spiritualium germen erupit. Tu enim es cœlestis illa terra, quæ dedit fructum suum. Te materiam sapientia cœlestis habuit, unde templum sui corporis fabricavit. Te Spiritus Sanctus implevit. Te virtus altissimi ineffabiliter obumbravit. Tu defer preces meas ad Filium Creatorem tuum. Imo tu ora pro me, tu obsecra, cujus nimirum vota non possunt despici, cujus preces in ejus conspectu nequeunt parvipendi. Ecce, Domina mea, infelix ego deprehensus in crimine ducor ad furcas, rapior ad gladium, pertrahor ad supplicium. Exsurgat ergo Regina mundi, opponat se, ingrediatur ad

Filium et liberet reum. Accurre et tu, o Michael, cœlestis militiæ princeps et qui in fine mundi perempturus es antichristum contra Deum se contumaciter extollentem, jam illum dejice in corde meo regnare tentantem. Libera a tentatione animam meam dum vivit in corpore, ut eam post obitum Creatori suo digne valeas præsentare. Adjuva me et tu, o B. Gabriel, fœderator cœlestium nuptiarum; salva me precibus tuis miserum peccatorem, qui illum nissus es nuntiare qui venturus erat in mundum peccatores et miseros liberare. Medere et tu languidæ animæ meæ, S. Raphael, quique Saræ dæmonium abstulisti, et Tobiæ oculos, quos perdiderat reddidisti; malignum ab anima mea spiritum, qui virum ejus Christum ab ea dividere conatur, exclude, et cæco cordi meo luminis jubar infunde. Orate pro me omnes sancti Angeli, omnes sancti Archangeli, omnes sanctæ Virtutes, omnes sanctæ Potestates, omnes sanctæ Dominationes, omnes sancti Principatus. Ora pro me, sancte chorus Throni, ora pro me, sancte chorus Cherubim, ora pro me, sancte chorus Seraphim. Orate pro me, omnes sancti patriarchæ, omnes sancti prophetæ. Oret pro me judex apostolorum senatus. Oret pro me candidatus martyrum chorus. Orent pro me sancti confessores omnesque sanctæ virgines. Orate pro me misero et funditus perdito, domini mei, omnes sancti Dei.

Et quæ est tam crudelis multitudo peccati, quæ tot senatorum cœlestium nequeant intercessione deleri? Nec enim potestis esse misericordia vacui qui cum ipso fonte

misericordiæ inseparabiliter estis uniti. Scio, Domine, quia non mereor ecclesiæ tuæ limina sacra contingere, nec infelices oculos ad cœlum levare. Indignus sum benedictum et gloriosum nomen tuum per polluta et spurcida labia mea proferre; sed veniat, oro, Spiritus tuus in animam meam, et omnia hæc inquinamenta detergat. Si enim sol iste, qui non de sublimioribus tuis est creaturis, tantas habet vires ut sordes deleat, terras illustret, arva fecundet; quanto magis, si coæternus et consubstantialis tibi Spiritus tuus infelicem hanc arbusculam arescentem jam comisque nudatam dignetur invisere, faciet eam protinus revirescere! Nec impotens erit eam virtutum floribus ac vernantium fructuum decore vestire. Veni, Domine Jesu, veni, dulcis habitator in me. Odor tuus omnia vincit aromata, suavitas tua favos et omnia mella transcendit. Veni, obsecro, totumque me tuo juri sic vindica, ut nullum in partem de cætero se tyrannus habere cognoscat, sed dedica me undique templum tuum, quia tu es Deus et Dominus meus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

3. ORATIO AD DEUM SPIRITUM SANCTUM.

Spiritus sancte Deus, omnipotens, coessentialis et coæterne summo Patri ac Filio, ineffabiliter ab utroque procedens, cordi meo dignanter illabere, et nequitiæ meæ tenebras mirificus illustrator expelle; ut sicut Dei verbum virginalis potuit uterus te superveniente conci-

pere ; ita et ego per auxilium gratiæ tuæ, eumdem meæ salutis auctorem valeam semper in mente portare. Tu enim, Domine, lux es mentium, tu virtus cordium, tu vita es animarum. Tu largitus es sanctis apostolis ut ad plenum redemptionis humanæ sacramenta cognoscerent et fidei regulam inoffenso veritatis limite prædicarent. Tu dedisti beatis martyribus sanctæ libertatis audaciam, ut et mundi principes non metuerent et exquisita pœnarum genera constantissima longanimitate transirent. Tu locutus es in prophetis, tu in patriarchis fidei fundamenta constituisti. Tu sanctis omnibus et velle et posse, omniumque virtutum flores, quibus cœlestia scanderent, præbuisti. Et ego, peccator infelix, quomodo sine te salvus fieri valeo, qui scilicet absque te, quid saltem orare debeam, non agnosco? Profecto, Domine, si tu recedis, anima mea non vivit. Sicut enim, subtracta anima, corpus emoritur; sic te recedente, ipsa protinus anima, necesse est exstinguatur. Sentio, sentio, Domine, quia cum per occultam gratiam tuus aliquando vigor accedit, meus illico spiritus convalescit. Cum vero te peccatis meis exigentibus subtrahis, infelix anima mea protinus arefacta contabescit et corruit; nec in studio puræ orationis exerceatur assurgit. Descende ergo in me, vivificator æterne, meique pectoris glaciem flamma tuæ charitatis accende. Præbe capiti meo aquam, et saxeam cordis mei resolve duritiam; super hoc scilicet elementum, Domine, et ante mundi originem ferebaris; et nunc ad purificationem animarum in vivifica fontis

fluenta descendis. Veni ergo in me cum aqua compunctionis, et potum mihi da in lacrymis in mensura. Væ mihi misero peccatori, qui et innumerabilia quotidie flenda committo, et tamen flere non valeo! Imber ergo gratiæ tuæ, Domine, distillet in me, ut anima mea, quæ a vitæ fonte recedens aruerat, per tuæ visitationis afflatum revirescat. Paratum cor meum, paratum cor meum. Ecce, Domine, omnes sinus tibi mei cordis aperio, arcana pectoris laxo, tuæque dignationis accessum inhianter exspecto.

Habet certe oculus carnis lumen suum, visibilem scilicet solem; sed te interior homo meus exspectat, qui lumen est animarum. Qui illuminasti cæcum a nativitate, illumina me. Qui resuscitasti Lazarum, vivifica me. Heu, heu, infelix anima mea, cum tu sis vita corporis, ipsa mortua jacens, vivificatorem tuum habere spiritum non mereris. Mortua tibi, vivis alii; ipsaque in tenebris constituta, exteriori substantiæ lumen attribuis; sed videre non vales, quia non proprium lumen habes. Veni tu, obsecro, spiritus veritatis, et omnes errorum tenebras a me potenter expelle. Judica, Domine, nocentes me, et expugna impugnantes me; apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi. Tu purificator et vivificator spiritus, omnipotens æterne Deus, ignis consumens es. Tu spiritus judicii, tu spiritus ardoris. Corripe itaque cor meum, et omnium culparum vitiorumque rubiginem virtute tui ardoris exterge, et inimicum tibi nequitiæ spiritum a cunctis meis sensibus pror-

sus exclude. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant a facie ejus, qui oderunt eum. Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Veni, quæso, veni, benedicte spiritus veritatis, et omnes meorum viscerum venas intimus scrutator ingredere. Tolle quidquid fermentatum, quidquid vitiosum, quidquid reperis noxiæ vetustatis peste corruptum; meque fac azymum ac tuæ munditiæ puritate sincerum. Redde me mortuum mihi, viventem tibi. Mortifica in me omnes fomites carnalium voluptatum, excoque me ad purum, et non solum vitiis, sed et mundo me redde prorsus exstinctum. Veni, obsecro, Spiritus benedictionis æternæ, omnesque mei pectoris latebras inenarrabili tuæ dulcedinis suavitate perfunde. Anima mea ad tuum liquescat adventum, cœlestem virtutem per te renovata concipiat. Ad sui vigoris originem redeat atque in amorem tuum succensis visceribus inardescat. Benedic, anima mea, Dominum, et omnia interiora mea nomen sanctum ejus. Uberem gratiæ tuæ benedictionem, Domine, anima mea suscipiat; et, ut tibi medullatas hostias offerat, ineffabili tuæ dulcedinis adipe saginata pinguescat. Illumina me, lux veritatis, accende me, purifica me. Tu enim es largitor charismatum, tu auctor sanctificationum, et omnium remissio peccatorum. Tu virtutes angelicas ad amorem tuum indesinenter inflammas; tuæ charitatis incendio Cherubim et Seraphim incomparabiliter æstuant. Tu me, Domine, tibi totum vindica, totum posside, nullamque in me

partem a te vacare permitte : sed solus in me vivas, meque tibi soli vivere facias, qui vivis et gloriaris in Trinitate perfecta unus et verus Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

4. AD SANCTAM TRINITATEM ORATIONES.

Te adoro, te colo, te glorifico, te magnifico, benedicte, omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, trinus et unus Deus. Adjuva me, Domine, absolve me, purifica me, munda me, Rex meus et Deus meus. Da mihi justitiam, fortitudinem, temperantiam et prudentiam. Da mihi perfectam fidem, spem et charitatem. Concede mihi spiritum sapientiæ, et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris tui. Da mihi irriguum inferius et irriguum superius. Da mihi benedictionem de rore cœli et de pinguedine terræ. Mollifica, Domine, lapideum cor meum. Da mihi compunctionem et contritionem cordis, ut defleam innumerabilia peccata mea. Domine, non sum dignus ut intrem in Ecclesiam tuam. Indignus sum levare infelices oculos meos ad cœlum, vel exprimere nomen tuum benedictum per labia mea; sed tu, qui creasti me sicut vis et sicut scis, miserere mei, Domine, Deus meus.

5. SECUNDA ORATIO.

Miserere, Domine, omnibus amicis meis, et propinquis, et omnibus benefactoribus meis, et omnibus qui orant te pro me, et omnibus qui rogant me orare pro

se. Da eis pœnitentiam fructuosam, mortifica in eis omnia vitia, et fac eos florere virtutibus tuis. Fac eos, Domine, sic per omnia vivere, ut majestati tuæ valeant de bona sua conversatione placere. Miserere, Deus, Pontificibus, Regibus, Potestatibus, et omni populo christiano. Sancta Maria, ora pro eis omnibus. Omnes sancti et sanctæ Dei, orate pro eis. Miserere, Domine, omnibus benefactoribus meis defunctis, et pro quibuscumque orare debitor sum; et omnes fideles tuos absolve, et da eis partem et societatem cum sanctis tuis. Sancta Virgo Maria, ora pro omnibus; omnes sancti et sanctæ Dei, orate pro eis omnibus.

6. TERTIA ORATIO.

Te adoro unum in Trinitate, et trinum in unitate, benedicte, omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Miserere mihi miserrimo peccatori, clementissime Deus meus, et miserere omnibus fidelibus tuis vivis et defunctis. Sancta Virgo Maria, Mater Dei et hominis, templum Dei vivi, virgo ante partum et virgo post partum, exaltata super choros angelorum, ora pro nobis omnibus. Sancte Michael, princeps militiæ cœlestis, sancte Gabriel, fœderator cœlestium nuptiarum, sancte Raphael, medicina Dei, orate pro nobis. Omnes sancti Angeli et Archangeli, Throni et Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Cherubim, et Seraphim, omnes sancti patriarchæ et prophetæ, apostoli, martyres, confessores, virgines, anachoretæ, viduæ, omnes sancti et

sanctæ Dei, orate pro nobis omnibus fidelibus Christi vivis et defunctis. Pater noster.

7. ORATIONES IN CRUCIS ADORATIONE DIE PARASCEVE DICENDÆ.

Concede (Domine), tam mihi misero et peccatori quam omnibus tuo cruore mercatis, qui hodie sanctam passionem tuam supplices venerantur lignumque vitæ adorant, ut diabolicas insidias te adjuvante vincamus, et æternæ vitæ participes effici mereamur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, qui nos per passionem sanctæ crucis hodierna die de diabolica servitute liberasti, ut quo die hominem condideras, eodem et reformares, exaudi me miserum et peccatorem coram hoc signaculo sanctæ crucis tuæ confitentem et deprecantem, ut hujus venerabilis et vitalis signi tuitione munitus, et hostis nequissimi ignita tela repellere et ab inflictis evacuari vulneribus, et ad vitam æternam valeam pervenire, per te, Domine Jesu Christe, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

8. DE SANCTA CRUCE ALIÆ ORATIONES.

Dum crucem dilectissimi filii tui, omnipotens Pater, adoro, pateat mihi cœlum, obsecro, ut et oratio mea pervenire possit ad te, et tua descendat misericordia super me. Hæc enim hostia singularis, piissime Domine, in

odorem tibi suavitatis oblata, et tuam circa nos justitiam mitigat, et, tanquam pii thuris incendium de thuribulo sacratissimæ passionis evaporans, humanarum mentium nares obdulcat. O inenarrabilis victima, quæ et cautionem maledicti veteris abolevit, et signaculum nobis æternæ benedictionis impressit. O sacrificium veræ placationis et laudis, quod et antiquæ transgressionis inimicitias abstulit, et inter cœlum et terram fœdus æternæ concordiæ reformavit. Per hoc, Domine, tuæ virtutis insigne vexillum miseram me tui gregis oviculam de cruentis leonis faucibus eripe, ut victus atque contritus a te super me nequeat triumphare. Reduc me ad pascuæ tuæ semper amœna virentia, nec abjicias servum, pro quo tradere dignatus es filium, qui tecum et cum Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

9. ORATIO.

Si pietatem tuam, mitissime Deus, humanam mensuram habere cognoscerem, ego tam immanissima scelerum mole depressus funditus desperarem. Sed dum immolari pro me tam potentem hostiam video, quomodo me desperare debeam, non attendo. Nam si agnus ille paschalis, brutum scilicet animal, populum Israel a plaga mortis potuit liberare; quanto magis illius sacratissimus sanguis, qui Conditor est angelorum, quantaslibet animæ meæ sordes valet abluere ? Tu piissime Domine Jesu Christe, velut species aromatica redoles in mortario passionis attrita, ut nobis miseris et peccatorum

morbo languentibus fieres medicina. Tu tanquam botrus ille terræ lactis et mellis irriguæ calcatus es in prelo crucis, ut nobis æternæ salutis poculum propinares et arentia corda nostra Sancti Spiritus inundatione perfunderes. Tu, Domine, per quinque plagas sacratissimi corporis tui sanasti omnia vulnera, quæ nobis inflicta sunt per quinque sensus corporis nostri. Tu Patri victima suavitatis et nobis factus es pretium redemptionis. Adoro, Domine, crucem tuam; adoro vivificam mortem tuam. Abluat, obsecro, sanguis tuus sordes animæ meæ, nec ulterius teneat exactor obnoxium pro quo tam sublime pretium est solutum. Sit iste victoriæ tuæ titulus, Domine, in anima mea, semper erectus, ut nullum in possessione tua jus sibi vindicet invasor antiquus, sed hoc prospecto, præsto diffugiat et velut fumus ad accessum tui Spiritus evanescat; ut hæreditatem tuam, quam propio mercatus es sanguine, per continuam digneris gratiam possidere; cui sis per misericordiam tuam et protector invitus et inhabitator assiduus, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

10. ORATIO.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, gratias agimus immensæ tuæ pietati, qui cum in forma Dei esses, pro nobis temetipsum humiliasti, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Deprecamur te, Domine, ut quibus tantam contulisti gratiam, veram peccatorum

tribuas indulgentiam. Custodi in nobis opera misericordiæ tuæ, ne pereant quos redemit dextera tua. Sana languores populi tui et da gloriam nomini tuo. Rogo etiam te, Domine piissime, ut me miserum ac fragilem a tua non repellas gratia, et qui hucusque longe a tua voluntate vitiosus discessi, deinceps per ineffabilem misericordiam tuam emendatus tuæ placeam feliciter majestati. Depelle a me, Domine, quidquid noxium, quidquid ineptum, quidquid vitiosum, quidquid tuæ voluntati est contrarium. Concede mihi, Domine, ut mala mea hic, dum vivo, digne defleam, et acceptabilis sit pœnitentia mea in conspectu tuo. Tribue mihi veram fidem, spem firmam, charitatem non fictam. Sit in me fixa humilitas, sobria vita, vera scientia, fortitudo, prudentia, justitia, temperantia, cursus rectus, finis perfectus, te præstante, Deus noster, qui cum Patre, etc.

11. ORATIO.

Domine Jesu Christe Nazarene, rex angelorum et sanctorum omnium, qui eras ante sæcula in divinitatis essentia cum Deo Patre unigenitus Filius; in plenitudine autem temporis exinanitus formam servilis corporis ex Maria virgine accipiens, in similitudine hominis factus et habitu inventus ut homo. Verum utique hominem in Deo vero assumens, humiliatus et obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis, redemisti nos tuo sancto sanguine pretioso. Agnus immaculatus surgens a mortuis, ascendens in cœlum, sedes in dexteram Dei

Patris omnipotentis. Quem adorant angeli, et ego infelix peccator te suppliciter adoro, confitens peccata mea, et deprecans ut, sicut me participem sacramentorum mortis et redemptionis tuæ per crucem fecisti, ita per virtutem hujus sacrosanctæ crucis, omnia in me vitia et peccata exstinguas et perimas, et contra omnes spirituales nequitias et antiqui hostis insidias, ejusdem sacrosanctæ crucis virtute invocata, victricia tela efficias; et consurgentem me tecum in novitate spiritus et gloriæ, ad ea, quæ sursum sunt, cum sanctis et electis tuis ad dexteram tuam positis, pertingere concedas ipse idemque Jesu Christe, Deus immortalis, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

12. ORATIO.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, gloriosissime Conditor mundi, qui cum sis splendor gloriæ, coæternus et æqualis Patri sanctoque Spiritui, ideo dignatus es carnem immaculatam ex Virgine sumere, et innocentes ac gloriosas tuas palmas in crucis patibulo permisisti configi ut claustra dissipares inferni et humanum genus liberares de morte. Miserere mihi misero, Domine, oppresso gravi facinorum pondere multorumque nequitiarum sordibus inquinato. Noli me relinquere, piissime Domine, sed indulge misericorditer, quod impie gessi, et quæ negligenter feci. Exaudi me, quæso, clementissime ac misericordissime Jesu, Deus bone et benigne, prostra-

tum ante adorandam gloriosissimam tuam crucem, ut in his sanctis diebus et semper tibi merear assistere mundus, et tuis jugiter placere conspectibus, quatenus liberatus a malis omnibus, tuo sim semper adjutorio consolatus, Christe Domine, Salvator mundi, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

13. ORATIO.

Christe, qui pro nobis patibulum crucis et mortem subiisti, ut a nobis expelleres mortis protestatem et sanguinis tui pretio liberares, miserere mei humillimo servo tuo, et omnium meorum mihi veniam tribue peccatorum, et me coram adoranda tua cruce prostratum in his sanctis diebus, et jugiter ab omnibus malis eripe, bonisque tuis misericorditer refice, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per immensa sæcula sæculorum. Amen.

14. ORATIO.

Deus, qui ligno pereuntem hominem per lignum reparasti in melius, quæsumus ut virtus hujus triumphalis ligni morte et sanguine tuo ditati, cui tota devotione colla submittimus, et vitia in nobis universa mortificet, et contra omnia adversa nos muniat, qui vivis et regnas cum Patre et Spiritu Sancto Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

15. ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui es et qui eras Deus cum

Patre ante sæcula genitus, Deus ex vero Deo, conceptus de Spiritu Sancto, et natus homo in fine sæculorum de Virgine semper Maria, qui obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, redemisti nos tuo sancto et pretioso sanguine, et destructo mortis imperio, omnibus in te credentibus cœlestis gloriæ aditum reserasti, te Deum verum, et Dominum meum suppliciter adoro, sedentem ad dexteram Dei Patris omnipotentis, deprecando infinitam et ineffabilem misericordiam tuam, ut per virtutem hujus salutaris signi redemptionis nostræ redimas me miserum et dignum morte peccatorem, ab omnibus criminibus et facinoribus meis, et libera me ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris, et mortifica in me omnia vitia spiritualium et carnalium nequitiarum, et fac me resurgere in virtute gratiæ et gloriæ tuæ; et quæ sursum sunt, cœlestia desiderare et quærere, et ad æternæ beatitudinis gloriam feliciter pervenire, præstante tua immensa clementia, Domine Jesu Christe, Deus et Dominus noster, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto in unitate deitatis omnia creando regis, vivificas et gubernas per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI ANSELMI ORATIONES.

ORATIO I.

AD SANCTAM TRINITATEM.

Adesto, sancta Trinitas, Deus unus omnipotens, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, me miserum et peccatorem fragilem et indignum a tua non repellas pietate. Non aspicias ad scelera mea et immunditias, turpesque cogitationes, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate, sed effunde super me largam benignitatis tuæ clementiam. Nec sinas de interitu meo inimicos meos gratulari in inferno, ubi nemo confitebitur tibi, sed miserere pondere facinorum oppressum, cunctarumque nequitiarum labe pollutum. Concede mihi, quæso, misero gratiam tuam, et libera me ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris, a subitanea et perpetua morte, ab omni pestilentia et clade, ab omni scandalo et periculo, a desiderio maligno, ab opere perverso, et ab omni peccato. Dele omnia crimina mea, iniquitates, offensiones et negligentias meas. Propitiare mihi in omnibus angustiis et tribulationibus, in necessitatibus et tentationibus, in omnibus periculis et infirmitatibus meis.

Sancta et individua Trinitas, indeficiens bonitas, adesto supplicationibus meis, ut sicut me tuis sacramentis fecisti participem, nullis meis meritis, sed tua sola benignitate gratuita, ita usque in horam illam, qua hinc exiturus

sum, in fide, spe et charitate me perseverare facias, ab omni malo protegas et defendas, omnia mihi profectura concedas, ab æterno supplicio liberes, atque ad sempiterna gaudia introducas, et illam mortiferam ac diabolicam tentationem, qua pro peccatis meis super me pertimesco prævalere, tua miseratione, clementissime, amodo facias cessare. Trine Deus et une, humilis servuli tui preces nunc suscipe. Dona mihi, Domine, diligentiam quæ te quærat, sapientiam quæ te inveniat, animam quæ te agnoscat, oculos qui te videant, conversationem quæ tibi placeat, perseverantiam usque in finem, finem perfectum, retributionem æternam.

Exaudi me orantem, sicut exaudisti Jonam de ventre ceti; libera me, qui liberasti Susannam de falso crimine. Exaudi me, sicut exaudisti Petrum in mari, Paulum in vinculis. Auxiliare mihi, quæso, Domine, et ab omni malo indesinenter libera me, a faucibus dæmonum eripe, a morte perpetua subtrahe, gratiæ tuæ abundantia reple, pectus meum tua virtute muni, mentem purifica, vitam sanctifica, mores emenda, cor cœlesti sapientia illustra, æstum carnalem tempera, iram exstingue, linguam a vaniloquio compesce, verba veritatis et misericordiæ, benignitatis et concordiæ procedant ex ore. In universa morum honestate ad plenum me dirige, et ne arguar in furore, confirma me, clementissime, in omni bono opere. Tibi, Domine, pando cordis mei secreta, tibi confiteor omnia peccata mea, tibi denudo fœditatem cordis mei, tibi detego sordes turpitudinis meæ. Durius nam-

que peccavi quam Sodoma, gravius deliqui quam Gomorrha. Tibi debitor sum non tantum decem millium talentorum criminum meorum, sed totius vitæ meæ rationem tibi debeo; prævaricator enim legis tuæ factus sum præ omnibus negligens, inobediens, trangressor omnium mandatorum tuorum in omni vita mea. Unde nunc prævenio faciem tuam in confessione, exorans nimia cordis anxietate, fletuum et lacrymarum contritione, ut in hoc tempore accepto exaudias me, et in iis diebus salutis adjuves me. Omnes actus meos in beneplacito tuo compone, ut proficiam de die in diem, et eam de virtute in virtutem. Tibi, Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundo. Tu parce confitenti, ut sic in hac mortalitate (te adjuvante) peccata mea defleam, ut in die Judicii sententiam damnationis evadam. Tu lumen æternum, ab omni cæcitate humana oculos meos adaperi, propositum et habitum religionis in me custodi. Ab omni impedimento mundi, vel sæculari desiderio cor meum defende, et sicut habitum gero innocentiæ, sic mihi virtutum incrementa tribue, ut veterem cum suis actibus hominem exuere, et novum cum justitia et sanctitate merear induere, ut omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, in tua semper dilectione permaneam, cœlestem benedictionem accipiam, et præsentis vitæ præsidiis (te donante) gaudeam, et æternæ. Amen.

Immensam misericordiam tuam, misericors Deus et miserator, iterum exoro, remitte mihi omnes lubricæ temeritatis offensas, ut anima mea benignitatis tuæ dul-

cedine repleatur, et concessa venia plenæ indulgentiæ, quidquid pro proprio reatu delibui, totum per ineffabilem pietatem tuam dele et absterge. Nec sit a me clementiæ tuæ longinqua miseratio, sed quidquid tuæ contrarium voluntati, fallente diabolo, et propria iniquitate atque fragilitate contraxi, tu pius et misericors ablue indulgendo. Sana vulnera, cunctaque remitte peccata, ut nullis a te iniquitatibus separatus, sed semper hic et ubique defensionis tuæ auxilio munitus, tibi Domino semper valeam adhærere, et perpetuæ gloriæ quandoque portionem percipere, quam oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit quæ præparasti diligentibus te. Amen.

O lux beata Trinitas, et principalis unitas, auge in nobis fidem, auge spem, auge charitatem, libera nos, salva nos, justifica nos. O beata Trinitas, solve crimina, dimitte peccata, miserias pelle, angustias amove, tribulationes inspice, adversitates pelle, effectumque petitionis nostræ largiens, clementer nos exaudi, ut exuti ab omnibus quæ patimur malis in tuis semper delectemur exsultare judiciis. Adveni, quæso, pie Domine, et in medium nostri consiste, ut te invenire in cordibus nostris sentiamus. Oris nostri confessionem libenter suscipe, et fructum nos viriditatis habere concede, quatenus tuis imbribus irrigati, mereamur tibi suavium fructuum ubertate placere, ut in tui amoris accendamur illustratione, et veræ charitatis illuminemur igne. Et sicut Moysen famulum tuum mirabili illuminasti splendore, ita corda et sen-

sus nostros illuminare digneris, ut peccatorum labe expiati, ad te, qui æterna vita es, pervenire mereamur. Da gaudiorum præmia, da gratiarum munera, dissolve litis vincula, astringe pacis fœdera. Illumina cor hominum, absterge sordes mentium, resolve culpæ vinculum, everte moles criminum.

Peccavimus tibi, Domine, patientiam habe in nobis, et erue nos a malis, quæ quotidie accrescunt super nos. Iniquitates nostræ, Domine, multiplicatæ sunt super capita nostra, delicta nostra creverunt usque ad cœlos. Parce, Domine, et inclina super nos misericordiam tuam. Domine, imminuti sumus propter peccata nostra hodie; sed in illo animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur, et fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam, quia non est confusio confidentibus in te, Domine. Non est alius Deus præter te, Domine, et tibi de omnibus cura est, eo quod Dominus omnium es. Parce populo tuo, qui das precantibus largitatem, ut convertatur malitia in bonitatem. Exaudi, Domine, deprecationem servorum tuorum, et miserere populo tuo, ut sciant omnes gentes quia tu es Deus sæculorum. Miserere civitati sanctificationis tuæ, Domine Deus noster. Miserere plebi tuæ, Domine, super quam invocatum est nomen tuum sanctum, ut sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus protector populorum tuorum. Domine, dimitte peccata populi tui, secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Sicut propitius fuisti patribus nostris, propitius esto et nobis, ut impleatur gloria tua in universa terra.

Exaudi, Deus, deprecationem nostram, et propitius esto populo tuo, et converte tribulationem nostram in gaudium, ut viventes benedicamus te, Domine. Deprecamur te, Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus, et ira tua a civitate ista, et a domo sancta tua quoniam peccavimus. Inclina, Domine, aurem tuam, et audi; respice de cœlo, et vide afflictionem populi tui. Exaudi, Domine, propitiare, Domine; intende, ne tardaveris, quia nomen sanctum tuum invocatur super nos. Multa sunt, Domine, peccata nostra; tibi peccavimus, patientia Israel; libera nos, Domine, in tempore angustiæ nostræ. Peccavimus, Domine, et tu iratus es nobis, et non est qui effugiat manum tuam; sed supplicamus ut veniat super nos misericordia tua. Qui Ninivæ pepercisti, miserere nobis. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et quos hucusque toleras, ad pœnitentiam compunge. Propitiare, Domine, omnibus christianis vivis et defunctis. Auxiliare optimis, ut in bonitate semper consistant. Miserere bonis et mediocribus, ut meliores fiant. Succurre prave agentibus et delinquentibus, ut cito se corrigant. Propitiare etiam, Domine, hæreticis et schismaticis, Judæis et paganis, ut revertantur a viis suis malis, et cognoscant te Deum vivum et verum, qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Miserere omnibus fidelibus defunctis, dans eis vitam beatam propter pietatem tuam.

Memento nostri, Domine, in gravi isto corpore; convertat tua benignitas quos longa sustinuit pietas. Miserere

nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum. Nos miseri, nos sumus opera tua, quæ dedisti filio tuo in hæreditatem sibi. Noli claudere aurem tuam ad preces nostras, sed subleva clemens afflictionem populi tui, illud revolvens quod pollicitus es dicens : Convertimini ad me, et ego revertar ad vos. Memento nostri, Domine, memento nostri, ut efficiamur hæredes regni tui, et videntes gloriam tuam adoremus bonitatem tuam, et dicamus pariter, cum viderimus inæstimabilem pulchritudinem tuam : Gloria Patri qui fecit nos, gloria Filio qui salvavit nos, gloria Spiritui Sancto qui renovavit nos, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO II.

AD DEUM PATREM PER MERITA FILII INCARNATI.

Invoco te, Deus meus, invoco te, quia prope es omnibus invocantibus te, sed invocantibus in veritate : tu enim veritas es. Doce me, quæso, per clementiam tuam, sancta veritas, doce me invocare te in veritate, quia quomodo hoc fieri oporteat nescio, sed doceri a te, beata veritas, humiliter imploro. Abs te enim sapere, desipere est ; te vero nosse est perfecte scire. Erudi me, o divina sapientia, et doce me legem tuam. Credo namque quia beatus erit, quem tu erudieris et de lege tua docueris eum. Desidero invocare te, quod quæso fiat in veritate. Quid est invocare in veritate veritatem, nisi in Filio Patrem ? Ergo, sancte Pater, sermo tuus veritas est,

principium verborum tuorum veritas. Hoc quippe est verborum tuorum principium, quod in principio erat Verbum. In ipso principio te summum adoro principium; in ipso veritatis Verbo te, perfecta, invoco, veritas : in quo ipsa eadem veritas, dirigas me et doceas in veritate. Quid enim dulcius quam genitorem in nomine unigeniti exorare, Patrem in recordatione Filii ad pietatem flectere, Regem charissimæ sobolis denominatione mitigare ! Sic rei solent carceribus eripi, sic mancipati vinculis liberari, sic tristem capitis excipientes sententiam, non solum absolvi, sed insuper nancisci insolitam gratiam, dummodo iratis principibus dilectæ prolis intimaverint charitatem. Sic delinquentes servuli evadunt supplicia dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorum. Sic te, Pater omnipotens, per omnipotentis Filii tui charitatem postulo, educ de carcere animam ad confitendum nomini tuo, libera me a vinculis peccatorum, per coæternum tibi natum unicum flagito; meque, cui propria merita lethalem minantur sententiam, pretiosissimæ ad dexteram tuam consedentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam. Quem alium enim dirigam intercessorem pro me tibi, nescio nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexteram tuam interpellans pro nobis.

Ecce advocatus meus apud te Deum et Patrem : ecce Pontifex summus, qui non eget alieno expiari sanguine, quia proprio refulget perfusus cruore. Ecce hostia sancta, beneplacens et perfecta, in odorem suavitatis et oblata et

accepta. Ecce agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit, qui alapis cæsus, sputis illitus, probris affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, et languores nostros suo livore sanavit. Aspice, pie Pater, piissimum Filium tuum pro me tam impia passum. Respice, rex clementissime, quis patitur, et reminiscere benignus pro quo patitur. Nonne hic est ille innocens, mi Domine, quem ut servum redimeres filium tradidisti? Numquid non auctor vitæ hic est, qui ut ovis ad occisionem ductus, tibique obediens usque ad mortem factus, atrocissimæ non timuit necis genus subire? Recole, totius salutis dispensator, quia hic ipse est, quem etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluisti.

Vere hæc est tua deitas, quæ, meam induta naturam, crucis ascendit patibulum, in assumptaque carne triste tulit supplicium. Reduc, Deus meus, oculos majestatis tuæ super opus ineffabilis pietatis, intuere dulcem natum toto corpore extensum, cerne manus innocuas pio manantes sanguine, et remitte placatus scelera quæ patraverunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, et renova me sacro fonte, quem inde fluisse credo. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis, et perfice gressus meos in semitis tuis; et fac me odio habere omnem viam iniquitatis; viam iniquitatis, misericors, amove a me; et fac me propitius viam veritatis eligere. Oro te, rex sæcu-

lorum, per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu uniri, qui non horruit mea carne vestiri.

Numquid non attendis, pie Pater, adolescentis Filii charissimum caput, nivea cervice deflexa, pretiosissimam resolutum in mortem? Aspice, mitissime Conditor, dilectæ sobolis humanitatem, et miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, pendent crura marmorea, rigat tenebratos pedes sacri sanguinis unda. Specta, gloriose genitor, gratissimæ prolis lacerata membra, et memorare benignus quæ mea est substantia. Conspicare Dei hominis pœnam, et relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, et redempti dimitte delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit dilectus in quo tibi bene complacuisti. Hic est ille innocens in quo dolus non est inventus, et tamen cum iniquis deputatus est.

Quid commisisti, dulcissime puer, ut sic judicareris? quid commisisti, amantissime juvenis, ut sic tractareris? quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ livor passionis, tui cruciatus labor. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. O mirabilis censuræ conditio, et ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus, et punitur

justus; deliquit reus, et vapulat innocens; offendit impius, et damnatur pius; quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus, exsolvit dominus; quod committit homo, sustinet Deus. Quo, nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua flagravit charitas? quo processit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attigit amor? quo pervenit compassio? Ego enim inique egi, tu pœna mulctaris; ego facinus admisi, tu ultione plecteris; ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris; ego superbivi, tu humiliaris; ego tumui, tu attenuaris; ego inobediens exstiti, tu obediens Patri scelus inobedientiæ luis; ego gulæ parui, tu inedia afficeris; me ad illicitum rapuit concupiscentia ardorem, te perfecta charitas ducit ad crucem; ego præsumpsi vetitum, tu subiisti equuleum; ego delector cibo, tu laboras in patibulo; ego fruor deliciis, tu laniaris clavis; ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem; mihi reo ridens congaudet Eva; tibi pie plorans compatitur Maria.

Ecce, Rex gloriæ, ecce impietas mea, et claret pietas tua, in mea injustitia et tua liquet justitia. Quid, Rex meus, et Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti? Non enim inveniri potest in corde hominis quod condigne talibus referatur præmiis. Numquid potest sagacitas machinari humana, cui comparetur miseratio divina? Nec est creaturæ moliri officium, quo juste Creatoris recompenset præsidium. Est autem, Nate Dei, in hac tua admirabili dispensatione, est cui me fragilitas in aliquo suppetit, si tua visitatione compuncta

mens carnem suam crucifigat cum vitiis et concupiscentiis. Et sic hoc a te conceditur, quasi jam tibi incipit compati, quia et tu pro peccato meo dignatus es mori, sicque per interiorem hominis victoriam te duce, armabitur ad exteriorem palmam , quatenus devicta persecutione spiritali, non vereatur pro amore tuo subjici gladio materiali. Ita exiguitas conditionis, si tuæ complaceat pietati, magnitudini valebit pro viribus respondere Creatoris. Et hæc cœlestis medicina, bone Jesu, hoc tui antidotum amoris.

Oro te per antiquas misericordias tuas, infunde meis visceribus quod, rejecta viperæ contagionis bile reintegret me incolumitati pristinæ, quod, gustato nectare tuæ suavitatis, faciat me illecebrosa mundi prospera toto affectu despicere, et nulla ejus adversa pro te formidare, memorque perpetuæ nobilitatis semper fastidiam ventos hujus transitorii timoris. Nihil, quæso, sine te mihi dulcescat, nihil complaceat, nihil pretiosum, nihil præter te mihi arrideat speciosum; vilescant, obsecro, absque te mihi omnia, sordeant universa. Quod tibi adversum est, sit mihi molestum; et beneplacitum tuum, mihi indeficiens desiderium; tædeat me gaudere sine te, et delectet me tristari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, et memoria tua mea consolatio; fiant mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, tuas investigando justificationes, sit bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti; sit obedire tibi mihi amabile, et resistere tibi exsecrabile. Rogo te, spes mea, per omnes pietates

tuas, ut propitieris omnibus impietatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis, et ne declines, flagito, per nomen sanctum tuum, in verba malitiæ cor meum, ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, ne veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

Ecce, omnipotens Deus, Pater Domini mei, dispone benignus quo mihi miserearis, quoniam quidquid pretiosius inveni, devote tibi obtuli, quidquid carius reperi, suppliciter præsentavi ; mihi nihil reliqui quin tuæ exposuerim majestati ; nihil jam superest quod adjiciam, quia totam tibi delegavi spem meam. Direxi tibi advocatum meum, tuum dilectum Filium, misi gloriosam progeniem inter me et te mediatorem. Misi, inquam, intercessorem, per quem confido veniam ; misi verbis Verbum quod pro meis dixi missum factis, et numeravi tibi sanctissimæ sobolis mortem quam pro me credo fuisse perpessam. Credo a te missam Deitatem nostram suscepisse humanitatem, in qua dignum duxit vincula, alapas, sputa, irrisionesque perferre, nec non cruces clavosque suscipere. Hanc olim infantiæ vagitibus demolitam, pueritiæ pannis constrictam, sudoribus vexatam, jejuniis maceratam, vigiliis afflictam, itineribus fessam, postea affectam flagris, laceratam suppliciis, deputatam cum mortuis, dotatam vero gloria resurrectionis cœlorum gaudiis induxit, et in dextera tuæ celsitudinis collocavit.

Tu placatio mea et propitiatio mea, hic intende pius quem genueris Filium, et quem redemeris servum, hic

aspice Factorem, et ne despicias facturam, amplectere serenus Pastorem, et recipe misericors allatam propriis humeris ovem. Hic ipse est fidelissimus Pastor ille, qui dudum errabundam ovem per abrupta montium, per præcipitia vallium multis variisque quæsierat laboribus, quique jam morienti, jam per longa exsilia deficienti tandem inventæ gaudens se supposuit, et miro sibi adnisu charitatis annixam de profunda confusionis abysso levavit, piisque astrictam complexibus ad nonaginta novem, unam quæ perierat, reportavit ovem. Ecce, Domine, mi Rex, omnipotens Deus, ecce Pastor bonus refert tibi quod commisisti ei. Suscepit, te disponente, ad salvandum hominem, quem tibi restituit omni labe immunem; ecce tibi tuum charissimus Filius plasma reconciliat quod a te procul deviaverat. En gregi tuo mitis Pastor reformat quod prædo violentus abegerat, reddit tuis conspectibus servum quem sua fecerat conscientia fugitivum, ut qui per se pœnam meruit, per Factorem mundi mereatur veniam, cuique pro culpis suis supererat gehenna, tanto duce jam confidat revocari ad patriam. Potui per me te, sancte Pater, offendere, sed non potui per me te mihi placare; factus est adjutor meus, Deus meus, tuus dilectus Filius, meam participans humanitatem, ut curaret infirmitatem, quatenus unde culpa emerserat offensionis, inde tibi immolaret sacrificium laudis, meque per hoc tuæ redderet pietati placabilem, quo sedens ad dexteram tuam semper meæ substantiæ se ostenderet esse consortem. Ecce spes mea,

ecce tota fiducia. Si me pro mea, ut dignum est, despicis iniquitate, respice me saltem misertus pro dilectæ sobolis charitate; attende in Filio quo propitieris servo. Vide carnis sacramentum, et carnis remitte reatum; recole quod bonus perpessus est filius, et obliviscere quod malus operatus est servus. Quoties beatæ prolis tibi patent vulnera, delitescant, obsecro, scelera mea; quoties rubet pretiosus sanguis pio de latere, deleatur, supplico, labes meæ pollutionis. Et quia te caro lacessivit ad iram, caro te inflectat, precor, ad misericordiam, ut sicut me caro seduxit ad culpam, caro deducat ad veniam.

Multum quippe est quod mea mereretur impietas; longe autem majus est quod Redemptoris mei reposcit jure pietas; magna enim est mea injustitia, multo vero major est Redemptoris mei justitia. Quanto enim superior est Deus homine, tanto mea malitia est inferior bonitate ejus, ut qualitate, ita etiam quantitate. Quid enim delinquere posset homo quod non redemerit Dei Filius factus homo? Quæ tanta superbia tumeret, quam non tanta humilitas sterneret? Quodnam esset mortis imperium quod nati Dei non destrueret crucis supplicium? Nimirum, Deus meus, si æqua lance iniquitates peccantis hominis et redimentis gratia librentur auctoris, non tantum oriens distat ab occidente, seu inferior separatur infernus a summo cœli cardine; quantum pietas Redemptoris superat malitiam peccatoris.

Jam, lucis optime Creator, jam culpis ignosce meis pro dilecti Filii tui laboribus immensis. Jam, quæso, ejus

pietati mea impietas, ejus modestiæ mea perversitas, et ejus mansuetudini mea donetur ferocitas. Jam sua humilitas meam superbiam, patientia impatientiam, benignitas duritiam, obedientia inobedientiam, tranquillitas inquietudinem, dulcedo amaritudinem, suavitas iram, charitas lucrifaciat crudelitatem. Qui tecum, etc.

ORATIO III.

AD DEUM.

Contra tres inimicos qui peccatorem gravius multoties infestant et, nisi misericordia Dei eum tueatur, sæpius ad mortem vulnerant, scilicet inanis gloria, invidia, superbia.

Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me. In te Domine, speravi, non confundar in æternum; in tua justitia libera me et eripe me. Domine, Deus meus, Creator meus, et Gubernator meus, sicut dixi et semper dicam, in te speravi, et in te spero, nec, quamdiu fuerit halitus in naribus meis, a misericordia tua desperabo. A meipso vero, si diligenter omnes actiones meas inspicio, semper despero, quia semper in malis operibus conversor; sed respiciens ad dulcissimum Creatorem meum, ad patientissimum Dominum meum, qui male me vivere conspicit, et adhuc exspectat correctionem meam, exspectans et tolerans auscultat si in aliqua re curarem, emendare vitam meam, respiro, et misericordiam Creatoris mei, qui tam dulciter me tolerat, invoco. Ex omni parte invadunt me inimici mei et jam fere ex omni parte perforant

et irrumpunt interiora cordis mei, et nisi ille piissimus Dominus meus, qui me creavit, mihi subveniat subveniens et terrens inimicos meos, qui sic me tribulant repellat, illorum vinculis infeliciter ligata jam cito ducetur captiva anima mea. Ergo libera me, Domine, ex omnibus persequentibus me; et si non propter me, saltem propter te. Propter me, fateor, dulcissime Domine Deus meus, non est tibi ratio liberandi me, quia fere semper delectat me malum facere, et in malis operibus perseverare. Sed propter te libera me, quia verecundia tua est inimicos tuos creaturam tuam sic deludere, sic delusam et eorum sordidissimis fœdatam male tractare quam tam honestam creasti, tanto honore rationis exornasti, quam ad imaginem et similitudinem tuam plasmasti.

Ecce, dulcissime Deus meus, ecce infelix spiritus meus malis operibus undique corrosus, de dentibus inimicorum suorum, quibus infeliciter dilaniabatur, vix erutus tuum auxilium implorat, tuæ gratiæ visitationem suspirat, quia nisi cito subvenias, eorum insecutione graviter fatigatus jam etiam ad te nec anhelare valebit. Multi sunt inimici mei, sicut vides, piissime Creator meus, quorum sævitia graviter ferior, percussus et illusus non modicos dolores sustineo; sed unus inter cæteros semper gravius me appetit, et semper sine ulla miseratione usque ad interitum prosternere contendit. Sæpius enim cum alii inimici mei ab insecutione mea quasi fatigati quiescunt, unus audacior cæteris fortius telum vibrat, scilicet inanis

gloria, quæ non solum miserum hominem malis operibus maculat, sed etiam de ipsis bonis operibus quæ agere videtur, si se caute non custodit, jugulat. Hæc pestis progenita est ab illa superbia quæ primum hominem prostravit, prostratum et vulneratum ab illa felicitate, quam possidebat, expulit. Et ut miserum, quem invadit, fortius prosternat, invidiam, per quam mors intravit in orbem terrarum, secum ad adjuvandum se advocat. Invidia igitur miserum quem arripit, urit, urendo, tristem et quasi languore possessum incedere facit. Inanis vero gloria, quasi recreando, de ipsis bonis operibus quæ facere fingit, extollit. Sed ut miserum quem semel inanis gloria intercipit, infelicius captivum ducat, nec ei ullam spem evadendi relinquat, ad matrem superbiam recurrit, et ejus animata mortifero consilio virtutem diligendi Deum et proximum ei primum abscidit. Dum enim infelix, quem inanis gloria inficit, superior cæteris videri cupit, si quem considerat in bonis operibus meliorem se esse, rectusque incedere negare non possit, illum, si valet, et omnia quæ agit, opprimit; non valet, quia aperte recta sunt, saltem ut non ex toto recte acta credenda sint, quocumque modo obnubilare satagit. Sicque miser animus hac captivitate possessus, nec rectum agit, si quid rectum agere videatur, quia nec proximum diligit, quem sicut se amare præcipitur, nec Deum amat, quem hoc agendo non amare convincitur. Qui enim proximum suum non amat, nec eum, in quantum valet ut in bono proficere possit, adjuvat, nec Deus

illum amat, nec ad ejus opera respicit, etiamsi coram hominibus videantur esse bona. Quid vero, quid miserius potest esse homine qui se de bono opere extollit? Qui, dum sese putat extollere, de supernis ad ima ruit; superbia enim semper naturaliter in profundum inferni jacet, humilitas vero semper in cœlis habitat, et in cœlo manet. Et quem inanis gloria de summis dejicit, superbia mater ejus in brachiis æternæ perditionis excipit; sicut e contrario, cujus humilis conversatio est in terris, Deus qui humilia respicit, et alta a longe cognoscit, eum de ima conversatione elevat in cœlos.

Fateor, mitissime Deus, fateor me his tribus malis, imo his tribus furiis infernalibus graviter esse prostratum, et fere usque ad interitum in anima vulneratum, et, nisi indulgentissima misericordia tua cito subveniat, gravius esse damnandum. Heu miser, heu miser, semper et ubique, heu miser, quanta captivitas est miseri hominis! Si male vivit, est aperta damnatio; si recte quidem vivere videtur, sed incaute se custodiens, inde gloriatur, iterum est misero certa mors, et æterna damnatio. O Deus, nostrum refugium, o Creator noster, et virtus nostra adversus eos qui nos persequuntur, et si te nos viderint propter peccata nostra dimittere, semper insidiantur, adjuva nos, misericors, tua misericordia semper indigentes, tuæ miserationis auxilium, plusquam nobis expediret, tepide postulantes. Et si nos despicis, ideo quia multis iniquitatibus involvimur, saltem reduc ad nos misericordes oculos tuos, quia creatura

tua sumus. Et sicut verissimum est te nostrum semper esse Creatorem, sic semper et ubique sentiamus te nostrum esse defensorem, et adversus inimicos nostros indeficientem protectorem, ut in præsenti vita semper a te defensi et adjuti, finito temporali cursu, ad te Creatorem nostrum et Dominum perveniamus ab omnibus peccatis mundati et absoluti. Amen.

ORATIO IV.

Cum peccator de iniquitatibus suis multum est anxius, easque coram Deo, omni postposita verecundia, expandit.

Altissime, et mitissime amator hominum Deus, Creator et Gubernator omnium creaturarum, immensæ bonitati tuæ confiteor omnia peccata mea quæcumque quocumque modo feci, ex ea hora ex qua peccare potui usque ad hanc horam in qua adhuc per misericordiam tuam me vivere pateris. Omnium vero non possum esse memor, quia multa sunt, et facile enumerari non possunt. Sed tu, piissime et misericordissime Deus, cui nota sunt omnia antequam fiant, qui verus inspector es cogitationum, et justissimus scrutator cordis et renum, tu nosti omnia peccata mea, quæcumque egi, vel adhuc ago, vel intus in anima mea per occultas cogitationes, vel foris per apertas operationes. Et propterea, quia veraciter hæc omnia me fecisse contra voluntatem tuam intelligis, coram majestate tua, et coram omnibus sanctis tuis, me reum et culpabilem esse confiteor, et nisi indulgentissima misericordia tua prius subveniat, post

mortem carnis æterna morte esse damnandum, æternisque tormentis æternaliter esse torquendum.

Scio, dulcissime Deus, scio quia me creasti, et creatum misericorditer dilexisti, et quia ad hoc me creasti, ut et ego quoque te Creatorem meum, sicut dignum esset, diligerem, tuisque præceptis per omnia obediens essem. Et hoc totum ad bonum meum fecisti, non ut tu per me vel melior esses, vel in aliquo ditior existeres. Tu enim nullo bono eges, quia tu essentialiter es ipsum bonum, et a te est omnis bonus, quicumque bonus est. Et ideo non potes esse vel melior, vel ditior; et hoc non per falsam impotentiam, sed per veram potentiam non potes. Qui enim malum potest et facit, malo suo hoc potest et facit, quia per hanc potentiam non sursum ad excelsa erigitur feliciter, sed deorsum ad ima attrahitur infeliciter. Hac potentia, vel potius impotentia miserabiliter deductus, et quasi vesica turgens inaniter inflatus, extra rationem positus, et quasi jumento insipienti similis factus, telo superbiæ miserrime percussus et prostratus te Creatorem meum et misericordissimum Dominum in tuis præceptis contempsi, quæ mihi ad bonum meum, si observassem, dedisti, contemnens, et veluti mente perditus, dum huc illucque quasi superbe feror, vera soliditate perdita vias perditionis et mortis incurro, ac vanitatem, vanæque elationis ventum stulte et insipienter sequor.

Fateor, clementissime Deus, fateor coram omnipotentia tua me nimis esse superbum, vanum et omni genere

elationis plenum. Et puto quia, si in hoc sæculo aliquam haberem potentiam, nullus posset sufferre meam superbiam. Sed et ista superbia qua coram hominibus tam graviter vexor, quamvis sit exsecrabilis et nimis periculosa, est tamen alia superbia, qua, cum diligenter secretum mentis meæ non mihi blandiens inquiro, non parum vexatur et dissipatur infelix anima mea. Aliquando vero si contingat (quod tamen raro accidit) infelix aliquid me facere, quod secundum æstimationem hominum videatur aliqua similitudo boni, non parum de hoc ipso superbio. Et si nemo inde loquitur, vel aliquo modo me laudare curat, eum, quasi stultum et nihil scientem, despicio, vel etiamsi, quasi non curans, laudationem hominum vanam et inutilem fugio, non parum in ipsis interioribus meis, ubi solus Deus videt, inde glorior, et mirum in modum, dum laudationem vitæ, eo amplius laudationem et vanam gloriam appeto. Ecce, Deus meus, et Creator meus, ecce vides me ita facere, ita vivere, et totum quod vivo perdere; ecce vides et exsecraris, et pro tali vita nonnisi pœnas et tormenta promittis. Subveni ergo, Creator meus, subveni adjutor in opportunitatibus, subveni et adjuva animam meam, et per ineffabilem misericordiam tuam destrue et confunde superbiam meam. Ecce, Deus meus, et Dominus meus, ecce confiteor immensæ bonitati tuæ veneno hujus malitiæ me totum esse infectum, corruptum et destructum, et jam fere nisi misericordia tua subveniat ad nihil redactum. Sed coram majestate tua culpam

meam recognosco, reus et culpabilis veniam et indulgentiam de hoc et de omnibus peccatis meis a te, misericors Creator, peto, qui non vis mortem peccatoris, nec lætaris in perditione morientium. Sunt et alia multa quæ de radice hujus pestis exoriuntur, quæ me habere et eorum molestiis non parum inquietari et sæpissime atteri similiter confiteor. Et similiter de his omnibus veniam et indulgentiam requiro. Sunt autem hæc, videlicet ira, impatientia, inimica Deo et omnibus odiosa discordia, indignatio, rancor animi, tædium mentis, voracitas gulæ, murmuratio, avaritia, rapacitas et multa his similia, quibus vexari et affici, lacerari et discerpi infeliciter animam meam conspicio.

Est et præter hæc, unum malum super omnia mala malum, quo tanto gravius et miserabilius laceratum et afflictum animum meum sentio, quanto et ab ipsis cunabulis semper mecum fuit, mecumque crevit, in infantia, in adolescentia, in juventute mihi semper adhæsit, nec adhuc jam præ senectute membris deficientibus me deserit. Est autem hoc malum, desiderium voluptatis, delectatio carnis, tempestas libidinis, quæ multis et variis modis infelicem animam meam maceravit, dissolvit et omni virtute destitutam inanem et debilem reddidit. Fateor, dulcissime et mitissime Deus, fateor coram omnipotentia tua me hujus nefario opere hujus operis nefarii immundis recordationibus sæpe esse pollutum, incensum, ardores non modicos et inhonestos passum, et non solum mearum delectationum malas memorias et

stultas recordationes mihi nocere; sed etiam aliorum malefacta mihi narrata, et per recordationes sordidas ad memoriam reducta, cor meum non parvo nævo iniquitatis maculare.

Ecce, Deus meus, piissime et misericordissime Domine meus, quamvis non parvam verecundiam passus, expandi coram te iniquitates meas, ostendi vulnera et peccata mea, ostendi animam meam malis operibus maculatam, malorum operum delectationibus infectam, malarum delectationum recordationibus fœdatam. Deus meus misericordia mea, respice ad pietatem tuam; suscipe confessionem meam, et fac mecum secundum misericordiam tuam. *Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?* Vel etiam quis justitia sua sine misericordia tua poterit liberari? Propitius esto mihi, Domine, *propitius esto mihi peccatori;* parce peccatis et iniquitatibus meis, ut per tuam misericordiam ab omnibus vitiis mundatus ac purgatus, et ab omnibus peccatis clementer absolutus, finita temporali conversatione, perduci merear ad regna cœlorum, ubi cum sanctis omnibus te laudare, et benedicere et glorificare valeam in sæcula sæculorum.

ORATIO V.

Ad obtinendam cordis compunctionem in oratione.

Ignosce, Domine, ignosce pie, ignosce et miserere, parce ignorantiæ meæ et multæ imperfectioni meæ. Noli me tanquam temerarium reprobare, quod audeam ser-

vus, utinam vel bonus et non etiam inutilis et malus, et ideo valde malus quia te omnipotentem Deum nostrum terribilem et nimis metuendum sine cordis contritione et lacrymarum fonte, sine reverentia debita et tremore laudo, benedico, atque adoro. Si enim Angeli te adorantes et laudantes tremunt mira exsultatione repleti, ego peccator, dum tibi assisto, laudes dico, sacrificium offero; cur non corde paveo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorresco, sicque obortis lacrymis coram te indesinenter lugeo? Volo, sed non valeo, quia nequeo quod desidero. Hinc enim mecum vehementer admiror, dum te nimis terribilem oculis fidei cerno.

Sed quis hoc sine ope gratiæ tuæ? Universa enim salus nostra magna misericordia tua. Miserum me, quomodo sic insensata facta est anima mea ut non terreatur terrore nimio, dum stat ante Deum, et suas illi laudes decantat? Miserum me, quomodo sic induruit cor meum ut oculi mei indesinenter non producant flumina lacrymarum, dum conservus sermocinatur coram Domino suo, homo cum Deo, creatura cum Creatore, qui factus est ex limo cum eo qui omnia fecit ex nihilo? Ecce, Domine, pono me ante te, et quid in secretis de me sentio, paternis auribus non taceo. Tu dives in misericordia, et largus in præmiis, da mihi de bonis tuis, ut ex eis serviam tibi. Non enim aliunde possumus tibi servire neque placere nisi de tuo munere.

Confige, quæso, *timore tuo carnes meas;* lætetur cor meum, *ut timeat nomen tuum,* utinam sic te timeret

peccatrix anima mea, quomodo ille vir sanctus qui dixit: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Dator enim omnium bonorum Deus, da mihi inter laudes tuas fontem lacrymarum simul cum cordis puritate et mentis jubilatione; ut perfecte te diligens, et digne te laudans, ipso cordis palato sentiam, gustem, et sapiam quam dulcis et suavis es, Domine, sicut scriptum est: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Beatus vir qui sperat in eo. Beatus populus qui scit jubilationem. Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

ORATIO VI.

Ne peccator pro ullo peccato desperare debeat, quia pius est et misericors Dominus, nec vult mortem peccatoris, sed vitam.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam; et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Credimus quod hanc orationem Spiritus Sanctus dictaverit, cujus inspiratione compunctus homo peccator, sed et fidelis et sibi postulat a Deo misereri, suasque iniquitates secundum multitudinem miserationum ejus deleri, quem et omnipotentissimum Deum et misericordissimum Dominum esse credidit. Est autem hoc opus Spiritus Sancti, quod peccatori sua facinora displicent, et ea agere satagit quæ

Creatori suo placent. Sed et hoc suis viribus non valet, nisi ejusdem Spiritus Sancti gratia illuminatus; cujus cor, cum per suam gratiam visitat, protinus ab omni labe vitiorum emundat. Dulcis est vero Dominus et pius erga creaturam suam, quam creavit ad imaginem suam et similitudinem; et quam tanto ditavit honore, nullo modo nisi ejus magna iniquitate patitur perire. Est autem, est omnino universitatis Creator *suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus se, omnibus* qui invocant *eum in veritate; et voluntatem timentium se* facit, et deprecationem eorum exaudit, et per suam magnam misericordiam salvos ad sempiternam gloriam ducit. Miseretur enim omnium, et nihil odit eorum quæ fecit, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, et parcens illis, quia pius est Dominus. Est autem misericors Dominus peccatoribus a suis nequitiis cessantibus, et per veram pœnitentiam veræque pœnitentiæ bona opera suas malitias mundantibus; et per veram confessionem, veræque confessionis sacrificium, sese mactantibus. Est autem vera pœnitentia veraque confessio, et perpetrata mala plangere, et plangenda amplius non amittere. Quomodo vero miseretur Pater filiorum, et multo magis quam pater carnalis filiorum, miseretur pius et misericors Dominus omnium se timentium. Ipse enim novit figmentum nostrum; cognovit etiam unde nos fecit limum nostrum. Recordatur enim quod pulvis sumus, et cinis, sed tamen ad ejus imaginem facti. Intuentes autem vereque confitentes tantam misericordiam

Creatoris nostri erga creaturam suam, non de remissione culparum desperemus. Quoniam si ex toto corde pœniteamus, nostrasque iniquitates dignis fletibus insequamur, ejus indulgentissimam pietatem procul dubio consequemur.

Sed fortasse aliquis mente perditus, et jam ipsis voraginibus æternæ damnationis immersus, considerans enormitatem scelerum suorum, desperans de misericordia Dei, dicere apud se præsumit : quod consilium recuperandæ salutis jam amplius invenire potero; aut quam consolationem, aliquam veniam scelerum promittentem, sperabo? Ex quo peccare potui, nunquam a peccatis et malis operibus cessavi. Peccatis peccata semper accumulavi, et peccata, quæ aliquando operibus implere non potui, malis voluntatibus ac malis desideriis perficere nunquam cessavi. Tantis ergo malis et iniquitatibus involutus, tantis criminibus et peccatis circumdatus, quid jam exspectare possum nisi æternam perditionem æternæque perditionis æternam damnationem? Aliquando vero si aliquam misecordia Dei peccatorum confessionem feci, et peccatorum pœnitentiam a sacerdote accipiens, aliquam emendationem malorum promisi, statim, vel post parvam moram, eadem mala vel pejora peccata feci, et quasi canis reversus sum ad vomitum; quod quasi per confessionem evomueram ore et corde, sordidus resumpsi. Juravi etiam sæpius me deinceps cessare a peccatis, viam iniquitatis omnino dimittere viamque justitiæ sequi. Sed neque timor ipsius perjurii

me a peccatis retinere potuit, neque timor Dei cuncta ab alto conspicientis.

Ecce vides, dulcissime amator hominum Deus, ecce vides de sanctuario tuo, et respicis de excelso cœlorum habitaculo, miserum hominem ad te dorsum ponentem, teque in tuis præceptis spernentem, et propter sua magna peccata de tua magna misericordia desperantem, et quamvis nimis miserum, et peccatorem, respicis tamen et vides a te creatum, et dum in hac vita existit, tuis beneficiis sustentatum. Immitte, bone Deus, in animam ejus timorem tuum, et aufer de corde ejus timorem noxium. Respice, et illumina cor ejus obcæcatum, ut videat et intelligat quam magna sit, et quam amabilis multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti desperantibus de te, perfecisti autem sperantibus in te. Non eum demergat, dulcissime Deus, non eum demergat tempestas aquæ nec absorbeat profundum, neque urgeat super eum puteus os suum, scilicet abyssus iniquitatum suarum, et desperatio miserationum tuarum. Credimus, clementissime Creator hominum Deus, te esse omnipotentem, et omnia quæcumque vis facientem. De te enim propheta dicit: Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in Cœlo, et in terra, et in mari, et in omnibus abyssis. Scimus autem quia non vis peccatores perdere, sed a peccatis cessare, et vivere. Si ergo omnipotens es, sicut vere es, quia quidquid vis, facere potes; et non vis peccatores perdere, sed a malis resipiscere, et vivere; de multitudine miserationum tuarum non debemus des-

perare; sed, securi de spe veniæ, misericordiam exspectare. Verum est omnino quia multa sunt et magna peccata nostra, sed certi sumus quia multa est et magna misericordia tua.

Scimus, omnipotens et misericors Deus, scimus quia tu es summus spiritus, incommutabilis et æternus, vivens vita tua, quæ tu ipse es, et æternitate tua, et nos creatura tua, a te creati bonitate et miseratione tua. Nos autem cum peccamus, id est, cum ea, quæ jubes non facimus, et quæ prohibes facimus, per peccatum nostrum morimur, licet in aliqua vita, nobis etiam mortuis tua miseratione concessa, existamus. Si vero iterum tibi obedientes existimus, et a malis operibus tua gratia adjuti nos retineamus, tibique, qui vivus Spiritus es et Creator noster, per bona opera jungimur, iterum reviviscimus; et post mortem in æterna gloria tecum victuri, si deinceps quandiu vixerimus in rectis operibus perseverantes existamus. Eliseus propheta cum mortuus esset et sepultus, et quidam qui erat mortuus, ejus ossibus tangeretur, resurrexit vivus, et iterum est, meritis prophetæ et tactu corporis, vivere permissus. Si ergo tactu prophetæ mortui resurrexit qui erat mortuus, multo magis nos reviviscimus, si tibi nostro Creatori per bona opera jungimur qui es vivus et immortalis Spiritus. Miserere ergo nostri, Creator noster, misereri nostri secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem nostram, et resuscita nos in hac præsenti vita a morte ad vitam, id est a morte

peccati ad justitiæ vitam, et in fine sæculi per tuam misericordiam justificatos, resuscita ad æternam gloriam. Quam ipse nobis præstare digneris, qui vivis et regnas per æterna sæcula. Amen.

ORATIO VII.

AD DEUM.

Cum confessione peccatorum, et humili petitione gratiæ.

Deus piissime, Deus clemens et misericors, propitiare peccatis nostris, et præsta ut peccata quæ vel auctore mortis instigati vel propria voluntate commisimus, non ad judicium tuum discutienda reserves, sed concessa gratia de sola tantum venia gratulemur, quia si ante oculos tuos, Domine, culpas quas fecimus et plagas quas excipimus conferamus, minus est quod patimur, majus est quod meremur. Peccati pœnam sentimus, et peccati pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis fragilitas nostra frangitur, et iniquitas nostra non mutatur. Mens ægra torquetur, cervix dura non flectitur, vita in dolore suspirat et in opere non emendat. Si exspectas, non corrigimur; si vindicas, non duramus. Confitemur in correptione quod fecimus, obliviscimur in visitatione quod flevimus. Si impresseris manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non facimus. Si ferias, clamamus ut parcas; si parcis, iterum provocamus ut ferias. Si angustia veniat, tempus petimus pœnitendi; si misericordia nos respexit, abutimur patientia quæ pepercit. Adhuc illata plaga vix præterit, et jam non recolit mens

ingrata quod pertulit. Si citius nos exaudias, ex misericordia insolescimus ; si tardius, ex impatientia murmuramus. Te volumus servare quod promiseris, et nos non timemus non observare quod jusseris. Habes ergo, Domine, confitentes reos; parce quia pius es. Novimus quia, nisi remittas, recte nos punias, sed apud te est multa miseratio et propitiatio perabundans. Præsta ergo sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui rogarent.

Clamantium ad te, Domine, nostri miserere, moveat pietatem tuam vox fidelis atque flebilis, atque illa de qua totum speramus misericordia non reputet quod offendimus, dum respicit quod rogamus. Et cum grandis sit miseria esse nos reos, major sit tibi clementia esse nos miseros. Tuo supplices auxilio ante te et criminis nostri mala ponimus et dolores, et a te precando misericordiam quam peccando repulimus exspectamus.

Da igitur, Pater piissime, ut ea quæ commisimus defleamus, ac per totius diei vel noctis spatia ab omnibus malorum incursibus liberos tuæ pietati servire concedas. Præstetur nobis de indulgentia tua quod rogaris accipere, quos agnoscis de nostra justitia fiduciam non habere. Erige nos, Domine Deus noster, et alleva in misericordia tua, ut communione salutis et gaudio charitatis, dum ipsi salvari ex munere cupimus, etiam fide et pace cunctarum gentium gaudeamus.

ORATIO VIII.

AD DEUM.

Deus inæstimabilis misericordiæ, Deus immensæ pietatis, Deus conditor et reparator humani generis, qui confitentium tibi corda purgas, et accusantes ante conspectum divinæ clementiæ tuæ ab omni iniquitatis vinculo absolvis, virtutem tuam totis exoro gemitibus, ut secundum multitudinem miserationum tuarum de omnibus iniquitatibus meis, de quibus me accusat conscientia mea, puram mihi coram te concedas agere confessionem, veramque ex his omnibus et condignam mihi tribuas pœnitentiam, quæcumque peccavi in cogitationibus pravis, in consensu malo, in consilio iniquo, in concupiscentia, atque delectatione immunda, in verbis otiosis, in factis malitiosis, in visu, auditu, gustu, odoratu et tactu. Tu enim misericors ad operandum mihi animæ meæ salutem membra singula humanis usibus apta dedisti, sed ego miserrimus omnium et peccator te æternæ salutis amatorem contempsi, et æterna mihi incendia inimico præparanti consensi, lapsus sum in peccatis, corrui in delictis, in membris singulis vero modum excessi, et impiis me laboribus obnoxium feci; non enim hæc narrans tuam, Domine, in me blasphemo creaturam, sed meam a te, piissime Deus, exsposco medicinam, quia me reum intelligo supra mensuram, quia ut astra cœli atque arenam maris, ita mea innumerabilia cognosco esse delicta. Insuper etiam ira, tristitia, acedia, jac-

tantia atque desidia unde principalibus vitiis obnoxium me esse profiteor; sed tu, qui non vis mortem peccatoris, respice in me et miserere miseri hujus.

ORATIO IX.

AD DEUM.

Omnipotens Deus, et misericors Pater, et bone Domine, miserere mihi peccatori. Da mihi veniam peccatorum meorum, cavere et vincere omnes insidias et tentationes et delectationes noxias, perfecte mente et actu vitare quæ prohibes, facere et servare quæ jubes, credere, sperare, amare, velle quod et quantum et tu scis et vis, compunctionem humilitatis et pietatis, discretam abstinentiam et carnis mortificationem, ad te amandum, orandum, laudandum, meditandum, ad omnem secundum te actum et cogitatum, puram, sobriam, devotam mentem, veracem et efficacem mandatorum tuorum notitiam, dilectionem, facilitatem et effectum, semper Domine, ad meliora cum humilitate proficere et nunquam deficere. Ne committas me, Domine, voluntati meæ, nec humanæ ingnorantiæ, aut infirmitati, neque meis meritis, nec ulli alii quam tuæ piæ dispositioni. Sed tu ipse clementer dispone me et omnes cogitatus et actus meos in beneplacito tuo, ut fiat a me, et in me et de me tua semper sola voluntas. Libera me ab omni malo, et perduc me in vitam æternam. Amen.

ORATIO X.

AD DEUM.

Pro vitiis resecandis, et virtutibus obtinendis.

Domine Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare.

Ecce, plasmator meus, multa rogavi, cum nec pauca promerui. Fateor, heu fateor! non solum quæ postulo non debentur dona, sed multa mihi debentur et exquisita supplicia. Sed animant me publicani, meretrices et latrones, qui a faucibus hostis momentaneæ pœnitudinis humilitate eruti sinu recipiuntur Pastoris. Tu enim factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen credideris esse in visceribus pietatis. Unde de temetipso per quemdam servum tuum dixisti : *Miserationes ejus super omnia opera ejus;* et quasi de singulo loquentem, de universo populo tuo te dixisse confidimus : *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Nullum enim spernis, neminem abjicis, neminem perhorrescis, nisi forte qui te amens exhorruerit. Ergo non modo iratus non percutis, sed te irritantibus bona, si quæsierint, tribuis, *Deus meus, cornu salutis meæ, et susceptor meus.* Ego infelix te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui; peccavi, et passus es; deliqui, et adhuc sustines. Si pœnitet, parcis; si revertor, suscipis; insuper dum differo, præstolaris. Revocas errantem, invitas repu-

gnantem, excitas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mœrentem mulces, a ruina suscitas, post lapsum reparas, petenti largiris, quærenti inveneris, pulsanti aperis.

Ecce, Domine Deus salutis meæ, quid opponam nescio, quid respondeam ignoro; nullum abs te confugium, nullum abs te patet latibulum. Ostendisti mihi bene vivendi viam, dedisti gradiendi scientiam, minatus es mihi gehennam, et pollicitus es mihi paradisi gloriam. Nunc, *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, confige timore tuo carnes meas*, quatenus quæ minaris, metuendo evadam, et *redde mihi propitius lætitiam salutaris tui*, ut quæ spondes diligendo percipiam. *Fortitudo mea, Domine, firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus*, suggere mihi quid de te cogitem, doce quibus te sermonibus invocem, da quibus operibus te placem. Scio namque, scio unum, quod placaris; et aliud quod non spernis. Est utique spiritus contribulatus tibi sacrificium, et acceptas cor contritum et humiliatum. His me, Deus meus, redemptor meus, dita muneribus. His contra inimicum muni protectionibus, hoc de flammis vitiorum præsta refrigerium, hoc a desideriorum passionibus pande pius refugium. *Fac, Domine, virtus salutis meæ,* ne sim in eorum ordine qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt. Obumbra caput meum in die belli, esto spes mea in die afflictionis, et salus in tempore tribulationis.

En Domine, illuminatio mea et salus mea, rogavi qui-

bus egeo, intimavi quæ timeo, sed remordet me conscientia, reprehendunt me cordis secreta, et quod amor ministrat, timor dissipat, zelus incitat, metus increpat; acta mea, formidinem, sed tua ingerit pietas fiduciam. Tua hortatur benignitas, mea retardat malignitas; et, ut verius fatear, occurrunt memoriæ phantasmata vitiorum, quæ reverberant audaciam præsumentium animorum. Cum enim quis odio dignus sit, qua fronte gratiam peccatorum requirit? Cum pœna debetur, qua temeritate gloria poscitur? Lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti, quærit præmiis honorari. Regi insultat obnoxius supplicio, qui flagitat donari indebito bravio. Et dulcem patris affectum stultus exacerbat filius, qui, post illatas contumelias, ante pœnitudinem hæreditatis usurpat celsitudinem. Quid, mi Pater, me egisse recolo? merui mortem, et peto vitam; commovi Regem meum, cujus impudens nunc invoco præsidium; contempsi judicem quem temere postulo adjutorem; insolens renui audire patrem, quem demum præsumo habere tutorem.

Heu mihi! quam sero venio, heu, heu! quam tarde festino, heu me! quia curro post vulnera, dedignans incolumis præcavere jacula; neglexi prospicere tela, modo sollicitor de morte vicina. Vulnera vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addere non timui; recenti tabe cicatrices respexi, quia prisca flagitia modernis iniquitatibus reciprocavi, et quæ divina solidaverit medicina, mea resolvit prurigo phrenetica. Cutis, quæ superducta vulneribus morbum celaverat, sanie erumpente putruit, quia

iterata iniquitas concessam misericordiam exinanivit. Novi quippe scriptum : *In quacumque die justus peccaverit, omnes justitiæ ejus in oblivione erunt* (Ezech. xxxiii, 13). Si justitia aboletur justi ruentis, quanto magis pœnitentia peccatoris in idipsum revertentis ? Quoties ut canis redii ad vomitum, et quasi sus repetii luti volutabrum ! Fateri mihi itaque difficile est, quia et recordari est impossibile quot mortalium homines ignorantes peccare docui, nolentibus delinquere persuasi, resistentes coegi, volentibus consensi, quot sane gradientibus laqueum induxi, viam quærentibus foveam detexi, mala patrare non horrui, donorum Dei oblivisci non metui. Sed tu, juste judex, signasti quasi in sacculo peccata mea, observasti omnes semitas meas, et cunctos gressus meos dinumerasti. Tacuisti semper, siluisti, patiens fuisti. Væ mihi ! demum loqueris quasi parturiens.

Deus deorum, Domine, præstabilis super malitia, novi quia manifeste venies ; novi quia non semper silebis, cum in conspectu tuo ignis exardescet, et in circuitu tuo tempestas ingruerit valida, cum advocaveris cœlum desursum, et terram discernere populum tuum. Ecce tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum simulque locutionum. Tot judicibus inops astabo quot me præcesserunt in bono opere. Tot arguentibus confundar quot mihi ræbuerunt bene vivendi exempla. Tot convincar testibus quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque

imitandos justis mihi dederunt actionibus. Domine, mi Deus, non suppetit quid dicam, non occurrit quid respondeam; et seu jam illi intersim discrimini, urget me conscientia, cruciant et cordis arcana, coarctat avaritia, accusat superbia, consumit invidia, inflammat concupiscentia, incestat luxuria, dehonestat gula, confutat ebrietas, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas obligat, discordia dissipat, ira perturbat, levitas dejicit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, favor attollit, calumnia pungit.

Ecce, liberator meus de gentibus iracundis, ecce cum quibus vixi a diebus nativitatis meæ, quibus et studui, quibus et fidem servavi; ipsa me studia quæ dilexeram damnant, quæ laudaveram vituperant. Hi sunt quibus acquievi amici, quibus parui magistri, quibus servivi domini, consules quibus credidi, cives quibus cohabitavi, domestici quibus consenui. Heu mihi! Rex meus, et Deus meus, quia incolatus meus prolongatus est. Væ mihi, illuminatio mea: qui habitavi cum habitantibus Cedar. Et cum David sanctus dixerit, *multum*, quanto magis ego infelix dicere possum, *nimis incola fuit anima mea!* Firmamentum meum, Deus, *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Spes mea, non est in filiis hominum, quem si remota pietate judicaveris, justum invenias; et nisi præveneris miserando impium, non erit quem glorifices pium. Credo namque, salus mea, quod audivi, *quoniam benignitas tua ad pœnitentiam me adducit.* Turris fortitudinis, sonuerunt neces-

saria mihi labia tua : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum.*

Enim vero quia ita instruxisti me, tantaque propitius institutione formasti, totis medullis cordis, toto nisu mentis te rogo, omnipotens Pater, cum dilectissimo Filio tuo; teque, dulcissima Proles, cum serenissimo invoco Paracleto. Trahe me, quatenus post te currens in odorem unguentorum tuorum delecter. Quam magna, Domine, Deus meus, multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te ! abscondisti, quia conservasti, non quia abscondisti. Abstulisti, cum eo magis multiplicasti. Solet aliquando quod absconditur diligentius investigari, et inventum arctius amari; dilata in te non minuuntur, sed magis crescunt desideria; non est ergo tuus amor transitorius, sed æternus. Qui te diligunt non tepescunt, sed fervescunt. Non est tuus amor otiosus, memoria tua super mel dulcis, et meditatio de te plus quam cibus suavis. De te loqui est refectio, te nosse perfecta consolatio, tibi adhærere vita æterna, a te separari mors perpetua. Fons vivus his qui te sentiunt, esca indeficiens qui te esuriunt. Gloria te quærentibus, gaudium invenientibus. Odor tuus suscitat mortuos, respectus curat ægros, lux tua omnem fugat caliginem, visitatio tua cunctam repellit tristitiam. Nullus apud te mœror, procul a te omnis dolor, nulla tecum mœstitia, et nulla indigentia. Ubi tu, nulla necessitas, nullius boni est difficultas, nunquam ibi tenebræ, nec terror nominatur gehennæ, nullius noctis tecum cæcitas, nec tumultus improbitas, nunquam

famis sitisque inopia, frigoris nec æstus circa te moratur penuria, non invaletudo corporis, prorsus nec corruptio mentis, non zelus, neque contentio, nec omnino ambitio; illinc abest sollicitudo finis, et cura mortis, labor senectutis, et languor ægritudinis; ibi nescitur passio aeris et varietas temporis. Hæc est enim magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, sed perfecisti sperantibus in te.

O quam bona absconsio, quæ efficitur perfectio! non enim hæc absconsio æstimatur perditio, sed magis conservatio, quæ fit perfectio. O gloriose Rex, quam vera sunt tua judicia justificata in semetipsa, vere desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, dulciora super mel et favum! O vita mea, Deus meus, rogo te per nomen Redemptoris mei dilecti Filii tui, largire propitius ut custodiam ea. Cognovi namque quia in custodiendis illis retributio multa. Gloria mea, Deus meus, abscondis thesaurum tuum ut incites cupidum, recondis margaritam, ut augeas quærentis amorem; differs dare ut doceas petere; dissimulas audire petentem, ut facias perseverantem. Postremo, incipientibus promittis; nonnisi vere perseverantibus salutem tribuis, quod plane indicat illa flebilis, quæ tuum in sepulcro Christum, imo te in Christo, quærebat durantibus adhuc tenebris, quam accenderas ut quereret; sed quærenti disparebas, ut perseveraret; perseveravit sperans, et speravit perseverans; et quia in spe perseveravit, videre te meruit. O beata visio, et plena exsultatio! O summum gaudium, et

consummatum desiderium ! O desiderabilis vultus, et jucundus aspectus ! O beata spes, et felix perseverantia ! Nisi enim speraret, non perseveraret, et nisi perseveraret, spei fructum non perciperet. Sic enim, Deus meus, misericordia mea, absconderis timentibus te, ut inveniaris sperantibus in te ; sic elongaris a quærentibus ut appropinques perseverantibus : *qui elongant se a te, peribunt; qui autem exspectant te, non confundentur. Qui timent te, sperent in te, quoniam protector et adjutor eorum es.* Per timorem pervenitur ad amorem. Timendus est, ut Dominus ; amandus, ut Pater. Timor tuus sanctus permanet, quia sanctos permanere facit, quos possidet. Nihil deest timentibus te, quia oculi tui super eos, et aures tuæ in preces eorum. Misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus, sic timorem adhibe mihi quatenus amorem subinferas : sic irroga metum ut tui augeas desiderium ; sicque me fac participem timentium te, ut et custodientium mandata tua facias, ut per timoris servitutem ad amoris pertingere merear gratiam, per quam tandem perveniam ad tuam gloriam. Amen.

ORATIO XI.

AD DEUM.

Domine Deus, omnipotens Pater, et bone Deus Jesu, miserere mihi peccatori, et da mihi veniam peccatorum meorum. Da mihi cavere et vincere omnes insidias inimicorum meorum, et tentationes et delectationes noxias,

perfecte mente et acta vitare quæ prohibes facere, servire tibi et amare te, quantum scis et vis, et vivere secundum tuam voluntatem. Da mihi, Domine, compunctionem cordis, exercitium pietatis, virtutem humilitatis, discretam abstinentiam, carnis mortificationem, rectum introitum ad te orandum et amandum, meditandum et laudandum, ad omnem secundum te actum, cogitationem perfectam, sobriam et veracem, et mentem strenuam et efficacem. Da mihi, Domine, mandatorum tuorum notitiam et dilectionem et delectationem, facilitatem et effectum in custodiendis illis, et jugem perseverantiam ad meliora, cum humilitate proficere et nunquam deficere. Ne derelinquas me, Domine, nec humanæ infirmitati vel ignorantiæ, nec meritis meis, nec ulli alii rei, nisi tuæ dispositioni. Tu, Domine, clementer dispone me, et omnes cogitatus et actus meos in beneplacito tuo, ut fiat a me, et in me et de me tua solum semper voluntas. Libera me, Domine, ab omni malo, et da mihi omne bonum, idest teipsum, ut gaudium meum sit in te, qui es vita æterna. Amen.

ORATIO XII.

AD DEUM.

Laus Dei, cum gratiarum actione devota.

Tibi ago laudes et gratias, Deus meus, misericordia mea, qui me ad tuam cogitationem perducere et per sacri baptismatis ablutionem inter adoptionis filios aggregare dignatus es. Tibi ago laudes et gratias, qui me ab

ipsis rudimentis infantiæ usque ad hanc horam per multa defluentem peccata, immensæ bonitatis tuæ patientia, ad emendationem exspectas. Te laudo et glorifico, qui me brachio virtutis tuæ de multis angustiis, calamitatibus et miseriis frequenter liberasti, qui me hactenus de æternis suppliciis et de corporis hujus cruciatibus eruisti. Te laudo et glorifico, qui mihi sospitatem membrorum, tranquillitatem temporum, amorem, affectum et charitatem servorum tuorum in me, quæ sunt dona tuæ pietatis, conferre dignatus es. Sancte sanctorum, qui sanctificas omnia, benedico te, glorifico te, adoro te, gratias tibi ago. Benedicant te omnes creaturæ tuæ, benedicant te omnes angeli et sancti tui. Sic benedicamus te in vita mea. Adoret te et glorificet et benedicat omnis interior et exterior compago mea. Salus mea, lux mea, illuminatio mea, benedicant te oculi mei, quos fecisti et præparasti ad contemplandam speciem serenitatis tuæ. Dulcedo mea delectatio mea, benedicant te aures meæ, quas fecisti et præparasti ad audiendam vocem jucunditatis tuæ. Suavitas mea, recreatio mea, benedicant te nares meæ quas fecisti ut vivant et delectentur in odore unguentorum tuorum. Laus mea, canticum meum novum, exsultatio mea, benedicat te et magnificet lingua mea, quam fecisti ei præparasti ut enarrem mirabilia tua. Sapientia mea, meditatio mea consilium meum, adoret semper et benedicat cor meum, quod præparasti et dedisti mihi ad dignoscendas inæstimabiles miserationes tuas. Vita mea, beatitudo mea, benedicat te, licet

peccatrix, anima mea, quam fecisti et præparasti ad perfruendum bonis tuis.

Adorande, tremende, colende, pater metuende, benedico te, quem amavi, quem quæsivi, quem semper optavi. Deus meus, amator meus, te sitio, te esurio, te desidero, te supplico, te totis visceribus totisque gemitibus concupisco. Et sicut mater Filii sui orbata præsentia sedet ad locum monumenti ejus, plorans semper et ejulans, sic et ego non quantum debeo, sed quantum valeo, memor passionis tuæ, memor alaparum, memor flagellorum, memor vulnerum tuorum, memor qualiter pro me occisus es, qualiter conditus es, qualiter sepultus et ubi, sedeo cum Maria plorans ad monumentum mentis meæ. Ubi te fides sepelivit, spes quærit ut inveniat, charitas ut perungat. Benignissime, serenissime, suavissime, quis mihi det ut inveniam te foris et deosculer, et respergam lacrymis loca vulnerum, fixuras clavorum? Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto quia amore langueo. Appareat mihi, ostendat se mihi. Vocet me nomine meo, compescat me a dolore meo.

Non enim capit in me dolor meus, quandiu peregrinus sum a te, Deus meus. Age jam, Domine, revela faciem tuam, ostende supplicibus misericordiam tuam. Scimus peractam resurrectionem, declara in oculis nostris beatam incorruptionem. Admirabilis, inæstimabilis, incomparabilis, te volebam, te sperabam, te quærebam. En ipse venis purpuratus; *rubrum est indumentum tuum.* Lavasti *in vino stolam tuam, et in sanguine uvæ pallium*

tuum. Percussisti caput de domo impii, egressus in salutem populi tui.

Mane nobiscum, Domine, mane vel usque mane. Fruamur interim præsentia tua. Lætemur atque delectemur in resurrectione tua. Ingruunt tenebræ, urget diem vesper. *Illuminet vultum suum super nos* sol noster, lumen nostrum, Christus Deus noster. Sed quid agis, heu! mi Domine, heu! anima mea? Quid dicam, vel quid faciam, aut quo vadam? Jamjam elevas manus tuas. En ipse ingrederis vias tuas. Occurrunt cœli, sternuntur poli, paratur nubes ascensuro; ego tibi solas orbitatis meæ lacrymas offeram recessuro. Erunt lacrymæ meæ panes die ac nocte. Pascar fletibus meis, potabo animam meam doloribus meis. Deficiet in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Anima mea desiderabit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis de mane vigilabit ad te. Venies ad nos interim, Domine, quoniam bonus es, nec tardabis, quia pius es. Tibi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XIII.

AD DEUM.

Pro patre, et matre, et parentibus, et amicis.

Dominator Domine Deus, qui mirabiliter cuncta condidisti, et tua dispositione creasti omnia; qui jussisti conditionem propagandæ sobolis ex viro et femina esse, et præcepisti dilectionem circa patrem et matrem exhi-

bendam, exaudi me, misericors Deus, clamantem ad te pro salute genitoris mei et genitricis meæ, quos et tua providentia mihi humillimo præparare dignatus es; seu pro fratribus meis, ac sororibus, omnibusque qui mihi peccatori ex carnali consanguinitate, vel familiaritate, vel promissione seu commissione conjuncti sunt, tam vivis quam defunctis, quorum nomina et merita tibi Domino Deo universorum cognita sunt, ut defunctis vitam eternam concedere digneris, et viventes ab omni malo defendas, et in viam salutis eos disponas; quatenus per veram confessionem, veramque emendationem suorum omnium delictorum, peccata dimittas, ut, carne exuti, cœlesti participatione efficiantur hæredes. Exaudi me miserum, clementissime Deus, supplicantem ad te pro animabus famulorum famularumque tuarum, qui mihi bene volunt et faciunt, et serviunt, et qui mihi suas eleemosynas largiti sunt, et de quibus eleemosynas recepi, quorum nomina tibi Domino Deo universorum cognita sunt, et qui se meis orationibus commendaverunt, ut eis tuæ misericordiæ beneficia impendas, et in loco tibi placentium collocare digneris, Salvator mundi, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas, etc.

ORATIO XIV.

AD SPIRITUM SANCTUM.

Jam et divini amor numinis, Patris omnipotentis, prolisque beatissimæ sancta communicatio, omnipotens Paraclete Spiritus, mœrentium consolator clementissime,

jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, et tenebrosa quæque laris neglecti latibula corusci luminis fulgore pius inhabitator lætifica, tuique roris abundantia longo ariditatis narcentia squalore visitando fecunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo, et torpentis medullas jecoris flammis salutaribus penetrando succende, sanctique fervoris igne illustrando, intima mentis et corporis universa depasce. Pota me torrente voluptatis tuæ, ut nihil jam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Judica me, Domine, et discerne causam meam de gente non sancta; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Credo ergo quod quemcumque inhabitaveris, Patris, ac pariter Filii domicilium condis. Beatus qui te merebitur hospitem : quoniam per te Pater et Filius apud eum facient mansionem.

Veni jam, veni, benignissime dolentis animæ consolator in opportunitatibus, et in tribulationibus adjutor. Veni, mundator scelerum, curator vulnerum. Veni, fortitudo fragilium, relevator labentium; veni humilium doctor, superborum destructor. Veni, orphanorum pius pater, viduarum dulcis judex. Veni, spes pauperum, refocillator deficientium. Veni, navigantium sidus, naufragantium portus. Veni, omnium viventium singulare decus, morientium unica salus. Veni, sanctissime Spiritus, veni et miserere mei, apta me tibi : et condescende propitius mihi, ut mea tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas, secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum, per Jesum Christum

Salvatorem meum, qui cum Patre in tua unitate vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XV.

AD CHRISTUM.

Cum recordatione beneficiorum ejus, et humanæ miseriæ.

Ad te, dulcissime et benignissime Domine Jesu Christe, qui fons pietatis es et misericordiæ, potissime me converto; quia et per potentiam divinitatis tuæ, qua cum Patre et Spiritu Sancto unus Deus omnia ex nihilo fecisti, me creatum esse fateor; et per incarnationem tuam, quam in proprietate personæ tuæ, cooperante tamen Patre et Spiritu Sancto, suscepisti, me refectum et renovatum esse scio. Oro itaque dulcissimam misericordiam tuam, piissime et suavissime Domine Jesu, per sanctam annuntiationem tuam, miserere infelicis animæ meæ. Dulcissime Domine Jesu Christe, per sanctam incarnationem et nativitatem tuam, miserere animæ meæ. Dulcissime Domine Jesu Christe, per circumcisionem tuam, miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per juventutem tuam, miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per baptismum tuum, miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per jejunium tuum, famem et fatigationem, miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per miracula tua, per quæ, etsi homo verus eras, verus Deus agnoscebaris, miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per flagella, sputa, et alapas quas pro nobis suscepisti, miserere mei. Dulcis-

sime et misericordissime Domine Jesu, per spineam coronam, quam in capite tuo portasti, ut spineas peccatorum nostrorum auferres, miserere mei. Miserere mei, dulcissime Domine Jesu, per crucem tuam, et mortem quam in eadem cruce passus es, ut nos a morte redimeres. Miserere mei, Domine Jesu, per sepulcrum tuum in quo secundum carnem jacuisti, et per benignissimam descensionem tuam ad inferos, in quibus fideles et amicos tuos, qui te ibi suum dulcissimum Redemptorem diu exspectaverant, visitasti; visitans a dæmoniaca dominatione, gloriose triumphans misericorditer eripuisti; infernalibus furiis suum principem valenter incusantibus quod te, in quo de suo nihil invenerat, injuste interfecerit; pro qua injusta interfectione juste tunc perdebant quos tandiu captivos et suis infeliciter vinculis alligatos tenuerant. Miserere mei, Domine dulcissime et benignissime Jesu, per gloriosam resurrectionem tuam, qua tertia die, postquam pro peccatoribus occisus es, discipulis et amicis tuis de tua morte dolentibus et nimis afflictis vivus et immortalis apparuisti, et per dulcissima colloquia tua, quæ cum eis per dies quadraginta post resurrectionem tuam habuisti; in quibus in multis argumentis apparens eis, et loquens de regno Dei, eosque confortans et refovens et cum eis sæpius convescens, præmissis evidentissimis signis et veritate tuæ carnis, in qua mortem passus es, auferens ab eorum cordibus omnem dubitationem, ad fidem et credulitatem tuæ resurrectionis solidasti. Miserere mei, dulcissime

Domine Jesu, per admirabilem ascensionem tuam, qua discipulis tuis et matre tua virgine aspicientibus, cœlos petens, humanam naturam, quam misericorditer pro peccatoribus susceperas, et in qua mortem destruxeras, ad dexteram Patris collocasti. Miserere mei, dulcissime Domine Jesu, per adventum Sancti Spiritus, quem sicut promiseras discipulis tuis die Pentecostes misisti : quo impleti et vehementissime confortati, omni timore postposito, veritatem tuæ resurrectionis cunctis gentibus annuntiarent, eosque docerent, quod si in te crederent et tuis præceptis obedirent, omni dubitatione posthabita, regnum cœlorum post mortem carnis ascenderent, et in æterna gloria tecum feliciter regnarent. Miserere mei, dulcissime Domine Jesu, per reditum tuum ad judicandos vivos et mortuos, quo judicio malos a bonis separans, æterna perditione damnabis; bonos vero tecum ad cœlos ducens, in æterna felicitate collocabis.

His dulcissimis recordationibus et piis memoriis animatus, dulcissime Domine Jesu, et hæc tanta beneficia infirmis et peccatoribus a te misericorditer collata, dum in secreto pectoris mei dulciter et cum magna admiratione volvo et revolvo; infirmas memorias et recordationes peccati, quæ ad damnationem et damnationis perditionem trahunt, tua opitulante bonitate, aliquando respuo; et ea quæ divina sapiunt, et infirmam animam et peccatricem sublevare solent, respicio, veneror et amplector. Sed heu infelici animæ meæ, dulcissime et benignissime Domine! Heu tantæ perditioni infelicem

animam tam graviter vexanti, et nisi misericordissima pietate tua sustineatur, in puncto ad infernum descendisti! Ecce enim dum cordis mei secretum diligenter inspicio, ipsam infelicem animam meam, quam ante divinam majestatem tuam mundam et immaculatam stare putaveram, veneno malitiæ et iniquitatis non parum infectam invenio. Sæpius vero dum etiam causa alicujus utilitatis cum aliquo loqui incipio, statim, vel post parvam moram, in detractionem incurro, vel pro aliqua re impudenter murmuro, vel vitio curiositatis ineptæ succumbo, vel malarum cogitationum turpitudines motusque illicitos et impudicos in ipsis interioribus meis sustineo. Iterum atque iterum heu tantæ infelicitati, tantæque perditioni! Fateor, dulcissime Jesu, et expando coram te iniquitates meas, quas intus patitur misera anima mea. Dum enim ea quæ retro sunt obliviscens ad ea quæ ante sunt me extendere volo, atque in his dulcissimis recordationibus, quas superius commemoratus sum, diutius si possem delectari cupio, atque omnes cogitationes meas quasi in fasciculum colligens, omni perturbatione animi remota, adhærere Deo perseveranti continuatione desidero, subito nescio qua miseria me relabi ad inania et noxia conspicio: et tanquam mors subito interficiens, vel quemadmodum canis rabidus, qui nec percussione repulsus a laceratione hominis se temperat, carnalis delectatio omnem tranquillitatem animi, omnemque rectitudinem justitiæ, quam me credebam habere, perturbat ac destruit. Et qui putabam me stare in

arce virtutum pro suavi odore earum, sentio intolerabilem ac teterrimum fetorem vitiorum.

Quid ergo faciam, dulcissime Domine Jesu, amator hominum et creator, reformator et Redemptor peccatorum? Quo me convertam tantis circumdatus malis, tantis involutus pessimarum delectationum tenebris? *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quis autem, nisi gratia Domini mei Jesu Christi? Miserere ergo, dulcissime Domine Jesu, miserere creaturæ tuæ, miserere peccatricis animæ meæ. *Intende*, dulcissime Domine Jesu, *intende* miseriæ ejus, *et libera eam; propter inimicos ejus eripe eam.* Illumina oculos ejus, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus ejus: Prævalui adversus eam. Judica, Domine, nocentes eam, expugna impugnantes eam. Apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium ejus. Credo, dulcissime Domine Jesu, credo quoniam si arma tua ad defensionem ejus arripias, et scuto bonæ voluntatis tuæ animam quam creasti defendas, quia nullus hostis, nullius jacula inimici, etsi foris expugnent, vel etiam intus sævire tentaverint, animam quam defendis ullo modo poterunt superare. Dulcissime et misericordissime Domine Jesu, sana eam multis malis obrutam, multis iniquitatibus superatam, multis facinoribus maculatam. Adjutor pauperum, defensor pupillorum, sana et adjuva eam a te creatam, a te redemptam, per te mundatam. Sustine conatum ejus, conforta desiderium ejus, et concede ei hoc spatium vitæ, in quo in hoc mundo conversanda

est, sic percurrere, et cunctas iniquitates suas per ineffabilem misericordiam tuam sic emendare, et per veram pœnitentiam et veram confessionem purgare, corrigere, mundare et abstergere, ut, tua largiente indulgentissima pietate, ab omni labe vitiorum purgata, mundata, correcta, et abstersa post mortem carnis, ad te dulcissimum Creatorem suum, piissimum Dominum suum pervenire valeat, tuamque inenarrabilem gloriam cum omnibus sanctis tuis in æterna felicitate possidere per æterna sæcula. Amen.

ORATIO XVI.

AD CHRISTUM.

Pro gratia lacrymarum obtinenda ex peccatorum recordatione.

Christe Domine, Verbum Patris, qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, rogo te per indulgentissima misericordiæ tuæ viscera, emenda vitam meam, meliora actus, compone mores, tolle de me quod mihi nocet et tibi displicet, et da quod nosti tibi placere et mihi prodesse. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu solus? Tu es Deus omnipotens infinitæ pietatis, qui justificas impios, et vivificas mortuos propter peccatum, qui mutas peccatores, et non sunt. Tolle ergo de me quidquid tibi displicet in me. Imperfecta enim mea plurima vident oculi tui. Mitte, quæso, manum pietatis tuæ in me, et tolle de me quidquid offendit oculos pietatis tuæ in me. Coram te, Domine, est sanitas et infirmitas mea. Illam, precor,

serva, istam sana. Sana me, Domine, et sanabor; salvum me fac, et salvus ero; tu qui infirma sanas, et sanata conservas, tu qui solo nutu tuo restauras diruta et collapsa. Si enim dignaris in agro tuo corde meo serere bonum semen, necesse est ut manu pietatis tuæ spinas prius evellas vitiorum meorum.

Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, infunde, obsecro, multitudinem dulcedinis tuæ et charitatis tuæ pectori meo, ut nihil terrenum, nihil carnale desiderem vel cogitem, sed te solum amem, te solum habeam in corde et in ore meo. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui melliflui nominis, nulla unquam oblivione delendam. Scribe in tabulis cordis mei voluntatem tuam, et justificationes tuas, ut te immensæ dulcedinis Dominum, et præcepta tua semper et ubique habeam præ oculis meis. Succende mentem meam igne illo tuo quem misisti in terram, et voluisti vehementer accendi, ut sacrificium spiritus contribulati, et cordis contriti, obortis lacrymis quotidie offeram tibi.

Dulcis Christe, bone Jesu, sicut desidero, sicut tota mente mea peto, da mihi amorem tuum sanctum et castum, qui me repleat, teneat, totumque possideat. Et da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem jugiter manantem, ut ipsæ quoque lacrymæ tui in me testentur amorem, ipsæ prodant, ipsæ loquantur quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se a lacrymis continere. Reminis-

cor, pie Domine, illius bonæ mulieris Annæ, quæ ad tabernaculum rogatura pro filio venit, de qua Scriptura refert quod vultus ejus post lacrymas et preces non sunt amplius in diversa mutati. Sed memor tantæ virtutis tantæque constantiæ, dolore torqueor, et verecundia confundor; quia me miserum nimis deorsum jacere intueor. Si enim ita flevit, et in statu perseveravit mulier, quæ quærebat filium, quomodo plangere, et in planctu persistere debet anima mea, quæ quærit et amat Deum, et ad eum pervenire desiderat? Quomodo gemere ac flere debet talis anima, quæ quærit Deum die ac nocte, quæ præter Christum nihil vult amare? Mirum quippe est, si jam non factæ sunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte. Respice ergo, et miserere mei, quia dolores cordis mei multiplicati sunt. Da mihi consolationem tuam cœlestem, et noli spernere peccatricem animam, pro qua mortuus es. Da mihi, quæso, lacrymas toto affectu internas, quæ peccatorum meorum possint solvere vincula, et cœlesti jucunditate semper repleant animam meam; si non cum veris et perfectis monachis, quorum vestigia nequeo imitari, saltem cum devotis mulieribus quantulamcumque portionem in regno tuo merear adipisci.

Venit quoque in mentem alterius mulieris devotio mira, quæ te in sepulcro jacentem pio amore quærebat, quæ recedentibus discipulis de sepulcro non recedebat, quæ sedebat ibi tristis et mœrens, et diu multumque flebat; et resurgens multis lacrymis iterum iterumque antra deserti sepulcri vigilantibus oculis explorabat, si

forte alicubi te videre posset, quem ferventi desiderio quærebat. Jam certe semel et iterum ingressa sepulcrum viderat, sed nimium amanti non satis erat, virtus enim boni operis perseverantia est. Et quia præ cæteris dilexit, et diligendo flevit, et flendo quæsivit, et quærendo perseveravit, ideo prima omnium te invenire, te videre, te alloqui meruit. Et non solum hæc, sed etiam ipsis discipulis gloriosæ resurrectionis tuæ præmia exstitit, te præcipiente, et clementer monente : « Vade, dic fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. » Si ergo ita flevit, et in fletu perseveravit mulier, quæ viventem cum mortuis quærebat, quæ te manu fidei tangebat, quomodo plangere et in planctu persistere debet anima, quæ te Redemptorem suum jam cœlo præsidentem et ubique regnantem corde credit, ore confitetur ? Quomodo ergo gemere et flere debet talis anima, quæ te toto corde diligit teque toto desiderio videre concupiscit ?

Solum confugium, et unica spes miserorum, Domine, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, præsta mihi hanc gratiam propter te, et propter nomen sanctum tuum, ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero, quoties tui reminiscor, tibi assisto, laudes, preces, et sacrificium offero, toties obortis lacrymis in conspectu tuo copiose et dulciter queam, ita ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Tu quidem, Rex gloriæ et omnium virtutum magister, docuisti nos verbo et exemplo gemere et flere, dicens : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Tu flevisti defunctum amicum, et lacrymatus es valde super perituram civitatem. Rogo te, bone Jesu, per illas pretiosissimas lacrymas tuas, et per omnes miserationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quam multum desiderat et appetit anima mea, quia sine dono tuo non possum habere eam, sed per spiritum sanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit, et ad fletum compungit. Da mihi gratiam lacrymarum, sicut dedisti patribus nostris, quorum vestigia debeo imitari, ut plangam me in omni vita mea, sicut ipsi se planxerunt nocte ac die. Propter merita et orationes eorum qui tibi placuerunt et devotissime servierunt, miserere mei miserrimi et indigni servi tui, et da mihi gratiam lacrymarum. Da mihi irriguum superius, et irriguum inferius, ut sint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, efficiarque in conspectu tuo, Deus meus, per ignem compunctionis, holocaustum, pingue et medullatum; macter totus in ara cordis mei, tanquam pinguissimum holocaustum assumar tibi in odorem suavitatis.

Da mihi, dulcissime, fontem irriguum fontemque perspicuum, in quo lavetur assidue istud inquinatum holocaustum. Licet enim me totum obtulerim opitulante gratia tua, in multis tamen quotidie offendo propter nimiam fragilitatem meam. Da ergo mihi gratiam lacrymarum, benedicte et amabilis Deus, præcipue ex multa dulcedine amoris tui, et commemoratione misericordiarum tuarum, præpara hanc mensam famulo tuo in cons-

pectu tuo; et da mihi eam in potestatem, ut quoties volo satier ex ea, tribue pro pietate et bonitate tua, ut iste calix tuus inebrians et præclarus satiet sitim meam, ut inhiet spiritus meus, et ardeat mens mea in amore tui, oblitus vanitatis et miseriæ. Audi, Deus meus, audi, lumen oculorum meorum, audi quæ peto, et da ut petam quod audias. Pie et exorabilis Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, et da mihi effectum petitionis meæ et desiderii mei, precibus et meritis gloriosæ Virginis Mariæ dominæ meæ et omnium sanctorum. Amen.

ORATIO XVII.

AD CHRISTUM.

Cum ardenti desiderio solum Christum amandi.

Jesu nostra redemptio, amor et desiderium, Deus de Deo, adesto mihi famulo tuo. Te invoco, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Te invoco in animam meam, intra in eam, et coapta eam tibi, ut possideas eam sine ruga et sine macula. Mundissimo namque Domino munda debetur habitatio. Sanctifica ergo me vas tuum quod fecisti, de malitia evacua, imple de gratia, et plenum conserva, ita ut dignum habitationis tuæ efficiar templum hic et in perpetuum. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, potentissime, desideratissime, pretiosissime, amabilissime, pulcherrime, tu melle dulcior, lacte et nive candidior, nectare sua-

vior, gemmis et auro pretiosior, cunctisque terrarum divitiis et honoribus mihi charior. Quid dico, Deus meus, una spes mea tam grandis misericordia tua? Quid dico, dulcedo felix et secura? Quid dico dum talia dico? Dico quod valeo, sed non dico quod debeo. Utinam possem talia dicere, qualia illi hymnidici angelorum chori! O quam libenter me in tuis laudibus totum effunderem! O quam devotissime illa cœlestis melodiæ cantica ad laudem et gloriam nominis tui in medio ecclesiæ infatigabilis perorarem!

Sed quia talia non possum, numquid tacebo? Væ tacentibus de te, qui ora mutorum resolvis, et linguas infantium facis disertas. Væ tacentibus de te, quoniam ipsi loquaces muti sunt, cum non tuas laudes dicunt. Quis digne te laudare potest, o ineffabilis virtus et sapientia Patris? Et quoniam nulla invenio verba quibus te sufficienter valeam explicare, cunctipotens et omniscium Verbum, dicam interim quod valeo, donec jubeas me venire ad te, ubi possim dicere quod te decet, et me oportet. Et ideo suppliciter rogo ut non respicias tantum ad id quod modo dico, sed ad id quod dicere opto. Cupio enim desiderio magno de te eloqui quod oportet et decet, quia te decet laus, te decet hymnus, tibique debetur omnis honor. Scis ergo, occultorum cognitor Deus, quoniam non solum terra, et omnibus quæ in ea sunt, tu mihi charior es; sed etiam ipso cœlo et omnibus quæ in eo sunt tu mihi acceptabilior es: diligo enim te super cœlum et terram, et cætera omnia quæ in eis sunt; imo

nisi amore nominis tui quæ transitoria sunt, procul dubio amanda non sunt. Amo te, Deus meus, amore magno, magisque te amare cupio. Da mihi ut amem te semper quantum volo, et quantum debeo; ut tu solus sis tota intentio mea, et omnis meditatio mea. Te mediter per dies sine cessatione, te sentiam per soporem in nocte, te alloquatur spiritus meus, tecum fabuletur mens mea. Lumine sanctæ visionis tuæ illustretur cor meum, ut, te rectore, te duce, ambulem de virtute in virtutem, tandemque videam te Deum deorum in Sion, nunc quidem per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, ubi cognoscam te, sicut et cognitus sum. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Rogo itaque te, Domine, per omnes miserationes tuas, quibus de morte æterna liberati sumus, mollifica cor meum durum et lapideum, saxeum et ferreum, tua sacratissima et potenti unctione, et fac me per ignem compunctionis coram te omni hora hostiam vivam fieri. Fac me in tuo conspectu cor contritum et humiliatum semper habere, cum lacrymarum abundantia. Fac me ex tuo desiderio huic mundo funditus exstingui, et transeuntium rerum oblivisci præ magnitudine timoris et amoris tui, usque adeo ut de temporalibus nec lugeam nec gaudeam, nec metuam aliquid temporale nec diligam, nec blandis corrumpar, nec adversis concutiar. Et quia tua valida est ut mors dilectio, absorbeat, quæso,

mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ignita et melliflua vis amoris tui, ut tibi soli inhæream, solaque tuæ suavitatis memoria pascar. Descendat, Domine, descendat, precor, descendat in cor meum odor tuus suavissimus, ingrediatur amor tuus mellifluus. Veniat mihi tui saporis mira et inenarrabilis fragrantia, quæ sempiternas in me suscitet concupiscentias, et ex corde meo producat venas salientis aquæ in vitam æternam.

Immensus es, Domine, et ideo sine mensura debes amâri et laudari ab iis quos tuo pretioso sanguine redemisti. Amator hominum benignissime, clementissime Domine, et æquissime judex, cui omne judicium dedit Pater, sapientissimo tuæ æquitatis judicio discernis hoc rectum et justum esse, ut filii hujus sæculi, noctis et tenebrarum, præstantiori desiderio, virtute atque studio diligant et quærant perituras divitias et fugitivos honores quam nos servi tui diligamus te Deum nostrum, per quem facti et redempti sumus. Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abesse; si sponsa sponso tanto conglutinatur mentis ardore ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam non sine magno mœrore ferens, qua ergo dilectione, quo studio, quo fervore anima, quam desponsasti tibi fide et miserationibus, debet diligere te verum Deum, et pulcherrimum sponsum, qui nos sic amasti et salvasti, qui pro nobis tot, tanta et talia fecisti? Quanquam autem hæc infirma habeant suas delectationes, suosque amores, non tamen tali modo delectant,

sicut tu, Deus noster. In te enim delectatur justus, quia amor tui suavis est et quietus; nam pectora quæ possides, dulcedine et suavitate et tranquillitate reples. E contra amor sæculi et carnis anxius est et perturbatus, animas certe quas ingreditur, quietas non patitur; semper enim suspicionibus et perturbationibus, variisque timoribus sollicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum, et merito; quies enim valida est apud te et imperturbabilis vita. Qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudium Domini sui, et non timebit amplius, sed habebit se optime in optimo loco, dicens: « Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo quoniam elegi eam. » Et illud: Dominus regit me et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.

Dulcis Christe, bone Jesu, reple semper, quæso, cor meum inexstinguibili dilectione tua, continua recordatione tua; adeo ut sicut flamma urens totus ardeam in tui amoris dulcedine, quem et aquæ multæ in me nunquam possint exstinguere. Fac me, dulcissime Domine, amare te, et desiderio tuo deponere pondus omnium carnalium desideriorum et terrenarum concupiscentiarum gravissimam sarcinam, quæ impugnant et aggravant miseram animam meam: ut post te expedite in odorem unguentorum tuorum currens, usque ad tuæ pulchritudinis visionem efficaciter satiandus, quantocius te quoque duce merear pervenire. Duo enim amores, alter bonus, alter malus; alter dulcis, alter amarus, non se simul in uno capiunt pectore. Et ideo si quis præter te

aliud diligit, non est charitas tua, Deus, in eo, amor dulcedinis, et dulcedo amoris, amor non crucians, sed delectans; amor sincere et caste permanens in sæculum sæculi; amor qui semper ardes, nunquam exstingueris. Dulcis Christe, bone Jesu, charitas, Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, suavitate et dulcedine tua, jucunditate et exsultatione tua, voluptate et concupiscentia tua, quæ sancta est et bona, casta et munda, tranquilla est et secura; ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ succensus diligam te Deum meum ex toto corde meo, totisque medullis præcordiorum meorum, habens te in corde, in ore, et præ oculis meis semper et ubique, ita ut nullus pateat in me locus adulterinis amoribus. Audi, Deus meus, audi lumen oculorum meorum, audi quæ peto; et da quæ petam, ut audias me. Pie et misericordissime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sèd propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, et da mihi effectum petitionis meæ et desiderii mei intercedente, et orante, et impetrante gloriosa virgine genitrice tua Maria, domina mea, cum omnibus sanctis tuis. Amen.

ORATIO XVIII.

AD CHRISTUM.

Quem esurit et sitit anima christiana.

Jesu Domine, Jesu pie, qui mori dignatus es propter peccata nostra, et resurrexisti propter justificationem

nostri, rogo te per gloriosam resurrectionem tuam, resuscita me de sepulcro vitiorum et peccatorum meorum omnium, et da mihi quotidie partem in resurrectione prima, ut in resurrectione tua merear veraciter percipere portionem. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, pretiosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, ascendisti in cœlum cum triumpho gloriæ tuæ, et sedes ad dexteram Patris; Rex potentissime, trahe me sursum ad te, ut curram post te in odorem unguentorum tuorum, curram et non deficiam, te trahente, te ducente me currentem, trahe os sitientis te animæ in superna fluenta æternæ satietatis : imo trahe me ad te fontem vivum, ut inde pro captu meo bibam unde semper vivam, Deus meus, vita mea. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto : Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Fons vitæ, da sitienti animæ semper bibere ex te, ut secundum sanctam et veridicam promissionem tuam de ventre meo fluant aquæ vitæ. Fons vitæ, reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, et inebria cor meum ebrietate amoris tui ; ut obliviscar quæ vana sunt et terrena, et te solum jugiter habeam in memoria mea, sicut scriptum est : Memor fui Dei, et delectatus sum.

Da mihi Spiritum Sanctum tuum, quem significabant illæ aquæ, quas sitientibus daturum te promiseras. Da, quæso, toto desiderio et omni studio tendere quo te ascendisse post resurrectionem die quadragesimo credimus, ut in præsenti quidem miseria solo tenear corpore, tecum autem sim cogitatione semper et aviditate ; ut ibi sit cor

meum, ubi tu es thesaurus meus desiderabilis et incomparabilis, multumque amabilis. In hoc enim magno hujus vitæ diluvio, ubi circumstantibus agitamur procellis, et non invenietur fida statio, et locus eminentior, ubi pes columbæ valeat aliquatenus requiescere : nusquam tuta pax, nusquam secura quies; ubique bella et lites, ubique hostes, foris pugnæ, intus timores. Et quia altera pars sumus cœli, altera terræ; corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Idcirco animus meus, socius et amicus meus, fatigatus de via veniens languet, et jacet discissus atque laceratus ab iis, quas pertransierat, vanitatibus : esurit et sitit valde, et non habeo quid ponam ante illum, quia pauper sum et mendicus. Tu, Domine Deus meus, dives omnium bonorum et dapum supernæ satietatis opulentissime largitor, da lasso cibum, collige dispersum, redintegra scissum. En stat ad ostium, et pulsat : obsecro per viscera misericordiæ tuæ, quibus visitasti nos oriens ex alto, aperi pulsanti misero manum pietatis tuæ, et jube propitiabili dignatione ut ingrediar ad te, requiescat in te, reficiatur de te vivo cœlestique pane : quo satiatus, resumptisque viribus ad superiora conscendat, et de hac valle lacrymarum penna sancti desiderii raptus, ad cœlestia regna volitet.

Assumat, Domine, assumat, rogo, spiritus meus, ut aquila, et volitet et non deficiat; volet et perveniat usque ad decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ, ut ibi super mensam refectionis civium supernorum pascatur de occultis tuis in loco pascuæ tuæ, juxta

fluenta plenissima : requiescat in te, Deus meus, cor meum, cor mare magnum, tumens fluctibus. Tu qui imperasti ventis et mari, et facta est tranquillitas magna, veni et gradere super fluctus cordis mei; ut tranquilla et serena fiant omnia mea, quatenus unum bonum meum amplectar te, et dulce lumen oculorum meorum contempler te sine tumultuantium cogitationum cæca caligine. Confugiat, Domine, mens mea sub umbra alarum tuarum ab æstibus cogitationum hujus sæculi, ut in tui refrigerii temperamento absconsa, lætabunda cantet et dicat : In pace in idipsum dormiam et requiscam.

Dormiat, obsecro, Domine Deus meus, dormiat memoria mea ab omnibus quæ sub cœlo sunt, vigilans te, sicut scriptum est: Ego dormio, et cor meum vigilat. Sit tuta, sit semper secura sub pennis protectionis tuæ anima mea, Deus meus. Maneat in te, et foveatur semper a te. Contempletur te in mentis excessu, et cantet laudes tuas in jubilatione; et hæc dulcia bona tua sint inter hos turbines consolatio mea interim, donec veniam ad te pacem veram, ubi non est arcus, scutum, gladius et bellum, sed est summa et recta securitas, et secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, et jucunda felicitas, et felix æternitas, et æterna beatitudo, et beata tui visio, et laudatio in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XIX.

AD CHRISTUM.

Quando dissolvi cupis et esse cum Christo secundum dictum Apostoli.

Christe Domine, virtus et sapientia Patris, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem, obsecro et humiliter rogo, da præpetes pennas fidei, da celeres alas virtutum, quibus evectus æterna et cœlestia valeam contemplari. Adhæreat, quæso, anima mea post te, et suscipiat me dextera tua. Sustollat me super altitudinem terræ, et cibet me illa cœlesti hæreditate, cui suspirat peregrinatio mea die ac nocte. Et quia moribunda membra vigorem animæ hebetant,

Disjice terrenæ nebulas et pondera molis,
Siste vagam mentem, per devia multa ruentem,
Et da cœlestem mentem conscendere sedem,

ut supremo lumine irradiata, terram despiciat, cœlum aspiciat, peccata oderit, justitiam diligat. Quid enim pulchrius, quidve dulcius, quam inter tenebras hujus vitæ multasque amaritudines divinæ dulcedini inhiare, et æternæ beatitudini suspirare, illicque teneri mente ubi vera haberi gaudia certissimum est? Dulcissime, amantissime, benignissime, charissime, pretiossisime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, quando te videbo? Quando apparebo ante faciem tuam? Quando

satiabor de pulchritudine tua? Quando educes me de hoc carcere tenebroso, ut confitear nomini tuo, ita ut deinceps non compungar? Quando transibo in illam admirabilem et pulcherrimam domum tuam, ubi personat vox lætitiæ et exsultationis in tabernaculis justorum? Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beati, et vere beati, quos elegisti et assumpsisti in illam cœlestem hæreditatem.

Ecce sancti tui, Domine, florent ante te, sicut lilium. Replentur enim ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potas eos, quoniam tu es fons vitæ, et in lumine tuo vident lumen, usque adeo ut ipsi, videlicet lumen illuminatum per te Deum illuminantem, sicut sol, effulgeant in conspectu tuo. O quam mira, quam pulchra, quam acceptabilia sunt domus tuæ habitacula, Domine virtutum! Concupiscit intrare in ea hæc peccatrix anima mea. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Unam petii a Domino, et hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Quando veniam, et apparebo ante faciam tuam? Quando videbo Deum meum, quem sitit anima mea? Quando videbo eum in terra viventium? In ista enim terra morientium videri non potest mortalibus oculis. Quid faciam miser ego gravedine compedis mortalitatis meæ constrictus? Quid faciam? Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino; non habemus hic manentem civitatem, sed futuram in-

quirimus. Noster autem municipatus in cœlis est. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam? Nihil mihi tam dulce quam cum Domino meo esse. Mihi autem adhærere Deo bonum est. Da mihi, Domine, donec his fragilibus assisto membris, tibi adhærere, sicut scriptum est : Qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo.

Præbe mihi, rogo, contemplationis pennas, quibus indutus ad te volitem sursum. Et quia omne sinistrum deorsum jacet, tene mentem meam, ne ad ima tenebrosæ vallis corruat, ne interveniente umbra terræ a te vero justitiæ sole separetur, et obducta tenebrarum nebula prohibeatur alta respicere. Idcirco sursum tendo ad pacis gaudia, lucisque delectabilem et serenissimum statum. Tene cor meum manu tua, quia sine te ad altiora non rapitur. Illuc festino, ubi summa pax regnat, et jugis tranquillitas rutilat. Tene et rege spiritum meum, et assume illum tu secundum voluntatem, ut te duce ascendat in illam regionem ubertatis, ubi pascis Israel in æternum pabulo veritatis, ut ibi vel rapida cogitatione attingat te summam sapientiam super omnia manentem, cuncta transeuntem, et omnia gubernantem. Sed volitanti ad te animæ multa sunt quæ obstrepunt. Jussu tuo, Domine, conticescant mihi omnia. Ipsa sibi anima mea sileat, omnia pertranseat, omnia quæ creata sunt transcendat a se et perveniat ad te, atque in te solo Creatore omnium

oculos fidei figat, tibi inhiet, tibi intendat, te meditetur, te contempletur, te sibi ante oculos ponat, te sub corde revolvat verum et summum bonum, et gaudium sine fine mansurum.

Multæ denique sunt contemplationes, quibus anima devota tibi mirabiliter pascitur, sed in nulla earum ita delectatur et requiescit anima mea sicut in te, et quando te solum cogitat et contemplatur. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam mirabiliter inspiras cordibus amatorum tuorum! Quam mira suavitas amoris tui, quo perfruuntur illi qui nihil præter te diligunt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare concupiscunt! Felices illi, quibus tu solus spes es, et omne opus eorum oratio. Beatus qui sedet solitarius et tacet, et stat super custodiam suam jugiter die ac nocte, ut adhuc in hoc fragili corpusculo positus prælibare valeat aliquatenus dulcedinem tuam. Rogo te per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es in cruce pro salute nostra, e quibus emanavit ille pretiosus sanguis quo sumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam igneo et potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis. Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Tu sagitta electa, et gladius acutissimus qui durum scutum humani cordis penetrare tua potentia vales, confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea : Charitate tua vulnerata sum, ita ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ die ac nocte. Percute, Domine, percute,

obsecro, hanc durissimam mentem meam pia et valida cuspide dilectionis tuæ, et altius ad intima penetra potenti virtute, et sic de capite meo educ aquam immensam, et de oculis meis verum fontem lacrymarum jugiter manantem; ex nimio affectu et desiderio visionis pulchritudinis tuæ, ut lugeam die ac nocte, nullam in præsenti vita recipiens consolationem, donec te in cœlesti thalamo merear videre dilectum et pulcherrimum sponsum meum, Deum et Dominum meum, ut ibi videns gloriosam, admirabilem et pulcherrimam faciem tuam, omni dulcedine plenam, cum iis quos elegisti, majestatem tuam supplex adorem, et illic tandem cœlesti et ineffabili repletus jubilo æternæ exsultationis exclamem cum diligentibus te, dicens : Ecce quod concupivi jam video, quod speravi jam teneo, quod desideravi jam habeo. Illi namque in cœlis junctus sum quem in terris positus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus sum, cui toto amore inhæsi, ipsum laudo, benedico atque adoro. Qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XX.

AD CHRISTUM.

Ad accendendum in se amorem Dei, et Christi desiderium.

Domine Jesu Christe, redemptio mea, misericordia mea, salus mea, te laudo, tibi gratias ago, quamvis valde impares tuis beneficiis, quamvis multum expertes dignæ devotionis, quamvis nimis macras a desiderata pin-

guedine dulcissimi tui affectus, tamen qualescumque laudes, qualescumque gratias, non quales scio me debere; sed sicut potest conari, tibi persolvit anima mea. Spes cordis mei, virtus animæ meæ, auxilium infirmitatis meæ, compleat tua potentissima benignitas quod conatur mea tepidissima imbecillitas. Vita mea, finis intentionis meæ, et si nondum merui te tantum, quantum debitor sum, amare; utique saltem desidero te tantum amare quantum debeo. Illuminatio mea, tu vides conscientiam meam; quia, Domine, ante te omne desiderium meum, et tu donas, si quid bene vult anima mea. Si bonum est, Domine, quod inspiras, imo quia bonum est ut te velim amare, da quod me facis velle. Da ut quantum jubes, tantum te merear amare. Laudes et gratias tibi ago pro desiderio quod inspirasti. Laudes et preces offero, ne sit mihi donum tuum infructuosum, quod tua sponte dedisti. Perfice quod incœpisti, et dona quod me benigne præveniendo immeritum desiderare fecisti. Converte, benignissime, meum teporem in ferventissimum tui amorem. Ad hoc, clementissime, tendit hæc oratio mea, hæc memoria et meditatio beneficiorum tuorum, ut accendas in me tui amorem. Tua me, Domine, bonitas creavit, tua misericordia creatum ab originali peccato mundavit; tua patientia post illam emundationem baptismi, in aliis peccatorum sordibus volutatum hactenus toleravit, nutrivit et exspectavit. Exspectas tu, bone Domine, meam correctionem; exspectat anima mea ad sufficienter pœnitendum, et ad bene vivendum, tuæ gratiæ inspirationem.

Deus meus, Creator meus, tolerator et nutritor meus, esto adjutor meus, te sitio, te esurio, te desidero, ad te suspiro, te concupisco. Et sicut pupillus benignissimi Patris orbatus præsentia, flens et ejulans incessanter ejus dilectam faciem toto corde amplectitur : sic et ego non quantum debeo, sed quantum queo, memor passionis tuæ, memor alaparum tuarum, memor flagellorum, memor crucis, memor vulnerum tuorum, memor qualiter pro me occisus es, qualiter conditus, qualiter sepultus, simul memor tuæ gloriosæ resurrectionis et admirabilis ascensionis : hæc indubitata fide teneo, exsilii mei arumnas defleo, spero tui adventus solam consolationem, ardeo tui vultus gloriosam contemplationem. Heu mihi, qui videre non potui Dominum Angelorum humiliatum ad conversationem hominum, ut homines exaltaret ad conversationem Angelorum, cum Deus offensus sponte moriebatur ut peccator viveret ! Heu mihi, qui tam admirabili, tam inæstimabili pietati præsens obstupescere non merui ! Cur, o anima mea, te præsentem non transfixit gladius doloris acutissimi ; cum ferre non posses vulnerari lancea latus tui Salvatoris, cum videre nequires violari clavis manus et pedes tui plasmatoris, cum horreres effundi sanguinem tui Redemptoris ? Cur non es inebriata lacrymarum amaritudine, cum ille potaretur amaritudine fellis ? Cur non es compassa castissimæ Virginis, dignissimæ matri ejus, benignissimæ dominæ tuæ ?

Domina mea benignissima, quos fontes dicam erupisse de tuis pudicissimis oculis, cum attenderes unicum filium

tuum innocentem coram te ligari, flagellari et mactari? Quos fletus credam perfudisse piissimum vultum tuum, cum susciperes eumdem filium tuum Deum et Dominum tuum in cruce sine culpa extendi, et carnem de carne tua ab impiis crudeliter dissecari? Quibus singultibus æstimabo purissimum pectus tuum vexatum esse, cum tu audires : Mulier, ecce filius tuus; et discipulus : ecce mater tua? Cum acciperes in filium discipulum pro magistro, servum pro Domino? Utinam cum felice Joseph Dominum meum de cruce deposuissem, aromatibus condivissem, in sepulcro collocassem, aut saltem, prosecutus essem, ut tanto funeri non deesset aliquid mei obsequii! Utinam cum beatis mulieribus corusca visione Angelorum essem territus, et audiissem nuntium dominicæ resurrectionis, nuntium meæ consolationis, nuntium tam exspectatum, nuntium tam desideratum! Utinam, inquam, audiissem ex ore Angeli : Nolite timere, vos : Jesum quæritis crucifixum, surrexit, non est hic.

Benignissime, suavissime, serenissime, quando restaurabis mihi, quia non vidi illam beatam tuæ carnis incorruptionem; quia non fui deosculatus loca vulnerum, et fixuras clavorum; quia non respersi lacrymis gaudii cicatrices testes veri corporis? Admirabilis, inæstimabilis, incomparabilis, quando consolaberis, et compesces me a dolore meo? Non enim capit in me dolor meus, quandiu peregrinus sum a Domino meo. Heu mihi, Domine, heu animæ meæ! Recessisti, consolator vitæ meæ, nec valedixisti. Ingrediens vias tuas bene-

dixisti tuis, nec adfui. Elevatis manibus a nube susceptus es in cœlum, nec vidi. Angeli promiserunt te rediturum, nec audivi. Quid dicam? quid faciam? quo vadam? Ubi eum quæram; ubi vel quando inveniam? Quem rogabo? Quis nuntiabit dilecto quia amore langueo? Defecit gaudium cordis mei; versus est in luctum risus meus. Defecit caro mea, et cor meum; Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Renuit consolari anima mea nisi te dulcedo mea. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Te volo, te spero, te quæso, tibi dixit cor meum : Quæsivi vultum, vultum tuum, Domine requiram; ne avertas faciem tuam a me.

Amator hominum benignissime, tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Mi advocate tutissime, miserere mei orphani derelicti; pupillus factus sum absque Patre; anima mea quasi vidua. Respice orbitatis et viduitatis meæ lacrymas; quas tibi offero, donec redeas. Eia jam, Domine, eia appare mihi, et consolatus ero; ostende mihi faciem tuam, et salvus ero. Exhibe præsentiam tuam, et consecutus ero desiderium meum. Revela gloriam tuam, et erit perfectum gaudium meum. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem Domini? Quando venies, consolator meus, quem exspecto? O si quando videbo gaudium meum, quod desidero. O si satiabor cum apparuerit gloria tua, quam esurio. O si inebriabor ab

ubertate domus tuæ ad quam suspiro : si potabis me torrente voluptatis tuæ, quam sitio. Sint mihi, Domine, interim lacrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi : Ecce Deus tuus; donec audiam : Anima, ecce sponsus tuus. Pasce interim me singultibus meis, pota me interim fletibus meis, refocilla me doloribus meis. Veniet interea fortasse Redemptor meus, quia bonus est; nec tardabit, quia pius est : ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XXI.

AD CHRISTUM.

Oratio servi Dei de se humiliter sentientis.

Scio, Domine Jesu Christe, scio et fateor quod non sum dignus quem tu diligas; sed certe tu non es indignus, quem ego diligam. Indignus quidem sum tibi servire, sed non es tu indignus servitio creaturæ tuæ. Da mihi ergo, Domine, unde tu es dignus, et ero dignus unde sum indignus. Fac me quomodo vis, a peccatis cessare, ut quomodo debeo, possim tibi servire. Concede mihi per tuam piissimam misericordiam sic custodire, regere et finire vitam meam, ut in pace dormiam et requiescam in te. Præsta mihi, Domine, ut in fine recipiat anima mea somnum cum requie, requiem cum saturitate, saturitatem cum æternitate, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO XXII.

AD CHRISTUM.

Oratio pœnitentis divinum auxilium humiliter postulantis.

Domine Jesu Christe Redemptor meus, misericordia mea, salus mea, consolatio mea, vita mea, te laudo, tibi gratias ago; tua bonitas me creavit, tua misericordia me ab originali peccato mundavit; tua præsentia post illam emundationem me in aliis sordibus voluptatum hactenus toleravit, nutrivit et exspectavit. Domine Deus, Creator meus, tolerator meus, nutritor meus, et adjutor meus, te sitio, te esurio, te desidero, ad te suspiro, te concupisco. Benignissime, suavissime, serenissime, te volo, te quæro, te spero videre. Renuit consolari anima mea, nisi de te, dulcedo mea.

Accede ad me, Domine; appare mihi, et consolatus ero; ostende mihi faciem tuam, et salvus ero; exhibe præsentiam tuam, et implebitur desiderium meum.

ORATIO XXIII.

AD CHRISTUM.

Pro amicis.

Dulcis et benigne Domine Jesu Christe, qui exhibuisti charitatem, qua majorem nemo habet, et cui parem nemo habere potest; qui nihil debebas morti, et tamen piam animam tuam pro servis tuis et peccatoribus posuisti, et pro ipsis interfectoribus tuis orasti, ut eos fratres tuos et justos faceres, et reconciliares misericordi

Patri tuo, et tibi. Tu, Domine, qui tantam charitatem fecisti inimicis tuis, tu ipse charitatem præcepisti amicis tuis. Bone Domine, quo affectu recogitabo inæstimabilem charitatem tuam? Quid retribuam immenso beneficio tuo? Transcendit enim omnem affectum dulcedo tuæ benignitatis. Vincit omnem retributionem magnitudo tui beneficii. Quid ergo retribuam Creatori et recreatori meo? Quid retribuam miseratori et redemptori meo? Domine, Deus meus es tu, bonorum meorum non eges. Tuus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus. Quid ergo ego mendicus et pauper, ego vermis et cinis, quid retribuam Deo meo, nisi ut ex corde obediam præcepto ejus? Est autem præceptum tuum ut diligamus invicem.

Bone homo, bone Deus, bone Domine, bone amice, bone totum quidquid es, huic præcepto tuo desiderat obedire humilis et contemptibilis servus tuus. Tu scis, Domine, quia dilectionem quam jubes amo, amorem diligo, charitatem concupisco. Hanc peto, hanc quæro, propter hanc pulsat et clamat hic pauper et mendicus tuus ad januam misericordiæ tuæ. Et in quantum jam accepi dulcem eleemosynam gratuitæ largitatis tuæ, diligens omnem hominem in te et propter te, quamvis non quantum debeo, nec quantum desidero, omnibus exoro clementiam tuam. Sunt tamen plures quorum dilectionem sicut specialiter et familiaribus cordi meo impressit amor tuus; ita ardentius bene desidero illis, et devotius opto orare pro illis. Vult, vult, pie Domine, vult servus tuus orare te pro amicis suis; sed revocatur reus tuus

a dilectis suis. Qui enim mihi veniam exorare non sufficio, qua fronte gratiam tuam aliis rogare præsumo? Et qui anxius intercessores quæro, qua fiducia pro aliis intercedo? Quid faciam, Domine Deus, quid faciam? Tu jubes me orare pro illis, et dilectio concupiscit, sed clamante mihi conscientia ut pro meis peccatis sollicitus sim, pro aliis loqui contremisco. Dimittam ergo quod jubes, quia feci quod prohibes? Imo quia præsumpsi prohibita, amplectar imperata, si forte obedientia sanet præsumptionem, si forte charitas operiat multitudinem peccatorum meorum.

Oro ergo te, pie et bone Deus, pro iis qui me diligunt propter te, et quos ego diligo in te; et pro illis devotius quorum erga me dilectionem, et erga quos meam tu nosti sinceriorem. Non hoc ago, Domine mi, quasi justus securus de peccatis meis; sed qualicumque charitate sollicitus pro alienis. Dilige ergo eos tu, fons dilectionis, qui præcipis et das mihi ut diligam eos. Et si oratio mea non meretur prodesse illis, quia tibi offertur a peccatore; valeat illis, quia fit te jubente auctore. Propter te ergo, tu auctor et dator charitatis, propter te, non propter me diligo eos; et fac ut ipsi te toto corde, tota mente, tota anima diligant; ut sola quæ tibi placent, et illis expediunt, velint, loquantur et faciant. Nimis tepida, Domine mi, nimis tepida est oratio mea, quia parum fervida est charitas mea. Sed ne metiaris eis, tu dives in misericordia, beneficium tuum secundum torporem meæ devotionis; sed sicut tua benignitas superat omnem huma-

nam charitatem, ita tua exauditio transcendat affectum meæ supplicationis. Fac illis et de illis, Domine, quod ipsis expedit secundum tuam voluntatem, ut sic a te regantur et protegantur semper et ubique, quatenus et ad gloriosam et ad æternam perveniant securitatem. Qui vivis et regnas.

ORATIO XXIV.

AD CHRISTUM.

Pro inimicis.

Omnipotens et pie Domine Jesu Christe, quem opto propitium pro amicis meis, coram te est etiam quid exoptet cor meum inimicis meis. Tu enim scrutans corda et renes Deus, tu penetras secreta mentis meæ. Tibi enim patet si quid in anima servi tui seminasti quod tibi sit offerendum, nec latere te potest, si quid et ego et inimicus homo seminavimus ibi quod igne sit comburendum. Ne despicias, benignissime Deus, quod tu seminasti, sed fove, et auge, et perfice, et conserva. Quia sicut nihil boni potui incipere sine te, ita nec possum consummare vel custodire absque te. Ne me judices, misericors Deus, propter id quod tibi displicet in me, sed aufer quod non posuisti, et salva animam meam quam creasti. Non enim ego corrigere me possum sine te, quia cum boni sumus, tu ipse facis nos, et non ipsi nos. Nec tolerare poterit anima mea, si secundum suam nequitiam judicaveris eam. Tu ergo, Domine, qui solus es potens, tu qui solus es misericors, quidquid ipse facis me desiderare inimi-

cis meis, et illis tribue, et mihi retribue. Et si quid aliquando exopto illis extra regulam charitatis, aut ignorantia, aut infirmitate, aut malitia, bone Domine, hoc ne illis tribuas, nec mihi retribuas. Qui es lux vera, illumina cæcitatem illorum. Qui es summa veritas, corrige errorem illorum. Qui es vita vera, vivifica animas illorum. Tu enim dixisti per dilectum discipulum tuum quia qui non diligit, manet in morte. Oro ergo, Domine, ut quantam jubes haberi, dones eis tui et proximi charitatem, ne habeant coram te super fratre suo peccatum.

Absit, o pie Domine, absit ne sim fratribus meis occasio mortis, ne sim illis petra scandali et lapis offensionis! Satis enim et plus quam satis est mihi, Domine, quod mihi ipsi sum scandalum, sufficit mihi meum peccatum. Obsecrat te servus tuus pro conservis suis, ne offendant benignitatem tam magni, tam boni Domini propter me, sed reconcilientur tibi, et concordent mihi secundum voluntatem tuam propter te. Hæc est vindicta, quam vult exigere secretum cordis mei de conservis et inimicis et compeccatoribus meis. Hæc est pœna quam orat anima mea de conservis et inimicis meis, ut te et invicem, sicut tu vis et nobis expedit, diligamus, ut bono Domino, sicut pro nobis ipsis, ita et pro invicem satisfaciamus, ut communi Domino in commune bonum magistra charitate concorditer obsequamur. Hanc ultionem poscit præparari omnibus malevolis et malefactoribus suis hic peccator tuus. Hanc præpara tu, Domine clementissime,

peccatori tuo. Age ergo, bone Creator, et misericors judex meus, age per inæstimabilem misericordiam tuam, dimitte mihi omnia debita mea, sicut et ego coram te dimitto omnibus debitoribus meis. Et si nondum, imo quia nondum id perfecte ad tuum examen facit, sed facere vult, et vim sibi faciendo, per te quod potest efficit spiritus meus, et hoc ipsum tibi offero, ut et tu velis perfecte dimittere mihi peccata mea, et sicut potes indulgeas animæ meæ.

Exaudi me, exaudi, magne Domine, et bone Domine, cujus amoris affectu sese pascere desiderat, sed satiare se de te non potest famelica anima mea; ad quem invocandum non invenit os meum nomen quod sufficiat cordi meo. Nullum enim verbum hoc mihi sapit quod te donante affectus meus de te capit. Oravi, Domine, ut potui, sed plus volui quam potui. Exaudi, exaudi tu, sicut potes, qui quod vis potes. Oravi ut infirmus et peccator, exaudi, exaudi tu, sicut potens et miserator, et non solum amicis et inimicis meis, quæ precatus sum, tribuas, sed sicut scis unicuique expedire, et voluntati tuæ non disconvenire, omnibus vivis et defunctis misericordiæ tuæ remedia distribuas, et me non sicut vult cor meum, nec sicut petit os meum, sed sicut scis et vis me debere velle et petere, semper exaudias, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XXV.

AD CHRISTUM.

Cum sacerdos multum timet ne officium altaris, quod gerit, magis noceat quam proficiat; et quod consilium de hac re capiat.

Dulcissime et benignissime Domine Jesu Christe, altissimi Patris altissime Fili, qui cum eodem Patre tuo, et Spiritu Sancto universitatis Creator existis; cui nota sunt omnia antequam fiant, tu nosti insipientiam meam, nosti et quam infirma sit et fragilis anima mea; et ejus peccata atque delicta a te non sunt abscondita. Te vero Creatorem meum esse recognosco; et omnia, quæ mihi ad præsentis vitæ necessitatem sunt, administrare fateor: fecisti ergo me, cum tibi placuit, et tandiu in hac vita ero, quandiu tibi placuerit; nec quousque tibi placeat, ulla vis me hinc expellere poterit. Et quia de hac re certissimus sum quod ita sit, hoc super omnia immensam bonitatem tuam deprecor, ut qualitercumque mihi eveniat, dum vivo, saltem de me bonus sit finis, omnibusque iniquitatibus meis per veram pœnitentiam dimissis, ad visionis tuæ gloriam pervenire valeam, propter quam me creasti.

Fateor, dulcissime Domine Jesu, quia omnia bona quæ habeo, tu mihi dedisti; et quia propter hoc ea mihi dedisti, ut te, sicut dignum esset, super omnia diligerem, et omnia quæ tibi placent, cum magna voluntate facerem; ea vero quæ tibi displicent, nullo modo facere auderem. Sed inter cætera bona quæ mihi

de servitio tuo præcipisti, nescio quo occulto judicio tuo mihi onus sacerdotii imponi permisisti. Quod servitium cum diligenter intueor quanta reverentia sit agendum, et quam pura conscientia, et ab omni contagione peccati munda debet esse mens quæ tam terrificum ministerium suscipit tractandum; et ex altera parte non minori diligentia respicio quis sum ego qui hoc tractare audeo, non parum de præsumptione mea formido, et vehementissime timeo ne ad majus judicium, majorisque judicii damnationem mihi sit, quod ad tam dignam rem tam indignus accedere audeo. Scio certe, nec de hac re ullo modo dubito quia, si ita viverem sicut ille vivere debet qui hoc ministerium agit, nullum servitium Dei facere possem, quod sic proficuo mihi esset et saluti. Sed sicut proficuum esset, si vita digna existeret, ita majus periculum et major damnatio infirmæ animæ et peccatis suis oneratæ imminet, quæ tan dignam rem indigna tractare audet. Vere ita est, et plus quam dici possit, ista res utilis est et salubris bono sacerdoti, et, plus quam dici possit, periculosa est indigne tractanti. Quid ergo faciet, dulcissime Domine Jesu, hic tuus sacerdos, imo hic peccator quid faciet, hujus tui servitii onere gravatus? Nimis enim sum incertus quid mihi sit utilius, dimittere, an facere. Sed tamen si ex toto dimitto, tunc rursus nimis pertimesco ne sub hujus formidinis occasione multa mala multaque peccata audeam inchoare, vel etiam perpetrare, quæ propter hujus servitii formidinem prius non audebam vel cogitare.

Fateor quippe multoties, cum ad hujus officii servitium me præparo et de malis quæ me fecisse recognosco, angustius et districtius intra me doleo, et eas quæ tunc perturbant vanas cogitationes vanasque delectationes expeditius respuo, et post peractum servitium, multa mala atque peccata quæ iterum insurgunt, propter ejusdem servitii formidinem timidius recipio. Cum hoc ita evenit, de ejusdem servitii præsumptione aliquam consolationem habeo, quia propter illius reverentiæ timorem, aliquantulum a peccatis meis cessare me intelligo. Sed, o mitissime et misericordissime Jesu, ut tu perspicis, ita sæpius cor meum omni malitia plenum, omniumque iniquitatum tenebris obcæcatum; ut has omnes formidines postponens scienterque tuas præceptiones contemnens, veluti torrens qui omnes fetores in se decurrentes secum trahit, et modo sursum modo deorsum secum volvit, cor meum cum misera anima mea omnes immunditias carnalium delectationum recipiat; et quasi porcus in cœno, sic in easdem immunditias se volvat, et revolvat. Fateor, o misericordissime Jesu, coram majestate tua iniquitates meas; fateor immunditias meas, fateor immanissimas superbias, et sordidas cogitationes meas, quas abjecto timore tuo infeliciter intus amplectitur infelix anima mea. Ut tu vides, clementissime Domine Jesu, ut tu vides, sæpius et sæpius ita facio, et in tam sordido vase, vel potius in tam sordido corde corpus tuum et sanguinem suscipio; verum dico, non mihi parco! Sic multoties plenus peccatis et iniquitatibus

ad servitium tui altaris accedo; unde multum formido ne magis ad perniciem quam ad salutem mihi sit hæc præsumptio, quod sic fetens et putens tam munda sacramenta contingere præsumo.

Modo veniat aliquis fidelis, qui Spiritu Dei plenus sit, et miserum sacerdotem suo spirituali consilio instruat quid ei sit melius, quidve deterius, servitium altaris propter hujusmodi impedimenta dimittere, an propter refrenationem multarum iniquitatum, quæ ejusdem servitii formidine sæpius reprimantur, servitium facere. Est autem de hoc (ut mihi videtur) expeditum et salubre consilium a peccatis cessare, et servitium quod Deo debemus reddere; nos autem etsi indigni sumus Deo servire, Deus non est indignus servitio suæ creaturæ; de aliis nescio quid ipsi magis eligant, de me scio quia magis volo Deo servire, et si non ex toto me possum a malitia retinere quam propter formidinem peccati ejus servitium dimittere et in peccatorum damnatione securius jacere. Melius est ut nos verberet propter aliquam offensionem sui servitii, et tamen suum servitium facientes, quam nos damnet propter timorem peccati suum servitium facere nolentes. Immensa est enim ejus pietas, immensa ejus misericordia, qui etsi viderit nos viam suæ rectitudinis vel claudicando ambulare, etsi sæpius labendo et relabendo, non tamen ab ejusdem viæ rectitudine velle recedere; si nos non lassemur, non diu se retinere poterit, sed conatum nostrum adjuvabit, et diriget gressum nostrum ad viam salutis. Tamen si peccata

sacerdotis sunt criminalia, utilius est ei ab immolatione sacrificii humiliter cessare quam per præsumptionem immolando, majorem damnationem incurrere, donec inchoata vel peracta pœnitentia, possit ad altaris servitium securius accedere.

Sed ecce, dulcissime et misericordissime Domine Jesu, fateor immensæ bonitati tuæ me esse nimis peccatorem, plurima quæ tibi displicent facientem, et tamen tui altaris servitium facere præsumentem. Non enim possum de tua misericordia desperare, non possum, nec mihi expedit servitium tui altaris dimittere, tuum corpus et sanguinem non sumere, quod pro redemptione mea mortem suscepit, et qui pro remissione peccatorum de tuo latere lancea militis aperto cum aqua exivit. Si indignus sum, sicuti sum], et ego fateor, verbera me, emenda et corripe, et tamdiu castiga tuum sacerdotem, imo tuum peccatorem, donec omnis rubigo peccati recedat a me, quæ per tam longum tempus ex magna incuria indurata est in lateribus animæ meæ. Fateor, fateor, peccator sum, immundus sum, indignus sum, et tamen non recedo a te, dulcissime Jesu Christe; velis quid velis, non dimitto te, etsi infirma manu, tenebo te. Non recedes a me, donec ab omni contagione peccati absolvas; et sic carnem tuam quotidie manducantem, et sanguinem tuum bibentem, tuæque voluntati jugiter inhærentem, tua præcepta assidue facientem, me post mortem carnis perducas ad veram salutem, scilicet ad te verum sacerdotem, ubi cum aliis sacerdotibus, tuis videlicet mem-

bris, ego quoque tunc non peccator, sed dignus sacerdos, et dignum membrum corporis tui, te laudem, te glorificem per æterna sæcula. Amen.

ORATIO XXVI.

AD CHRISTUM.

Cum sacerdos diligenter contemplatur quam misericorditer Redemptor noster naturam nostri limi, unde nos fecit, pro nobis suscepit.

Summe sacerdos, et major cæteris sacerdotibus Domine Jesu Christe, cui adhæret omnis sacerdos, imo omnis christianus qui ambulat coram te in veritate, auribus pietatis tuæ audi vocem meam, et si recte precor, exaudi orationem meam; non enim volo, dulcissime Pater, aliquid te rogare, quod in rogando te juste possit offendere. Et si aliqua inscitia, vel carnali voluntate, quod sit contra salutem animæ meæ, aliquid te rogare volo, hoc super omnia, misericordissime Domine, precor ne in hujusmodi petitionibus me unquam velis exaudire. Nosti, et bene nosti, benignissime Deus, quantis illusionibus, quantis vanitatibus, quantis carnalium desideriorum voluptatibus, quantis sæcularium cupiditatum appetitionibus omni hora, et sine intermissione vulneretur infelix animus meus. Et multoties evenit ut tu ipse, dulcissime Domine, perspicis, quia si me permitteres ire secundum meam pessimam voluntatem, totum meipsum in magnam peccatorum voraginem præcipitarem. Propterea te, dulcissime Pater, rogo, quia scio nimis me esse peccatorem et adversus peccatum nullam fere

habere virtutem, ut per magnam misericordiam tuam retineas furorem meum, qui me trahit ad peccatum, et confundas et destruas omne malum desiderium, quod pervertit in me omnem rectitudinis sensum.

Aliquando, amator hominum Deus, cum studiosius cogito, et mala quæ multoties feci et adhuc miser et peccator non desisto ad memoriam reduco, et diligenter intueor qualiter vivam, qualiter ipsa mala quæ feci et adhuc facio plangam, quod sacerdos dicor, sed officium sacerdotis operibus dignis non impleo, quamvis et de multis aliis quæ feci, multum pertimescam, de hujus officii dignitate, quam indignus porto, super omnia quæ mihi evenire possunt formido. Est autem hujus officii dignitas, plusquam æstimari possit, magna et inæstimabiliter Deo et hominibus chara, si sacerdos ita vivit sicut ille vivere debet qui hujus officii curam gerit. Porto autem ego nomen hujus dignitatis, sed infelix vita mea fere in omnibus contradicit, male agendo, hujus nominis dignitati. Est enim cor meum immundum, omnes sensus corporis mei immundi, et sic intus et foris totus immundus non invenio in toto me aliquid mundum, ubi honeste et quidquid decet possim reponere corpus Dominicum. In magnis itaque angustiis constitutus, et quid potissimum mihi sit faciendum nescio, huc illucque, modo hoc modo illud cogitans, me circumfero diligentiusque omnem conscientiam meam revolvo, si forte aliquod consilium salubre invenirem quod ad aliquam salutem animæ mihi esse intelligerem. Omnia ergo quæ erga me geruntur, circumspi-

ciens, et fere nihil aut parum boni in toto me inveniens, hoc tantillum boni ibi vix animadverti, si tamen bonum debeat dici quod bonum quod ego non habeo, in alio, cum habet, diligo, et, cum non habeam, humiliter me non habere recognosco, quod peccatorem et miserum plusquam alium quemlibet me esse credo, et tamen de misericordia Dei omnipotentis non despero. Credo enim quod illi cui cura fuit me, cum non essem, facere, et adhuc cura est mihi ea quæ ad hujus vitæ usum sunt necessaria, pro misericordia sua providere, cura illi erit pro pietate sua mihi dare adhuc aliquod bonum opus facere, aliquod bonum valeam inchoare, et, si non ex toto, a malis vel aliquantulum cessare.

Est enim Deus pius et misericors, et nullo modo creaturam suam perdere volens, sed modis omnibus ut ad pietatem suam redeat, misericorditer monens. Quantum vero suam creaturam diligat, quantum invitus eam perdat, in hoc veraciter ostendit, cum de cœlo in terram descendit, cum ille qui sine initio erat, initium pro amore creaturæ habere voluit, limumque unde nos fecit pro redemptione nostra assumpsit, et ipsum limum, scilicet carnem suam, quam pro nobis assumpsit, postquam per passionem crucis in ipsius crucis ara bene excocta est, nobis ad manducandum porrigit et ipsius carnis sanguine ejusdem crucis torculari expresso dum nos potat, sitim animæ nostræ exstinguit. Hanc autem carnem nostri Redemptoris cum manducamus et sanguinem bibimus, cum limo nostro miscemus, et de hoc

quasi emplastrum facientes nostræque animæ infirmitatibus apponentes, si digne sumimus, omne protinus quod ad damnationis periculum nos pertrahit ex interioribus animæ nostræ projicimus. O immensa Domini nostri Jesu Christi pietas ! O admiranda et ineffabilis misericordia ! Si aliquis potens homo, cum magno comitatu hominum pergens, forte juxta viam per quam transiret, in aliquo cœno aliquem pauperem immersum videret, qui se per seipsum nullo modo extrahere posset de illo cœno in quo immersus esset, miseratione motus eumdem pauperem per seipsum de illo cœno extraheret, nulli dubium quin hujusmodi magnæ misericordiæ magnæque pietatis ab omnibus prædicaretur, magnis laudibus ab omnibus rectum sensum habentibus extolleretur. Et quanto hoc opus misericordiæ pro paupere et inope fecisset, tanto plus pius et misericors omnibus piis et veraciter christianis appareret. Quid ergo, quid æstimari debet de magna Domini nostri Jesu Christi pietate, de ineffabili ejus misericordia et charitate, qui cum ipse sine initio sit, et mortale initium et mortalitatem sumpsit pro paupere, et ultra modum paupere et inope, ut illum extraheret de sordidissimo cœno peccati, in quo seipsum immerserat miser et infelix ? Præter hoc, miser homo tantam infelicitatem patiebatur, sicque infeliciter in ipsis voraginibus æternæ perditionis erat immersus, magnis angustiis magnisque doloribus famis et sitis erat oppressus. Ex una igitur parte intolerabilem fetorem cœni, qui ejus miseriæ et dolori compateretur nullum inveniens,

tam ex fetenti cœno in quo jacebat quam ex desperatione consolationis quam a nullo sperebat, intolerabili dolore afficiebatur. Et, si diutius differretur quod ab aliquo misericorde aliquando misericordia ei non impenderetur, jam ab ipsis miseriis æternæ perditionis irreparabiliter moreretur. Venit misericors Creator ineffabilem pietatem habens ad hunc peccatorem in luto peccatorum jacentem; non exspolians se indumento gloriæ suæ, induit pannos miseriæ nostræ. Venitque velut mundissimus sol per ipsos fetores, nullam tamen contaminationem fetoris patiens, usque ad ipsum miserum peccatorem, eumque ab ipsis fetoribus extergens, tenuit per brachium, extraxit in planum. Extractum vero de lacu miseriæ et de luto fæcis, cibavit pane sapientiæ salutaris, et post hæc, ipsa sua carne quam pro ejus redemptione susceperat, et suo sanguine qui pro remissione peccatorum fusus est, cibavit et potavit; et sic refocillatum ab ipsis doloribus, quibus tam graviter vexabatur, mitigavit. Hæc autem caro quam ei ad manducandum dedit de natura ejusdem limi fuit unde primum hominem plasmavit, quem ad imaginem et similitudinem suam creavit; quam similitudinem, quam ipse primus homo per suam culpam defiguravit, per carnis suæ comestionem, rectamque fidem ad integrum reformavit; hanc vero carnem, vel hujus limi naturam postquam Christus passus est in cruce, postquam resurrexit tertia die, ad cœlos portans, ad dexteram Patris collocavit, eique dominationem super Angelos et Archangelos donavit. Ecce limus, qui per

naturam suam in terra semper adhæret, a Redemptore nostro in cœlo portatus, ipsum cœlum et omnia quæ in eo sunt sub dominio suo habet. Ad quem limum nemo fidelis potest vel poterit ascendere, nisi eum prius curet in terra salubriter comedere ejusque sanguinem bibere. Hujus carnis et sanguinis ego qualiscumque minister et sacerdos, dum tantam pietatem tantæque pietatis dulcedinem Redemptoris nostri erga creaturam suam conspicio, de ejus immensa bonitate non diffido. Succurre ergo, Domine Jesu Christe, succurre tuo sacerdoti, indulge ejus peccatis atque delictis, ut digne valeam tui corporis et sanguinis mysterium celebrare, et digne celebrans corporis tui et sanguinis veritatem digne comedere et bibere, et sic usque in finem jugiter perseverans, ad te post mortem carnis valeam pervenire, ubi, non per intervalla, sicut modo, sed sine intermissione cum sanctis omnibus te ipsum qui veritas et vita es possim comedere et bibere. Amen.

ORATIO XXVII.

AD DEUM ET AD OMNES SANCTOS.

Domine Deus omnipotens, æterne et ineffabilis, sine fine atque initio, quem unum in Trinitate, trinum in unitate confitemur. Te solum Deum adoro, te laudo, te benedico, teque glorifico, tibi gratias ago, tibi me tota devotione committo; intende voci orationis meæ, Pater de cœlis Deus, Rex meus et Deus meus. Fili, Redemptor mundi, Deus, miserere mei, ne perdas me cum iniqui-

tatibus meis, neque in finem iratus reserves mala mea. Sanctus Spiritus, benigne Deus, inspira mihi spiraculum gratiæ tuæ, et dirige me in viam salutis æternæ : doce me voluntatem tuam facere : quidquid tibi displicet in me, remove a me. Trine et une, omnipotens, pie et misericors Domine, aspice in me, et tribulationem meam in gaudium converte, et ne des hæreditatem tuam, altissime, in perditionem. Dominator omnium ac protec tor in te sperantium, Domine, deprecationem meam suscipe; et per intercessiones gloriosæ virginis Mariæ, aufer iram tuam a me, Domine Deus salutis meæ, nec animam meam prius a corpore suscipias, quam omnia peccata mea dimittas.

O gloriosa Dei genitrix, Mater misericordiæ, virgo semper Maria, quæ Dominum omnium meruisti portare, et regem Angelorum sola virgo lactare, adjuva me in die tribulationis meæ, ut tuis fultus patrociniis ad regna cœlestia merear pervenire.

O sancte Michael, archangele Dei, præpositus paradisi, veni in adjutorium meum, et defende me ab hoste maligno in hora mortis meæ, et animam meam deduc in paradisum exsultationis æternæ. Omnes sancti Angeli et Archangeli Dei, cunctæ cœlorum virtutes, omnesque sanctorum spirituum ordines, adversæ damnationis vires reprimite, expugnate impugnantes me, a rugientis inimici sævitia potenter me defendite, in via veritatis fideliter gradientem omni hora, die ac nocte custodite me, et in hora exitus mei animam meam in pace vobiscum suscipite.

Sancte Joannes Baptista, omnes sancti patriarchæ et prophetæ, exoro vos obnoxia prece, manum mihi porrigite, auxilium mihi in cunctis necessitatibus meis et infirmitatibus præbete; poscite mihi a Deo indulgentiam, patientiam, constantiam, justitiam, obedientiam, continentiam, sanctamque perseverantiam.

Sancte Petre, princeps apostolorum beatissime, omnesque sancti apostoli et Evangelistæ, Ecclesiarum principes, et cœlestis aulæ triumphales milites, date mihi vitam honorabilem, virtutum magnitudinem, consummationem laudabilem et æternam beatitudinem; influat mihi per vos pax, virtus et perpetua salus.

Christi dulcissimi sacerdotes, atque inclyti doctores, omnesque sancti confessores, qui ampliastis talentum vobis creditum per immarcessibilem fructum bonorum operum, Dei ineffabili pietate detur mihi per vos peccatorum indulgentia, totius boni copia, cœlestium concupiscentia, grata fratrum benevolentia, morum reverentia, mandatorum Dei observantia. Precor te, beate N. devotissima prece, dignare me inter tuos agnoscere, cum sederis potens in judicio orbem judicaturus cum Domino.

Omnes sanctæ Virgines, quæ cœlesti sponso perenni mente adhærentes luxum calcastis sæculi, omnesque sanctæ viduæ, impetrate mihi fetido munus perennis gratiæ, vitæ sanctimoniam, corporis munditiam, cordis innocentiam, fidei firmitatem, fraternitatis charitatem.

Intercedite pro me, omnes sancti, quicumque Deo pla-

cuistis ab initio sæculi. Aptate me ad voluntatem Dei peragendam in omni opere bono, ut peccatis mortuus, Deo vivam, et vota, quæ Deo vovi, vestris suffragantibus meritis illi toto affectu persolvam, ut ad portum salutis æternæ merear pervenire, et in æterna felicitate vobiscum sine fine gaudere. Amen.

ORATIO XXVIII.

AD DEUM.

Domine Jesu benignissime, fons vitæ, fons misericordiæ, de quo bibunt omnes sancti, bibunt et inebriantur ineffabili dulcedine, vivunt æterna satietate, da mihi per merita eorum in præsenti vita sic te semper sitire, ut in futuro sæculo cum eisdem sanctis tuis ad te valeam æternaliter satiari. Oro itaque dulcissimam misericordiam tuam, piissime, suavissime Domine Jesu, pasce miseram animam meam ex recordatione beneficiorum tuorum, ne deficiat in peregrinatione fatigata imo pondere peccatorum suorum. Tua me, Domine, bonitas creavit, et per baptismum tuum recreavit, patienter hactenus me quotidie peccantem exspectat. Potentia divinitatis tuæ me fecit, humilitas humanitatis tuæ me refecit. Ecce, Domine Jesu Christe, gratia tua donante, qui es Dominus meus, Deus meus, ecce recordor quia, sicut prænuntiasti per sanctos tuos ab initio mundi, natus de sancta Virgine veram ex ea carnem accepisti, Virginis matris ubera vere suxisti, pasce peccatricem animam meam tua sancta carne, satia illam tua dulcedine. In præsepio positus,

pannis involutus es, involve animam meam panis misericordiæ tuæ, ne remaneat nuda coram te. Pastores et ab oriente magi venientes adoraverunt te in præsepio jacentem, fac me, Domine, te fideliter adorare jam in cœlo sedentem. Permisisti circumcidi carnem tuam, circumcide ab omni peccato mentem meam. Præsentatus es in templo, suscepit te Simeon in ulnas suas, id est in brachia sua, præsenta me sanctæ majestati tuæ, ut te complectar brachiis animæ meæ. Subditus eras parentibus in pueritia tua, fac me tibi subditum, et omnibus quibus me subjecerit dispositio tua. Baptisatus es a Joanne, in infantia tu baptisasti me, post baptismum tuum sanctum multoties pollutus sum, per veram confessionem et pœnitentiam baptisa me. Jussisti peccatoribus agere pœnitentiam, promisisti digne pœnitentibus indulgentiam, fac me pro peccatis meis sic pœnitere ut eorum veniam a te merear obtinere. Veritatem, mansuetudinem, justitiam docuisti, doce cor meum et illumina, ut unus ex eis esse merear quos tu docens interius illuminasti. Miracula, virtutes, sanitates in corporibus et animabus hominum, quantum tibi placuit, fecisti; sana languores animæ meæ, quia peccavi tibi. Jejunasti propter me, fac me abstinere ab omni peccato pro tuo amore. Esuriisti propter me, fac me te, qui panis es verus, veraciter esurire. Fatigatus es propter me, robora, refice lassitudinem animæ meæ. Dulcissime et misericordissime Domine Jesu Christe, dum cœnares cum amicis tuis, pedes eorum lavasti, corpore tuo et sanguine pa-

visti ; corpus meum et animam ab omni sorde lava , et eodem corpore tuo et sanguine, ne deficiat conforta. Quid amplius dicam , Domine Jesu Christe ? Tu es vita mea , salus mea, dulcedo mea, fortitudo mea, gaudium meum, redemptio mea, resurrectio mea. Tu propter me traditus es , ne tradas bestiis animam meam. Ligatus es propter me, solve ligamina peccatorum meorum. Illusus es propter me , libera me ab illusionibus dæmonum. Dulcissime Domine , tu solus homo sine peccato flagellatus es propter me, libera me a flagellis quæ merentur iniquitates meæ. Misericordissime Domine, spinis coronatus es propter me , spinas peccatorum meorum aufer a me. Domine Jesu benignissime , tu portasti super sanctos humeros tuos crucem tuam, fac me te sequi et post te portare animam meam. Altissime Domine , tu exaltatus in cruce traxisti omnia ad te, trahe me ad te. Dulcissime Domine, tu permisisti manus tuas et pedes clavis ferreis perforari , lancea latus tuum aperiri, sanguinem tuum pro peccatoribus effundi , per ipsum sanguinem tuum lava animam meam ab omnibus peccatis , et omnem dolorem ab ea tolle per angustias quas pro nobis constituisti. Dulcissime Domine , tu suscepisti petitionem latronis , suscipe orationem mei peccatoris. Aceto potatus es propter me , inebria animam meam melle dulcedinis tuæ. Bone Pastor, tu posuisti pro tuis ovibus animam tuam , ne sinas perire et mori peccatricem animam meam. Liberasti de inferno animas piorum , libera animam meam a damnatione impiorum. Fortissime, potentissime Do-

mine Jesu Christe, tu postquam mortem vicisti, surgens a mortuis vivus et immortalis discipulis tuis apparuisti. Dolentes de tua morte lætificasti, manducans et bibens frequenter cum eis in fide sanctæ resurrectionis tuæ cor eorum solidasti, animam meam, animam servi tui lætifica et conforta in fide sanctæ tuæ resurrectionis.

ORATIO XXIX.

AD CHRISTUM.

Domine Jesu Christe, dulcissime, suavissime, pulcherrime, speciosissime, desideratissime, Dominus meus et Deus meus, post resurrectionem tuam quadragesimo die vidente piissima matre tua virgine et ineffabiliter gaudente, videntibus amicis tuis apostolis et ineffabiliter de tua glorificatione lætantibus, benedicens eis ascendis in cœlum et sedes ad dexteram Patris ! Benedic etiam nobis et fac nos participes tantæ exsultationis, quam illi habuerunt de gloria tuæ exsultationis, et per hæc beneficia tua, et alia innumerabilia quibus hominem perditum ad salutem revocasti, dum in hac vita detineor, miseram animam meam refice et conforta, ut cum a corpore migraverit, tam piis recordationibus et memoriis enutritam et refocillatam sub alis misericordiæ tuæ, sub pedibus sanctorum apostolorum tuorum, sub pedibus gloriosissimi testis tui Stephani, et cæterorum puerorum tuorum qui tecum sunt in sancto cubili tuo, requiescere possit, te miserante, te donante, Salvator mundi, qui cum

Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XXX.

AD CHRISTUM ET OMNES SANCTOS.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, Dominus meus et Deus meus, tu es vita mea, salus mea, sine quo non possum bene vivere, vel bene esse, quia et antequam essem et viverem, apud te eram et vivebam in te, et, antequam me nossem, noveras me. Benignissime, suavissime, dulcissime, fac me recordari miserationes tuas quas humano generi misericorditer impendisti, fac ex earum recordatione cor meum igne ignescere dilectionis tuæ jugiter in flammam. Potentissime Domine, prius in utero matris meæ me formasti, tua virtute natum de matre baptismo tuo sanctificasti, parentibus meis ut litterarum studio ac societati monachorum me traderent inspirasti, ingenium discendi litteras, quantum tibi placuit, ingrato mihi dedisti. Me quotidie peccantem usque nunc patienter exspectasti. Precor, oro, benignissime Domine, dulcissimam misericordiam tuam ne me sinas unquam ad pristinas sordes peccatorum meorum redire, sed fac me cum servis tuis in tuo servitio perseverare. Scio, Domine, quod non sum dignus exaudiri propter peccata mea, sed da mihi solatium et intercessionem sanctorum tuorum quos audeo coram te appellare, ut quod obsistentibus peccatis meis non mereor, eorum meritis suffragantibus obtinere possim, et ne me exclu-

das ab eorum societate. Vos omnes sancti, filii misericordiæ, pueri Domini Salvatoris, jam cum eo quiescentes in æterna requie, quos ipsa charitas de suis visceribus genuit, vos ego peccator appello, sublevate meam orationem ad aures vestræ matris, altissimæ charitatis. In primis audeo te suppliciter orare, quæ vicinior existis saluti nostræ, quæ vitam nostram peperisti, mundo perdito remedium attulisti, benedicta super mulieres virgo mater ipsius misericordiæ, sancta Maria, Domina mundi, Regina cœli, tuæ sanctissimæ pietati meam orationem qualemcumque committo, ut eam offeras dilectissimo Filio tuo Domino nostro. Vos etiam sancti Angeli et Archangeli, sancte Michael, sancte Raphael, sancte Gabriel, et omnes sancti cœlestium ordines virtutum ad orationes meas ad Deum sublevandas advocare præsumo. Vos omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ, qui præcessistis et annuntiastis adventum nostri Salvatoris, vos estote adjutores orationibus meis. Sancte Joannes, tu Baptista Domini, amicus ipsius summi sponsi, tu esto adjutor orationibus meis. Sancte Petre, cui summus Pastor commisit suos agnos pascendos. Sancte Paule, vas electionis Domini Jesu Christi, doctor gentium. Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, orate pro me peccatore; vestris meritis orationes meas committo. Sancte Stephane protomartyr Domini nostri Jesu Christi, amice Dei, tuis meritis me commendo. Omnes sancti martyres qui pro Salvatoris amore sanguinem vestrum fudistis, orate pro nobis. Omnes sancti confessores qui per sanctitatem vitæ ves-

træ Deo placuistis, orate pro nobis. Sancta Maria Magdalena, quæ meruisti pedes Domini Salvatoris osculando tangere, lacrymis rigare, prima resurgentem a mortuis videre; omnes sanctæ virgines, viduæ et continentes, orate pro nobis.

ORATIONES

AB HUGONE A SANCTO VICTORE COLLECTÆ.

I

INVOCATIO AD DEUM.

Nunc adesto mihi, Deus meus, quem quæro, quem diligo, quem corde et ore, et qua valeo virtute laudo, atque adoro. Mens mea tibi devota, tui amore succensa, tibi suspirans, tibi inhians, te solum videre desiderans, nihil habens dulce, nisi de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, tuam gloriam frequenter sub corde revolvere, ut suavis tui memoria sit inter hos turbines repausatio mea. Te ergo invoco, desiderantissime, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Et cum te invoco utique in meipsum voco, quoniam omnino non essem nisi esses in me, et nisi ego essem in te. In me es, quoniam in memoria mea manes ex quo cognovi te, et in ea invenio te, cum reminiscor tui, et delector in te, de te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

II

LAUS DEI.

Tu cœlum et terram imples omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione. Semper agens, semper quietus, colligens non egens, quærens cum nihil tibi desit. Amas nec æstuas, zelas et securus es. Pœnitet te, et non doles. Irasceris et tranquillus es. Opera mutas, sed non mutas consilium. Recipis quod invenis, et nunquam amisisti. Nunquam inops, et gaudens lucris. Nunquam avarus et usuras exigens. Semper erogatur tibi, ut debeas, et quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Qui ubique es, et ubique totus, qui sentiri potes, et videri non potes. Qui nusquam dees, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe es. Qui nec ubi dees inde longe es, quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui ubique præsens es, et vix inveniri potes. Quem stantem sequimur, et apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum. Qui locis non distenderis, nec temporibus variaris, neque habes accessus et recessus. Qui habitas lucem inaccessibilem, quam vidit nullus hominum, nec videre potest. In te manens quietus ubique circuis totum. Non enim scindi vel dividi poteris, quia vere unus es. Nec in partes effunderis, sed totus totum tenes, totum illustras et possides. Si totum mundum libri repleant, tua scientia

inenarrabilis non potest enarrari. Quoniam vero indicibilis es, nullo modo scribi poteris, neque concludi. Tu es fons lucis divinæ et sol claritatis æternæ. Magnus enim es sine quantitate, et ideo immensus. Bonus sine qualitate, et ideo vere et summe bonus, et nemo bonus, nisi tu solus. Cujus voluntas opus est, cui velle posse est, qui omnia, quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti. Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, et sine labore gubernas, et absque tædio regis. Et nihil est quod conturbet ordinem imperii tui vel in summis vel in imis. Qui in omnibus locis sine loco haberis, et omnia contines sine habitu, et ubique præsens es sine situ et motu. Qui nec mali actor es, quod facere non potes. Nec unquam te quidquam fecisse pœnituit, cujus bonitate facti sumus, et justitia pœnas luimus, et clementia liberamur. Cujus omnipotentia omnia gubernat, regit, et implet quod creavit. Nec ideo te implere omnia dicimus, ut te contineant, sed ut ipsa potius a te contineantur. Nec particulatim imples omnia. Nec ullatenus ita putandum est, ut unaquæque res pro magnitudine suæ portionis capiat te, id est maxima majus, minima minus. Dum sis potius ipse in omnibus, sive omnia in te. Cujus omnipotentia omnia concludit, nec evadendi potentiam tuam quis aditum invenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam evadet iratum.

III

PIA DEI INVOCATIO.

Te igitur, clementissime, invoco in animam meam, quam præparas ad capiendum te, ex desiderio quod inspiras ei. Intra, rogo, in eam, et coapta eam tibi ut possideas illam quam fecisti et refecisti, et ut habeam te velut signaculum super cor meum. Quæso, piissime, invocantem te ne deseras, qui priusquam te invocarem me vocasti et quæsisti, ut ego servus tuus te quærerem, quærendo invenirem, et inventum amarem. Quæsivi et inveni te, Domine, et amare desidero. Auge desiderium et da quod peto, quoniam si cuncta quæ fecisti mihi dederis non sufficit servo tuo, nisi teipsum dederis. Da ergo te mihi, Deus meus, redde mihi te; en amo, et, si parum est, amem validius. Tui ergo amore teneor, tui desiderio flagro, tui dulci memoria delector. Ecce dum tibi mens mea suspirat, et tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa carnis sarcina minus gravat, cogitationum tumultus cessat, pondus mortalitatis et miseriarum more solito non hebetat. Silent contraria cuncta, tranquillaque sunt omnia. Cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet, et totus spiritus ex desiderio visionis tuæ accensus in invisibilium amorem rapi se videt. Assumat spiritus meus pennas ut aquilæ, volet et non deficiat; volet et perveniat usque ad decorem domus tuæ, et thronum gloriæ tuæ, ut ibi super mensam refectionis

civium supernorum pascatur de ocultis tuis in loco pascuæ juxta fluenta plenissima. Tu esto nostra exsultatio, qui es nostra spes, salus atque redemptio. Tu esto nostrum gaudium, qui es futurus præmium. Te semper quærat anima mea, et tu præsta ut quærendo non deficiat. Væ miseræ animæ, quæ Christum non quærit nec amat, arida siquidem manet et misera. Perdit enim quod vivit qui Deum non diligit. Qui curat vivere nisi propter te, Domine, nihil est et pro nihilo est. Qui tibi vivere recusat, mortuus est. Qui tibi non sapit, desipit. Misericordissime tibi me committo, reddo, et concedo, per quem sum, vivo, et sapio. In te confido, spero, et totam spem meam pono, per quem resurgam, vivam et requiescam. Te cupio, diligo et adoro; cum quo manebo, regnabo, beatus ero. Anima, quæ te non quærit nec diligit, mundum diligit, peccatis servit, vitiis subjecta est. Nunquam quieta, nunquam secura est. Famuletur tibi semper mens mea, piissime, suspiret tibi peregrinatio mea, ardeat in tui amore cor meum. Requiescat in te, Deus meus, anima mea. Contempletur te in mentis excessu. Cantet laudes tuas in jubilatione, et hæc sit in hoc exsilio consolatio mea. Confugiat mens mea sub umbram alarum tuarum ab æstibus cogitationum hujus sæculi. Reposet in te cor meum, cor mare magnum tumens fluctibus. Dives omnium bonorum, dapum supernæ satietatis, opulentissime largitor Deus, da lasso cibum, collige dispersum, libera captivum, redintegra scissum. En stat ad ostium et pulsat. Obsecro per

viscera misericordiæ tuæ, quibus visitasti nos oriens ex alto, jube pulsanti misero aperiri, ut liberis gressibus ingrediatur ad te, et requiescat in te; et reficiatur de te pane cœlesti. Tu es enim panis et fons vitæ. Tu lumen claritatis æternæ. Tu omnia, ex quibus vivunt recti, qui diligunt te. Deus lumen cordium te videntium, et vita animarum te amantium, et virtus cogitationum te quærentium, ut sancto tuo amori inhæreant; veni, rogo, in cor meum, et ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut obliviscatur ista temporalia. Pudet atque piget me talia pati qualia mundus iste agit. Triste est mihi quod video. Grave est quod de transitoriis audio. Adjuva me, Domine Deus meus, et da lætitiam in corde meo.

IV

Orat quo Deum pro modulo mentis suæ capere possit, ut dilatetur domus animæ suæ ejectis desideriis pravis, et receptis bonis, meminitque quanta sit felicitas animæ in cœlum receptæ.

Veni ad me ut videam te, sed angusta est mihi domus animæ meæ; quo venias ad eam, dilatetur abs te; ruinosa est, refice eam; habet quæ offendant oculos tuos, fateor et scio; sed quis mundabit eam? Aut cui alteri præter te clamabo: ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo? (*Ps.* 18.) Fac me, dulcis Christe, bone Jesu, fac me, rogo, amore et desiderio tui deponere onus carnalium desideriorum et terrenarum concupiscentiarum. Dominetur, rogo, carni meæ anima, animæ ratio, rationi gratia tua, et tua me interius et

exterius subde voluntati. Tribue mihi, ut laudet te cor meum, et lingua mea, et omnia ossa mea. Dilata mentem meam, et attolle intuitum cordis mei, ut vel rapida cogitatione spiritus meus attingat te æternam sapientiam super omnia manentem. Dissolve me, oro, a vinculis, quibus constrictus teneor, ut relinquens omnia ista tibi festinem, tibi soli inhæream, soli intendam. Felix anima, quæ terreno resoluta carcere, libera cœlum petit, quæ te dulcissimum Dominum facie ad faciem cernit, quæ nullo metu mortis afficitur, sed de incorruptione perpetuæ gloriæ lætatur. Tranquilla est et secura, non timet hostem neque mortem. Habet jam te pium Dominum quem diu quæsivit, semperque amavit, hymnidicis sociata choris melliflua perpetuæ festivitatis carmina ad laudem gloriæ tuæ, rex Christe, in æternum concinit. Inebriatur enim ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potas eam. Felix societas supernorum civium, et gloriosa solemnitas omnium ad te redeuntium ab hujus nostræ peregrinationis tristi labore. Amœnitatem omnis pulchritudinis, formositatem totius splendoris, atque dignitatem totius elegantiæ jugiter tui cives cernunt. Nihil omnino quod conturbet mentem in te auribus datur. Quæ cantica, quæ organa, quæ cantilenæ, quæ melodiæ ibi sine fine decantantur? Sonent enim semper melliflua hymnorum organa, suavissima Angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad laudem et gloriam tuam a supernis civibus in perpetuum decantantur. Amaritudo et omnis fellis asperitas in re-

gione tua locum non habet. Non enim est ibidem malignus, neque malitia. Non est adversarius et impugnans, nec est ulla peccati illecebra. Nulla est ibi indigentia, dedecus nullum, nulla rixa, nullum improperium, causatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla discordia : sed pax summa, charitas plena, jubilatio et laus Dei æterna, secura sine fine requies, et gaudium semper in Spiritu Sancto. Fortunatus ego si audiero jucundissimas civium tuorum cantilenas, carmina melliflua laudes summæ Trinitati debito honore promentia, sed nimium felix si ego ipse meruero cantare canticum Domino de dulcibus canticis Sion. O vita vitalis, vita sempiterna, et sempiterne beata, ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. Ubi omnia bona in charitate perfecta, ubi species et visio facie ad faciem, ubi plena scientia in omnibus et per omnia. Ubi summa Dei bonitas cernitur, et lumen illuminans a sanctis glorificatur. Ubi præsens majestas Dei conspicitur, et hoc vitæ cibo sine defectu mens intuentium satiatur. Vident et videre desiderant, sine anxietate et sine fastidio satiantur. Ubi verus justitiæ sol mira sui pulchritudinis visione omnes reficit, et ita universos cœlestis patriæ cives illuminat, ut luceant ipsi, lumen videlicet illuminatum per Deum lumen illuminans ultra omnem solis nostri splendorem, atque cunctarum stellarum clarita-

tem immortali adhærentes deitati, ac per hoc immortales et incorruptibiles facti juxta promissionem Domini Salvatoris : Pater quos dedisti mihi volo, ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, ut omnes unum sint, sicut, tu Pater, in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint. O regnum cœlorum regnum felicissimum; regnum carens morte et vacans fine. Cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus. Ubi victor miles donis ineffabilibus cumulatur.

Nobile perpetua caput amplectente corona.

V

Cœlestibus bonis perfrui, et terrenis malis erui desideranter orat, eaque commemorat.

Utinam remissa peccatorum mole me ultimum servorum Christi juberes, divina pietas, hanc carnis sarcinam deponere, ut in tuæ civitatis gaudia æterna repausandus transirem, supernorum sanctissimis choris interessem, cum beatissimis spiritibus gloria conditoris assisterem, præsentem Dei vultum cernerem, nullo metu mortis tangerer, de perpetuæ immortalitatis incorruptione securus gauderem, et scienti omnia conjunctus omnem ignorantiæ cæcitatem amitterem, terrena cuncta parvipenderem, convallem istam lacrymarum intueri, vel reminisci ulterius non dignarer. Ubi vita laboriosa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena, vita domina malorum, ancilla infernorum, quam humores tumificant, dolores

extenuant, ardores exsiccant, aer morbificat, escæ inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit, diabolus insidiatur, mundus adulatur, caro delectatur, anima excæcatur, totus homo conturbatur, et his tantis malis mors furibunda succedit, vanisque gaudiis ita finem imponit, ut cum esse desierint, nec fuisse putentur. Sed quas laudes, quasve gratiarum actiones tibi referre valeamus, Deus noster, qui nos etiam inter has tantas mortalitatis nostræ ærumnas non desinis consolari mira visitatione gratiæ tuæ? Ecce me miserum multis mœroribus plenum, dum vitæ meæ timeo, dum peccata mea considero, dum judicium tuum formido, dum mortis horam cogito, dum supplicia tartari horreo, dum opera mea qua districtione a te pensentur ignoro, dum quo fine illa clausurus sim penitus nescio, dumque hæc et alia multa meum sub corde retracto, consolaturus ades solita pietate, et inter has querelas, nimiosque ploratus, ac profunda cordis suspiria assumis mœstam et anxiam mentem, super alta juga montium, ad areolas usque aromatum, et collocas me in loco pascuæ secus rivulos dulcium aquarum, ubi præparas in conspectu meo mensam multiplicis apparatus, quæ fatigatum spiritum recreet, et cor tr istitia confectum lætificet. Quibus tandem refocillatus deliciis, multarum miseriarum oblitus, multarum deliciarum affluentia super altitudinem terræ in te vera pace quiesco.

VI

Amorem suum profitetur, ut cum crescere faciat, et causas amoris addit.

Amo te, Deus meus, amo, et magis magisque amare volo, da mihi, speciose præ filiis hominum, ut desiderem te, ut amem te quantum volo, quantum debeo. Immensus es, sine mensura debes amari, præsertim a nobis, quos sic amasti, sic salvasti, pro quibus tanta et talia fecisti. Amor, qui semper ardes, et nunquam exstingueris, dulcis Christe, bone Jesu, charitas summa, Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tui, dilectione tui, desiderio tui, charitate tua, jucunditate et exsultatione tua, pietate et suavitate tua, voluntate et concupiscentia tua; quæ sancta est et bona, quæ casta est et munda, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ vaporatus : diligam te Dominum meum dulcissimum et pulcherrimum ex toto corde meo, et ex tota anima mea, et ex totis viribus meis, et omni intentione mea, cum multa cordis contritione, et lacrymarum fonte, cum multa reverentia et tremore, habens te in corde, et in ore, et præ oculis meis semper et ubique, ita ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus. Pulcherrime animæ meæ sponse, rogo per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui, quo sumus redempti, da mihi cordis contritionem et lacrymarum fontem, præcipue dum preces et orationes tibi offero, dum tuæ laudis psalmodiam decanto, dum mysterium nostræ

redemptionis manifestum misericordiæ tuæ indicium recolo vel profero, dum sacris altaribus, licet indignus, assisto cupiens offerre illud mirabile et cœleste sacrificium omni reverentia, et devotione dignum, quod tu, Domine meus, sacerdos immaculate, instituisti, et offerre præcepisti in commemorationem tuæ charitatis, mortis scilicet et passionis pro salute nostra, pro quotidiana nostræ fragilitatis reparatione. Confirmetur mens mea inter tanta mysteria dulcedine præsentiæ tuæ. Sentiat te sibi adesse, et lætetur coram te, ignis qui semper ardes, dulcis Christe, Jesu bone, lumen æternum et indeficiens. Panis vitæ, qui nos reficis, et in te non deficis, quotidie comederis, et semper integer manes. Resplende mihi, accende me, illumina et sanctifica me, vas tuum de malitia evacua, imple de gratia, et plenum conserva, ut ad salutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ, quatenus manducando te vivam de te, vadam per te, perveniam ad te, repausem in te. O dulcedo amoris, et amor dulcedinis, comedat te venter meus, et nectare tui amoris repleantur viscera mea, ut eructet mens mea verbum bonum. Charitas viva, Deus meus, mel dulce, lac niveum, cibus es grandium. Fac me crescere in te, ut sano palato possis manducari a me. Tu es vita mea qua vivo, spes cui inhæreo, gloria quam adipisci desidero. Tu mihi cor tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem erige, animum suspende, et in superna fluenta, os sitientis te spiritus trahe. Taceat, quæso, tumultus carnis, conticescant phantasiæ terrarum et aquarum, aeris et poli.

Taceant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua, omne signum, et quidquid transeundo fit. Sileat sibi et ipsa anima, et transeat se non cogitando, sed te, Deus meus, quoniam tu es revera tota spes et fiducia mea. Est enim in te Deo, et Domino nostro Jesu Christo dulcissimo, et benignissimo, atque clementissimo uniuscujusque nostrum et portio, et sanguis, et caro.

VII

Spei et fiduciæ suæ, quo constantiores fiant, memorat causas et argumenta.

Ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo, ubi sanguis meus dominatur, dominari me confido, ubi caro mea glorificatur, gloriosum me esse cognosco. Quamvis peccator sim, de hac tamen communione gratiæ non diffido, et si peccata me prohibent, substantia me requirit; et si delicta propria me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis est Dominus, ut non diligat carnem suam, membra sua, et viscera sua. Desperare utique potuissem propter nimia peccata et vitia mea, culpas, et infinitas negligentias, quæ egi et quotidie indesinenter ago, corde, ore, opere, et omnibus modis quibus humana fragilitas peccare potest, nisi Verbum tuum, Deus, caro fieret, et habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo, quoniam subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum, et affigens illud cruci peccatum crucifixit et mortem. In ipso autem securus respiro, qui

sedet ad dexteram tuam et interpellat pro nobis. In ipso confisus ad te pervenire desidero, in quo jam resurreximus, et reviximus, et jam in cœlum conscendimus, et in cœlestibus consedimus. Tibi laus, tibi gloria, tibi honor, et gratiarum actio, piissime Domine, qui nos sic amasti, et salvasti, sic justificasti, et sublimasti. Piissime Domine, quam dulcis est memoria tui! Quanto magis in te meditor, tanto es mihi dulcior et amabilior. Idcirco delectat me valde bona tua puro mentis intuitu, et dulcissimo pii amoris affectu in loco peregrinationis meæ juxta modulum meum interim quandiu his fragilibus subsisto membris, considerare. Tuæ enim charitatis jaculo vulneratus sum, tui vehementer desiderio flagro, ad te pervenire cupio, te videre desidero. Idcirco super custodiam meam stabo, et vigilantibus oculis psallam spiritu, psallam et mente, et totis viribus te factorem meum collaudabo. Polum penetrabo, mente et desiderio tecum ero, ut in præsenti quidem miseria solo corpore tenear, tecum autem cogitatione, et aviditate, atque omni desiderio sim semper, quatenus ibi sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus desiderabilis, incomparabilis, summeque amabilis. Sed ecce Deus meus piissime, ac misericordissime Domine, dum tuæ immensæ bonitatis et pietatis gloriam considerare volo, cor meum non sufficit. Excedit enim omnem sensum humanæ mentis tuum decus, tua pulchritudo, tua virtus, tua gloria, tua magnificentia, tua majestas et tua charitas. Sicut inæstimabilis est tuæ gloriæ splendor,

ita ineffabilis est tuæ charitatis benignitas, qua illos, quos de nihilo creasti, adoptas in filios et tibi conjungis. O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, et sanctis ejus sociari, nonne erat dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Indesinenter igitur dæmones parent suas tentationes, fragrant corpus jejunia, premant vestimenta, labores gravent, vigiliæ exsiccent, curæ excitent, clamet me iste, inquietet ille, vel ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus, deficiat in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus; ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum.

VIII

De cœlestis gloriæ excellentia, et ejus contemplatione, et modo obtinendi eam.

Quæ tunc erit uniuscujusque nostrum gloria, quam grandis sanctorum lætitia, cum unaquæque facies fulgebit ut sol, cum ordinibus distinctis populum suum Dominus in regno Patris sui cœperit recensere, et meritis atque operibus singulorum præmia promissa restituet, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna? Revera cumulus felicitatis erit, cum

Dominus adducet sanctos in visionem paternæ gloriæ, et faciet in cœlestibus considere, ut sit Deus omnia in omnibus. O felix jucunditas, et jucunda felicitas, sanctos videre, cum sanctis esse, et esse sanctum, Deum videre, et Deum habere in æternum et ultra. Hoc sedula mente cogitemus. Hoc desiderio toto desideremus, cito ut ad eos pervenire valeamus. Si quæras quomodo istud potest fieri, vel quibus meritis, quibusve auxiliis, audi. Res ista posita est in potestate facientis, quoniam regnum cœlorum vim patitur. Regnum cœlorum, o homo, aliud non quærit pretium nisi teipsum. Tanti valet, quantum es. Te da, et habebis illud. Quid turbaris de pretio? Christus semetipsum tradidit, ut acquireret te regnum Deo Patri. Ita tu temetipsum da, ut sis regnum ejus, ac non regnet peccatum in tuo mortali corpore, sed spiritus in acquisitionem vitæ. O anima mea, revertamur ad civitatem cœlestem, in qua scripti sumus et cives decreti. Sicut ergo cives sanctorum, et domestici Dei, et sicut hæredes Dei, cohæredes autem Christi, consideremus inclytam nostræ urbis felicitatem, in quantum considerare possibile est. Dicamus ergo cum Propheta : O quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei ! Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Fundaris enim exsultatione universæ terræ. Non est in te senectus, nec senectutis miseria. Non est nanus, nec claudus, nec deformis, dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecil-

litas? Nemo læditur, irascitur nemo, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsat aut potestatis ambitio, nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul, mors nulla neque corporis, neque animæ, sed immortalitatis munere jucunda vita. Nulla erit tunc usquam discordia, sed cuncta consona, cuncta convenientia quia omnium sanctorum erit una concordia. Pax cuncta et lætitia continet, tranquilla sunt omnia et quieta. Jugis splendor, non iste qui nunc est, sed tanto clarior quanto felicior. Quia felicitas, ut legitur, illa non egebit lumine solis, sed Dominus omnipotens illuminabit eam, et lucerna ejus est agnus. Ubi sancti fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitates, et sicut splendor firmamenti qui erudiunt multos. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris ardorisve asperitas ulla, sed talis erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, nisi illorum qui ea perfrui digni inveniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Verum super hæc omnia consociari choris Angelorum et Archangelorum, atque omnium cœlestium virtutum, intueri patriarchas et prophetas, videre apostolos atque omnes sanctos, videre etiam parentes nostros; gloriosa sunt hæc, sed multo gloriosius est præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre. Superexcellens gloria erit cum Deum videbimus in seipso, videbimus et habebimus in nobis, quem cernere finis est sine fine.

IX

De requie tuta et firma in vulneribus, visceribus et morte Christi.

Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ affluant. Per foramina corporis patet mihi arcanum cordis, patet magnum pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Vulnera Christi Jesu plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et charitate. Foderunt manus ejus et pedes, et latus lancea foraverunt. Per has rimas licet mihi gustare, quoniam suavis est Dominus meus, quoniam revera suavis, ac mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus eum in veritate, omnibus inquirentibus et maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Salvatoris nostri. Magna multitudo dulcedinis, gratiæ plenitudo, et perfectio virtutum. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus parat insidias mihi, fugio ad viscera Domini mei, et recedit a me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Filii Dei exstinguuntur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium quam vulnera Christi. In illis dormio securus, et requiesco intrepidus. Christus

mortuus est pro nobis. Nihil tamen est ad mortem, quod morte Christi nobis non salvatur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita, et resurrectio mea. Meritum meum, miseratio Domini. Non sum meriti inops, quandiu ille miserationum oblitus non fuerit. Et si misericordiæ Domini multæ, multus ego sum in meritis. Quanto ille potentior ad salvandum, tanto ego securior. Peccavi peccatum grande, et multorum sum mihi conscius delictorum. Nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit et gratia. Qui desperat de venia peccatorum suorum, negat Deum esse misericordem. Magnam injuriam Deo facit, qui de ejus misericordia diffidit. Quantum in se est negat eum habere charitatem, veritatem, potestatem, in quibus tota spes mea consistit, scilicet in charitate adoptionis, in veritate promissionis, in potestate redditionis. Murmuret jam quantum voluerit insipiens cogitatio mea, dicens : Quis enim es tu, aut quanta est gloria, quibusve meritis illam obtinere speras ? Et ego fiducialiter respondeo : Scio cui credidi, quia in charitate nimia adoptavit me in filium, quia verax est in promissione, potens in exhibitione, et licet ei facere quod vult. Non possum terreri multitudine peccatorum si mors Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi et lancea clamant mihi quod vere reconciliatus sim Christo, si eum amavero. Longius aperuit mihi latus Christi lancea, et ego intravi, et ibi requiesco securus. Qui timet amet, quoniam perfecta

charitas foras mittit timorem. Nullum tam potens est et tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quam mors Redemptoris mei. Extendit brachia sua in cruce, et expandit manus suas in cruce paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Salvatoris mei et vivere volo, et mori cupio. Ibi securus decantabo : Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Salvator noster caput inclinavit in morte ut oscula daret dilectis suis. Toties Dominum osculamur, quoties in ejus amore compungimur.

PARS TERTIA.

MENTIS AD DEUM ELEVATIONES PIÆ ET DEVOTÆ.

ORATIONES S. AUGUSTINO ADSCRIPTÆ.

I

Aspiratio ad cognitionem et amorem Dei. Visionis Dei desiderium. Amoris Dei defectus causæ. Hominis a Deo discrepantiæ.

Agnoscam te, Domine cognitor meus; cognoscam te, virtus animæ meæ. Ostende te mihi, consolator meus; videam te, lumen oculorum meorum. Veni, gaudium spiritus mei; videam te, lætitia cordis mei; diligam te, vita animæ meæ. Appare mihi; delectatio mea magna, solatium meum dulce, Domine Deus meus, vita et gloria tota animæ meæ. Inveniam te, desiderium cordis mei; teneam te, amor animæ meæ. Amplectar te, sponse cœlestis, exsultatio mea summa intus et extra. Possideam te, beatitudo sempiterna; possideam te in medio cordis mei, vita beata, dulcedo summa animæ meæ. Diligam te, Domine fortitudo mea; Dominus firmamentum meum et refugium meum, et liberator meus. Amem te, Deus meus, adjutor meus, turris fortitudinis mihi, et spes mea dulcis in omni tribulatione mea. Amplectar te, bonum, sine quo nihil bonum : fruar te, optime, sine quo nihil optimum.

Aperi penetralia aurium mearum. Verbum penetrabilius omni gladio ancipiti, ut audiam vocem tuam. Intona, Domine, desuper voce grandi et forti. Tonet mare et plenitudo ejus, commoveatur terra et omnia quæ in eis sunt. Illustra oculos meos, lux incomprehensibilis, fulgura coruscationem, et dissipa eos ut non videant vanitatem. Fulmina multiplica, et conturba eos, ut appareant fontes aquarum et revelentur fundamenta orbis terrarum. Tribue visum, lux invisibilis, qui te videat. Crea novum olfactum, odor vitæ, qui post te currat in odorem unguentorum tuorum. Gustum sana, qui sapiat, et cognoscat, et discernat quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti his qui pleni sunt charitatis tuæ. Da cor quod te cogitet, animum qui te diligat, mentem quæ te recolat, intellectum qui te intelligat, rationem quæ tibi semper, summum dulce, fortiter adhæreat; te sapienter, amor sapiens, diligat.

O vita, cui omnia vivunt; vita, quæ das mihi vitam; vita, quæ es mea vita; vita, per quam vivo, sine qua morior; vita, per quam resuscitor, sine qua pereo; vita per quam gaudeo, sine qua tribulor: vita vitalis, dulcis et amabilis, semperque memorialis. Ubi, quæso es? Ubi te inveniam, ut in me deficiam et in te subsistam? Prope esto mihi in animo, prope in corde, prope in ore, prope in auxilio: quia amore langueo, quia sine te morior, quia te recolens suscitor. Odor tuus me recreat, memoria tua me sanat: sed satiabor cum apparuerit gloria tua, vita animæ mea. Concupiscit et

deficit anima mea de memoria tua, quando veniam et apparebo tibi, lætitia mea? Quare faciem tuam avertis, gaudium per quod gaudeo? Ubi es absconditus, pulcher quem desidero? Odorem tuum haurio; vivo et gaudeo: te autem non video. Vocem tuam audio, et revivisco. Sed cur faciem tuam abscondis? Forte dicis, non videbit me homo, et vivet. Eia, Domine, moriar ut te videam; videam, ut hic moriar. Nolo vivere, volo mori; dissolvi cupio, et esse cum Christo. Mori desidero, ut videam Christum; vivere renuo, ut vivam cum Christo. O Domine Jesu, accipe spiritum meum. Vita mea, suscipe animam meam. Gaudium meum, attrahe cor meum; dulcis cibus meus, comedam te. Caput meum, dirige me: lumen oculorum meorum, illumina me: melos meum, tempera me: odor meus, vivifica me: verbum Dei, recrea me. Laus mea, lætifica animam servi tui. Intra in eam, verum gaudium, ut in te gaudeat: intra in eam, dulcedo summa, ut dulcia sapiat: lumen æternum, illustra super eam, ut te intelligat, cognoscat et diligat.

Ob hoc enim non te diligit, Domine, si non diligit, quia non te cognoscit: et ideo non cognoscit, quia non intelligit: et idcirco non intelligit, quia lumen tuum non comprehendit: et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. O lux mentis, o lucens veritas, o vera claritas, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum (venientem quidem, sed non diligentem; quia qui diligit mundum, inimicus Dei constituitur), expelle tenebras desuper faciem abyssi mentis

meæ; ut videat te intelligendo, ut cognoscat te comprehendendo, ut diligat te cognoscendo. Quisquis enim cognoscit te, diligit te; obliviscitur se, amat te plusquam se; relinquit se, et venit ad te, ut gaudeat de te. Hinc est ergo, Domine, quod non tantum diligo quantum debeo, quia non plene cognosco te. Sed quia parum cognosco, parum diligo; et quia parum diligo, parum in te gaudeo; sed a te vero gaudio interiori per exteriora recedens, dum te solo careo, adulterinas amicitias in his exterioribus quæro. Et sic miser ego cor meum, quod tibi soli debui toto amore totoque affectu impendere, vanis dedi; et vanus effectus sum, dum vanitatem dilexi.

II

Dei et hominum variæ habitudines.

Hinc etiam est, Domine, quod in te non gaudeo, et tibi non adhæreo : quia ego in exterioribus, tu in interioribus; ego in carnalibus, tu in spiritualibus; ego in transitoriis animo diffundor, cogitatione versor, locutione implicor, et tu, Domine, in æternis habitas æternitatem. Tu in cœlo, ego in terra; tu diligis alta, ego infima; tu cœlestia, ego terrestria. Et quando poterunt hæc contraria convenire? Miser ego! quando poterit obliquitas mea tuæ rectitudini adæquari? Tu, Domine, diligis solitudinem, ego multitudinem; tu silentium, ego clamorem; tu veritatem, ego vanitatem; tu munditiam, ego immunditiam sequor. Quid plura, Domine? Tu vere bonus, ego

malus; tu pius, ego impius; tu sanctus, ego miser; tu justus, ego injustus; tu lux, ego cæcus; tu vita, ego mortuus; tu medicina, ego æger; tu gaudium, ego tristitia; tu summa veritas, ego universa vanitas, ut omnis homo vivens.

Heu! quid igitur, o Creator, dicam? Audi, o Creator. Creatura tua sum, jam perii; creatura tua sum, jam morior; factura tua sum, jam ad nihilum redigor. Plasma tuum sum: manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me; manus, inquam, illæ quæ clavis affixæ sunt pro me; opus manuum tuarum, Domine, ne despicias; vulnera manuum tuarum precor ut aspicias. Ecce in manibus tuis descripsisti me; lege ipsam scripturam, et salva me. En ad te suspiro creatura tua; Creator es, recrea me. En ad te clamo factura tua; vita es, refice me. En ad te respicio tuum plasma; plasmator es, restaura me. Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, ut possit alloqui Deum factorem suum? Parce mihi colloquenti tibi, ignosce servo qui præsumit loqui Domino. Legem non habet necessitas. Dolor me compellit dicere, et calamitas quam patior, cogit me exclamare. Ægrotus sum, ad medicum clamo; cæcus sum, ad lucem propero; mortuus sum, ad vitam suspiro. Tu es medicus, tu lux, tu vita. Jesu Nazarene, miserere mei; Fili David, miserere mei; fons misericordiæ, audi qui ad te clamat infirmum. Lux quæ transis, exspecta cæcum: præbe manum, ut ad te veniat, et in lumine tuo videat. Vita vivens, revoca mortuum.

Quid sum ego qui loquor tecum? Væ mihi, Domine, parce mihi : ego cadaver putridum, esca vermium, vas fetidum, cibus ignium. Quid sum ego qui loquor tecum? Væ mihi, Domine, parce mihi : ego infelix homo; homo, inquam, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis; homo, inquam, vanitati similis factus, comparatus jumentis insipientibus, et jam similis illis factus. Quid iterum ego? Abyssus tenebrosa, terra miseriæ, filius iræ, vas aptum ad contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in miseria, moriturus in angustia. Heu miser quid sum? Heu quid futurus sum? Et quid sum? Vas sterquilinii, concha putredinis, plenus fetore et horrore : cæcus, pauper, nudus, plurimis necessitatibus subditus, ignorans introitum et exitum meum. Miser et mortalis, cujus dies sicut umbra prætereunt, cujus vita sicut umbra evanescit; sicut flos in arbore crescit, et statim marcescit; nunc floret, et statim aret. Vita, inquam, mea, vita fragilis, vita caduca, vita quæ quanto magis crescit, tanto magis decrescit; quanto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit : vita fallax et umbratica, plena laqueis mortis. Nunc gaudeo, statim contristor; nunc vigeo, jam infirmor; nunc vivo, statim morior; nunc felix appareo, et semper miser; nunc rideo, et statim fleo; sicque omnia mutabilitati subjacent, ut mihi vix una hora in uno statu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc sitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat. Subsequitur his importuna mors, quæ mille modis quotidie

miseros homines rapit. Hunc namque febribus, illum doloribus opprimit; hunc consumit fames, illum sitis exstinguit : illum vero suffocat aquis, hunc interimit laqueo, illum perimit flammis, alium dentibus bestiarum ferocium vorat, hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit, alterum tantum repentino terrore miseram vitam finire compellit. Et nunc super hæc omnia magna miseria, quia cum nihil sit certius morte, ignorat tamen homo finem suum; et cum stare putat, tollitur et perit spes ejus. Nescit enim homo quando vel ubi vel quomodo morietur : et tamen certus est quod eum mori oportet. Ecce, Domine, quam magna miseria hominis in qua sum, nec timeo; quam grandis calamitas quam patior, nec doleo, et ad te non clamo. Clamabo, Domine, antequam transeam : si forte non transeam, sed in te maneam. Dicam ergo, dicam miseriam meam : confitear, nec erubescam ante te, vilitatem meam. Adjuva me, fortitudo mea per quam sublevor; succurre, virtus per quam sustentor; veni, lux per quam video; appare, gloria per quam gaudeo. Appare, inquam, et vivam.

III

Hominis miseria et fragilitas.

O lux quam videbat Tobias, quando oculis clausis docebat filium viam vitæ; lux quam videbat Isaac interius, quando caligantibus oculis exterius filio futura narrabat; lux, inquam, invisibilis, cui omnis abyssus humani

cordis est visibilis ; lux quam Jacob videbat, quando, sicut tu intus docebas, filiis exterius ventura prædicebat; ecce tenebræ sunt super faciem abyssi mentis meæ, tu es lumen : ecce caligo tenebrosa super aquas cordis mei, tu es veritas. O Verbum per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil; Verbum quod es ante omnia, ante quod nihil; Verbum creans omnia, sine quo nihil omnia; Verbum regens omnia, sine quo non sunt omnia; Verbum quod dixisti in principio : Fiat lux, et facta est lux, dic etiam nunc, fiat lux, et facta sit lux : et videam lumen, et cognoscam quidquid non est lumen; quia sine te mihi tenebræ lumen, et lumen tenebræ ponuntur. Et sic sine tua luce non est veritas, adest error; adest vanitas, non est veritas; non est discretio, adest confusio; adest ignorantia, non est scientia; adest cæcitas, non est visio; adest invium, non est via; adest mors, non est vita.

IV

Luminis Dei necessitas et imploratio.

Ecce, Domine, quia non est lux, est mors : imo non est mors, quia nihil est mors; nam per ipsam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et juste quidem hoc, Domine; nam digna factis recipimus, dum ad nihilum devenimus sicut aqua decurrens : quia sine te factum est nihil, et nos faciendo nihil, facti sumus nihil : quia sine te sumus, per quem facta sunt omnia et sine quo factum est nihil. O Domine

Verbum, o Deus Verbum, per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil; væ mihi misero toties obcæcato, quia tu lux, et ego sine te; toties vulnerato, quia tu salus, et ego sine te; toties infatuato, quia tu es veritas, et ego sine te; toties oberrato, quia tu via, et ego sine te; toties mortuo, quia tu vita, et ego sine te; toties annihilato, quia tu Verbum per quod facta sunt omnia, et ego sine te, sine quo factum est nihil. O Domine Verbum, o Deus Verbum, qui es lux per quam facta est lux; qui es via, veritas et vita; in quo non sunt tenebræ, error, vanitas, neque mors; lux sine qua tenebræ, via sine qua error, veritas sine qua vanitas, vita sine qua mors; dic Verbum, dic, Domine, Fiat lux, ut videam lucem, et vitem tenebras; videam viam, et vitem invium; videam veritatem, et vitem vanitatem; videam vitam, et vitem mortem. Illuminare, Domine lux mea, illuminatio mea, et salus mea, quem timebo, Dominus meus quem laudabo, Deus meus quem honorificabo, Pater meus quem amabo, sponsus meus cui me servabo. Illuminare, inquam, illuminare, lux, huic cæco tuo qui in tenebris et in umbra mortis sedet, et dirige pedes ejus in viam pacis, per quam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei in voce exsultationis et confessionis. Vere confessio est via per quam ingrediar ad te, via per quam egrediar ab invio, et redeam ad te viam, quia tu es vera via vitæ.

V

Miseria nostra a peccato. Quod peccatum nihil sit. Quod peccans nihil fiat.

Confitear ergo, confitear tibi, Domine Pater, Rex cœli et terræ, miseriam meam, ut me venire liceat ad misericordiam tuam. Miser quippe factus sum, et ad nihil redactus sum, et nescivi; quia tu es veritas, et ego non eram tecum. Vulneraverunt me iniquitates meæ, et non dolui; quia tu es vita, et ego non eram tecum. Ad nihilum deduxerunt me; quia tu es Verbum, et ego non eram tecum, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil : et ideo sine te factus sum nihil, quia est nihil quod ad nihilum ducit. Omnia per Verbum facta sunt, quæcumque facta sunt. Et qualia facta sunt ? Vidit Deus cuncta quæ fecerat et erant valde bona. Omnia quæcumque sunt, per Verbum facta sunt : et quæcumque per Verbum facta sunt, valde bona sunt. Quare bona sunt ? Quia per Verbum facta sunt. Et sine ipso factum est nihil; quia nihil bonum sine summo bono, sed malum est ubi non est bonum, quod utique nihil est; quia nihil aliud est malum, quam privatio boni; sicut nihil aliud est cæcitas, quam privatio luminis. Malum igitur nihil est; quia utique sine verbo factum est, quod privat illo bono per quod facta sunt omnia bona, scilicet Verbo per quod facta sunt omnia quæcumque sunt. At quæ non sunt, per ipsum facta non

sunt, et ideo nihil sunt. Et ideo mala sunt, quæ facta non sunt; quia omnia quæcumque sunt, per Verbum facta sunt, et omnia per Verbum bona facta sunt. Cum igitur per Verbum omnia facta sunt, mala per ipsum non sunt · restat igitur, quod omnia quæcumque facta non sunt, bona non sunt; quia omnia quæ facta sunt, bona sunt. Et ideo mala non sunt, quia facta non sunt; et ideo nihil sunt, quia sine Verbo factum est nihil. Malum igitur nihil est; quia factum non est. Sed qualiter malum est, si factum non est? Quia malum privatio Verbi est, per quod bonum factum est. Esse ergo sine Verbo malum est; quod esse non est, quia sine ipso nihil est. Sed quid est separari a Verbo? Si hoc velis scire, audi quid sit Verbum. Verbum Dei dicit: «Ego sum via, veritas et vita (Joan. xiv, 6).» Separari ergo a Verbo, est esse sine via, sine veritate, sine vita; et ideo sine ipso nihil, et ideo malum; quia separari a bono, per quod facta sunt omnia bona valde. Separari autem a Verbo, per quod omnia facta sunt, nihil aliud est quam deficere, et a facto transire in defectum : quia sine ipso nihil. Quoties ergo a bono devias, a Verbo te separas, quia ipsum est bonum; et ideo nihil efficeris, quia sine Verbo es, sine quo factum est nihil.

Nunc, Domine, illuminasti me, ut viderem te: vidi te, et cognovi me, quia toties nihil factus sum, quoties a te separatus sum; quia bonum quod tu es, oblitus sum, et ideo malus effectus sum. Væ mihi misero! ut quid hoc non cognoscebam, quia te deserens nihil fiebam? Sed

quid hoc quæro? Si nihil eram, quomodo cognoscere volebam ! Scimus quia nihil nihil est; et quod nihil est, non est; et quod non est, bonum non est, quia nihil est. Si ergo nihil fui, cum sine te fui, quasi nihil fui, et velut idolum quod nihil est: quod quidem aures habet, et non audit; nares habet, et non odorat; oculos habet, et non videt; os habet, et non loquitur; manus habet, et non palpat; pedes habet, et non ambulat; et omnia lineamenta membrorum sine sensu eorum.

VI

Peccatoris miseria. Sine Verbo nihil est, nihil conservatur.

Cum igitur fui sine te, non fui; quia nihil fui. Et ideo cæcus eram, surdus et insensibilis; quia nec bonum discernebam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnerum meorum sentiebam, nec tenebras meas videbam; quia eram sine te vera luce, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Væ mihi! vulneraverunt me, et non dolui; traxerunt me, et non sensi: quia nihil eram, quia sine vita eram, quæ est Verbum per quod facta sunt omnia. Ideo, lux mea, inimici mei de me fecerunt quæcumque voluerunt, percusserunt, nudaverunt, polluerunt, corruperunt, vulneraverunt, et occiderunt me: quia recessi a te, et factus sum nihil sine te. Heu, Domine, vita mea qui fecisti me, lux mea qui direxisti me. Defensor vitæ meæ, miserere mei et resuscita me. Domine Deus

meus, spes mea, virtus mea, fortitudo mea, consolatio mea in die tribulationis meæ, respice inimicos meos, et eripe me : fugiant a facie tua qui oderunt te, et ego vivam in te per te. Ipsi enim, Domine, consideraverunt me, et videntes me sine te, despexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta virtutum quibus ornaveras me, fecerunt sibi viam per me, sub pedibus suis conculcaverunt me; fœcibus peccatorum polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt me desolatum et mœrore confectum. Ibam post eos cæcus et nudus, et illaqueatus funibus peccatorum. Trahebant me post se in circuitu de vitio in vitium, et de luto in lutum : et ibam absque fortitudine ante faciem subsequentis. Servus eram, servitutem amabam. Cæcus eram, cæcitatem desiderabam. Vinctus eram, vincula non horrebam. Amarum dulce, et dulce amarum credebam. Miser eram, non cognoscebam; et hoc quia sine te Verbo eram, sine quo factum est nihil; per quod omnia conservantur, sine quo omnia annihilantur. Sicut enim omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; sic per ipsum omnia conservantur quæcumque sunt, sive in cœlo, sive in terra, sive in mari, et in omnibus abyssis. Nec pars parti in lapide adhæret, nec in aliquo creatorum; nisi quia per Verbum conservantur, per quod omnia facta sunt. Adhæream ergo tibi, Verbum, ut conserves me; quia ubi a te recessi, perii in me : nisi quia tu qui feceras, refecisti me. Ego peccavi, tu me visitasti; ego cecidi, tu me erexisti; ego ignoravi, tu me docuisti; ego non vidi, tu me illuminasti.

VII

Amor Dei beneficiorum intuitu excitatur. Creationis beneficium. Homo quatenus angelis inferior.

Miser ego, Deus meus, quantum teneor diligere te, ostende mihi; quantum debeo laudare te, demonstra mihi; quantum debeo placere tibi, innotesce mihi. Intona, Domine, voce grandi et forti in interiorem aurem cordis mei: doce me et salva me, et collaudabo te; qui creasti me, cum nihil essem; qui illuminasti me, cum in tenebris essem; qui resuscitatisti me, cum mortuus essem; qui pavisti me a juventute mea omnibus bonis tuis. Hunc inutilem vermem, fœtentem peccatis, nutris omnibus optimis donis tuis. Aperi mihi, o clavis David, qui aperis, et nemo claudit illi cui tu aperis; claudis, et nemo aperit illi cui tu claudis: aperi mihi ostium luminis tui, ut ingrediar, et videam, et cognoscam, et confitear tibi in toto corde meo, quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Domine Deus meus, quam admirabile, quam laudabile est nomen tuum in universa terra! Et quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? Domine spes sanctorum, et turris fortitudinis eorum; vita animæ meæ, per quam vivo, sine qua morior; lumen oculorum meorum, per quod video, sine quo orbor; gaudium cordis mei, et lætitia spiritus mei, diligam te toto corde meo, tota anima mea, totis medullis et visceribus meis, quia tu prior

dilexisti me. Et unde hoc mihi, o Creator cœli et terræ et abyssi, qui bonorum meorum non indiges; unde hoc mihi, quia dilexisti me? O sapientia quæ aperis os mutorum, o Verbum per quod facta sunt omnia, aperi os meum, da mihi vocem laudis, ut enarrem omnia beneficia tua, quæ mihi, Domine, a principio contulisti. Ecce enim sum, quia tu creasti me: et quod me creares, et in numero creaturarum tuarum numerares, ab æterno tu præordinasti. Antequam quidquam faceres a principio, antequam extenderes cœlos; necdum erant abyssi, adhuc terram non feceras, nec montes fundaveras, necdum fontes eruperant, antequam hæc omnia quæ fecisti, per Verbum faceres, me creaturam tuam fore, certissima veritatis tuæ providentia prævidisti, et esse me creaturam tuam voluisti. Et hoc unde mihi, Domine benignissime, Deus altissime, Pater misericordissime, Creator potentissime et semper mitissime? Quæ mea merita, quæ mea gratia, ut complaceret ante conspectum tuæ magnificæ majestatis creare me? Non eram, et creasti me; nihil fueram, et de nihilo me aliquid esse fecisti? Quale autem aliquid? Non stellam, non ignem, non avem vel piscem, non serpentem vel aliquid ex brutis animalibus, non lapidem vel lignum; non ex eorum genere, quæ tantum habent esse; vel ex eorum, quæ tantum esse possunt et crescere; non ex eorum genere, quæ tantum esse et crescere et sentire possunt: sed super omnia hæc voluisti me esse ex his quæ habent esse, quia sum; et ex his quæ habent esse et crescere, quia sum et cresco; et

ex his quæ habent esse, crescere et sentire, quia sum, cresco et sentio.

VIII

Quando æqualis. Quatenus creatura dignissima. Quale beneficium posse filium Dei fieri. Hæc nobis capacitas ex mera gratia.

Et paulo minus me parem Angelis, quia rationem te cognoscendi cum ipsis a te communem accepi. Sed paulo minus utique dixi; nam illi tuam felicem notitiam jam habent per speciem, ego vero per spem; illi facie ad faciem, ego per speculum in ænigmate; illi plene, ego autem ex parte. Sed cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, quando jam revelata facie tuam faciem videbimus. Quid jam prohibebit nos non esse minores paulo minus ab Angelis, quos tu, Domine, corona spei, quæ ornata est gloria, gloria et honore coronaveris; quos tu nimis quasi amicos tuos honorificaveris, imo per omnia pares et æquales Angelis feceris? Nempe et hoc veritas tua dicit: æquales enim sunt Angelis, et filii Dei sunt. Quidni filii Dei sunt, si pares erunt Angelis? Vere quidem erunt filii Dei, quia filius hominis factus est filius Dei. Hoc itaque consideranti mihi fiducia est dicere, non homo minor paulo minus est ab Angelis, non utique tantum æqualis Angelis; sed superior Angelis: quia homo Deus, et Deus homo, non angelus. Et dicam propter hoc hominem esse creaturam dignissimam, quia Verbum quod erat in principio Deus apud Deum; Verbum per quod Deus dixit, Fiat lux, et facta

est lux, angelica scilicet natura; Verbum per quod Deus creavit omnia in principio, idem Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus. Ecce gloria per quam glorior, quando sanum glorior. Ecce gaudium per quod gaudeo, quando sanum gaudeo, Domine Deus meus, vita et gloria tota animæ meæ.

Confiteor ergo, Domine Deus meus, cum me creasti rationis capacem, Angelis quodam modo parem creasti: quia perfici possum per Verbum tuum, ut veniam ad æqualitatem Angelorum, ut habeam adoptionem filiorum per unigenitum Verbum tuum, Domine, per Filium tuum dilectum, in quo tibi bene complacuit, per virum cohærentem et consubstantialem tibi et coæternum Jesum Christum, unicum Dominum et redemptorem nostrum, illuminatorem et consolatorem nostrum, advocatum nostrum apud te, et lumen oculorum nostrorum, qui est vita et Salvator noster, et spes unica nostra; qui nos dilexit magis quam se, per quem habemus fiduciam repositam et firmam spem apud te, et accessum veniendi ad te; quoniam dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus. Laudem tribuam nomini tuo, Domine, qui me ad imaginem et similitudinem tuam creando, tantæ gloriæ fecisti me fore susceptibilem, ut possem filius Dei fieri. Hoc utique non possunt arbores, non possunt lapides, non generaliter omnia quæ moventur, vel crescunt in aere, vel in mari vel in terra: quia non dedit eis potestatem Verbum tuum filios Dei fieri, quia rationem non habent; nam et hæc potestas in ra-

tione consistit, per quam cognoscimus Deum. Dedit autem hanc hominibus, quos creavit rationabiles ad imaginem et similitudinem suam. Et ego utique, Domine, per tuam gratiam, homo sum : et filius tuus esse possum per gratiam, quod illi non possunt.

Unde hoc mihi, Domine, veritas summa, veraque summitas, et principium omnium creaturarum; unde hoc mihi, Domine, ut possim filius tuus fieri, quod illi non possunt? Tu enim manens in æternum omnia creasti simul. Simul creasti homines et jumenta, lapides et virentia terræ. Non præcesserunt merita, nulla eorum antecessit gratia : quia omnia tua tantum bonitate creasti, et pares omnes creaturæ fuere in meritis, quia omnium nulla fuere merita. Et unde ergo magis tua bonitas in hac tua creatura, quam fecisti rationalem, quam in omnibus aliis quæ sunt sine ratione, apparuit? Quare non ego sicut omnes illæ, aut cur non omnes illæ sicut ego, aut ego solus sicut et illæ? Quæ mea merita, quæ mea gratia, ut me filium Dei posse fieri susceptibilem creares, quod illis omnibus denegares? Absit, Domine, ut hoc sentiam. Tua tantum gratia, tua tantum bonitas hoc fecit, ut essem particeps dulcedinis ejus. Illa igitur gratia qua me de nihilo creasti, illam, quæso, Domine, da mihi gratiam, ut tibi de hoc referam gratias.

IX

De omnipotentia Dei. Cur nos non lapis, arbor, etc., facti.

Omnipotens manus tua semper una et eadem, creavit in cœlo Angelos, in terra vermiculos : non superior in illis, non inferior in istis. Sicut enim nulla manus angelum, ita nulla posset creare vermiculum : sicut nulla cœlum, ita nulla posset creare minimum arboris folium : sicut nulla corpus, ita nulla unum capillum album posset facere aut nigrum; sed omnipotens manus tua, cui omnia pari modo sunt possibilia. Nec enim possibilius est ei creare vermiculum, quam angelum; nec impossibilius extendere cœlum, quam folium; nec levius formare capillum, quam corpus; nec difficilius fundare terram super aquas, quam aquas fundare super terram : sed omnia quæcumque voluit fecit, in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, et me inter omnia, sicut voluit, potuit et scivit. Potuit quidem manus tua, Domine, me lapidem, vel avem, vel serpentem vel belluam aliquam creare, et scivit : sed noluit propter suam bonitatem. Quare ego non lapis, vel arbor, vel aliqua bellua? Quia sic ordinavit bonitas tua. Et ut hoc ordinaret, non præcesserunt merita mea.

X

Homo insufficiens ad laudandum Deum. Quis Deum laudet. Laus hominis vera.

Unde hoc mihi, Domine? Unde mihi laudes ad lau-

dandum te? Sicut fecisti me sine me, sicut placuit ante te; ita laus tibi est sine me, sicut complacet ante te. Laus tua, Domine, tu ipse es. Laudent te opera tua secundum multitudinem magnitudinis tuæ. Laus tua, Domine, incomprehensibilis est; corde non comprehenditur, ore non mensuratur, aure non percipitur: quia ista transeunt, et laus tua manet in æternum. Cogitatio incipit, cogitatio finitur; vox sonat et transit; auris audit et auditus desinit; laus vero tua in æternum stat. Quis ergo est qui te laudet? Quis homo annuntiet laudem tuam? Laus tua perpetua est, transitoria non est. Hic te laudat, qui te ipsum laudem tuam credit. Hic te laudat, qui seipsum noscit in tuam laudem non posse pertingere. Laus perpetua, quæ nunquam transis, in te est laus nostra, in te laudabitur anima mea. Non nos laudamus te: sed tu te, et per te, et in te; et nobis etiam laus est in te. Tunc veram habemus laudem, quando a te habemus laudem, quando lux approbat lucem; quia tu vera laus veram tribuis laudem. Quoties ab alio quam a te quærimus laudem, toties tuam amittimus laudem; quia illa transitoria est, sed tua æterna. Si transitoriam quærimus, æternam amittimus. Si æternam volumus, transitoriam non amemus. Laus eterna, Domine Deus meus, a quo omnis laus, sine quo nulla laus est, non valeo laudare te sine te: habeam te, laudabo te. Quis enim ego sum, Domine, per me qui laudem te? Pulvis et cinis ego sum, canis mortuus et fetens ego sum, vermis et putredo ego sum. Quis ego sum ut laudem te, Domine Deus, for-

tissime spirituum universæ carnis, qui habitas æternitatem? Numquid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam? Tu lux, ego tenebræ; tu vita, ego mors. Numquid vanitas veritatem laudabit? Tu es veritas, ego homo vanitati similis factus. Quid ergo, Domine, laudabit te? Numquid miseria mea laudabit te? Numquid fetor laudabit odorem? Numquid mortalitas hominis, quæ hodie est et cras tollitur, laudabit te? Numquid laudabit te putredo, et filius hominis vermis? Numquid laudabit te, Domine, qui in peccatis genitus est et natus? Laudet te, Domine Deus meus, omnipotens potentia tua, incircumscriptibilis sapientia tua, ineffabilis bonitas tua. Laudet te supereminens clementia tua, superabundans misericordia tua, sempiterna quoque virtus et divinitas tua. Laudet te omnipotentissima fortitudo tua, summa quoque benignitas et charitas tua, propter quam creasti nos, Domine Deus vita animæ meæ.

XI

Spes salutis nititur bonitate quæ creavit.

Ego autem creatura tua, sub umbra alarum tuarum sperabo in bonitate tua, qua creasti me. Adjuva creaturam tuam, quam creavit benignitas tua: non pereat in malitia mea, quod operata est bonitas tua; non pereat in miseria mea, quod fecit summa clementia tua. Quæ est enim utilitas in creatione tua, si descendam in corruptionem meam? Numquid enim vane constituisti omnes

filios hominum? Creasti me, Domine, rege quod creasti. Opera manuum tuarum ne despicias, Deus. Me fecisti de nihilo; si me non regis, Domine, iterum revertar ad nihilum. Sicut enim, Domine, non eram, et de nihilo aliquid me fecisti; sic si me non regis, adhuc in nihilum redigar in me. Adjuva me, Domine vita mea, ne peream in malitia mea. Si non creares me, Domine, non essem: quia creasti me, jam sum; si non regis, jam non sum. Non mea merita, non mea gratia, te coegerunt ut creares me, sed benignissima bonitas tua et clementia. Illa charitas, Domine Deus meus, quæ te ad creationem coegit, ipsa, quæso, et modo cogat te ad regendum. Quid enim prodest quod compulit charitas tua, si peream in miseria mea, et non me regat dextera tua? Hæc te cogat, Domine Deus meus, clementia ad salvandum, quod creatum est, quæ te compulit creare, quando creatum non est. Ipsa te vincat charitas ad salvandum quæ te vicit ad creandum; quia nec nunc minor est, quia ipsa charitas tu ipse es, qui semper idem es. Non est abbreviata manus tua, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris tua, ut non audiat; sed peccata mea diviserunt inter me et te, inter tenebras et lucem, inter imaginem mortis et vitam, inter vanitatem et veritatem, inter lunaticam hanc vitam meam et sempiternam tuam.

XII

Contra concupiscentiarum laqueos oratio. Hos laqueos quis effugiat.

Hæ sunt umbræ, quibus operior in hac abysso caliginosa carceris hujus, in quo prostratus jaceo donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, fiatque vox in firmamento virtutis tuæ, vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia : dicatque, fiat lux, et effugentur tenebræ, et appareat arida, germinetque terra herbam virentem et facientem semen et fructum bonum justitiæ regni tui. Domine Pater et Deus, vita per quam omnia vivunt, et sine qua omnia mortua computantur, ne derelinquas me in cogitatu maligno, et extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Aufer a me concupiscentias, et animo irreverenti et infrunito ne tradas me : sed posside cor meum, ut te cogitet semper. Illumina oculos meos, ut te videant, et non extollantur ante te, gloria sempiterna : sed humiliter sentiant, non in mirabilibus super se : et quæ a dextris sunt videant, non quæ a sinistris abs te. Et palpebræ meæ præcedant gressus meos : nam et palpebræ tuæ interrogant filios hominum. Allide concupiscentiam meam dulcedine tua, quam abscondisti timentibus te, ut concupiscam concupiscere te concupiscentiis sempiternis : ne vanis illectus et deceptus interior gustus ponat amarum dulce, et dulce amarum, tenebras lumen, et lucem tenebras in medio tot decipularum passim ab inimico super faciem viæ hujus ad capiendas animas

paratarum, quibus plenus est totus mundus, ut is qui vidit, sub silentio non transivit, inquiens : « Quidquid enim est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ (I JOAN. II, 16). » Ecce, Domine Deus meus, mundus totus plenus est concupiscentiarum laqueis, quos paraverunt pedibus meis. Et quis effugiet hos laqueos? Profecto a quo tu abstuleris extollentiam oculorum suorum, ut non eum capiat concupiscentia oculorum; et a quo tu abstuleris carnis concupiscentiam, ne eum capiat carnis concupiscentia; et a quo tu abstuleris animum irreverentem et infrunitum, ne eum callide decipiat superbia vitæ. O quam felix cui hæc facies! Quippe pertransibit immunis. Nunc deprecor te per te, adjuva me; ne corruam in conspectu adversariorum meorum captus laqueis eorum, quos paraverunt pedibus meis, ut incurvent animam meam. Sed erue me, virtus salutis meæ : ne sibi risum exhibeant de me inimici tui qui oderunt te. Exsurge, Domine Deus meus, fortis meus; et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua : sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Et ego abscondar in abscondito faciei tuæ, et gaudeam cum filiis tuis, satiatus omnibus bonis tuis. Et tu, Domine Deus, Pater orphanorum, et tu, Mater pupillorum tuorum, audi ejulatum filiorum tuorum : et extende alas tuas, ut fugiamus sub eis a facie inimici, turris fortitudinis Israel, qui non dormitas neque dormis custodiens Israel, quia non dormitat hostis qui impugnat Israel.

XIII

De mirabili luce Dei. Quod in solo Deo bene sit homini. De variis Dei beneficiis.

Lux quam non videt alia lux, lumen quod non videt aliud lumen; lux quæ obtenebras omnem lucem, et lumen quod excæcas omne extraneum lumen; lux a qua omnis lux, lumen a quo omne lumen; lumen ad quod omne lumen est tenebræ, ad quod omnis lux obscuritas; lux cui omnes tenebræ lumen, cui omnis obscuritas lux; lux suprema quam cæcitas non obnubilat, quam caligo non hebetat, quam tenebræ non obfuscant, quam nulla obstantia claudunt, quam nunquam separat aliqua umbra : lux quæ illuminas omnia tota simul et semel et semper, absorbe me in claritatis tuæ abyssum, ut videam undique te in te, et me in te, et cuncta sub te. Ne derelinquas me; ne accrescant umbræ ignorantiæ meæ, et multiplicentur delicta mea. Sine te enim omnia mihi sunt tenebræ, omnia mala; quia nihil bonum sine te vero, solo et summo bono. Hoc confiteor, hoc scio, Domine Deus meus, quia ubicumque sum sine te, male est mihi præter te, non solum extra me, sed etiam in me; quia omnis copia quæ non est Deus meus, mihi est egestas. Satiabor tantum cum apparuerit gloria tua. Etenim, Domine vita mea beata, ut miseriam meam confitear tibi, ex quo ab unitate tua cecidi, summum et unum bonum; temporalium rerum multiformitas lapsum me per carnales sensus disverberavit, et ab uno te

in multa divisit : et facta est mihi abundantia laboriosa, et egestas copiosa, dum aliud et aliud sequebar, et a nullo implebar; dum in te non inveniebar, incommutabile et singulare et indivisum unum bonum, quod secutus non erro, quod consecutus non doleo, quod possidens satiatur totum desiderium meum. Heu miseria magna ! Heu me ! Domine, misera anima mea te refugit, cum quo semper abundat et gaudet; et sequitur mundum, cum quo semper eget et dolet. Mundus clamat, deficio; et tu clamas, reficio : et misera anima mea magis sequitur deficientem, quam reficientem. Plane infirmitas mea hæc est. Medice spirituum, sana illam, ut confitear tibi, salus animæ meæ, toto corde meo super omnibus beneficiis tuis, quibus pascis me a juventute mea et usque in senectam et senium. Te deprecor per teipsum, ne derelinquas me.

Fecisti me cum non essem, redemisti me cum periissem. Perieram, mortuus fueram ; ad mortuum descendisti, mortalitatem suscepisti, ad servum rex descendisti. Ut servum redimeres, teipsum tradidisti; ut ego viverem, tu mortem suscepisti, mortem vicisti ; me restaurasti, cum te humiliasti. Perieram, abieram, in peccatis venundatus eram ; venisti pro me, ut redimeres me : et tantum me dilexisti, ut sanguinem tuum in pretium dares pro me. Dilexisti me plus quam te, quia mori voluisti pro me. Tali pacto, tam caro pretio reduxisti me de exsilio, redemisti me de servitio, retraxisti me de supplicio. Vocasti me nomine tuo, signasti me sanguine tuo, ut me-

moriale tuum semper esset apud me, et nunquam recederet a corde meo, qui pro me nunquam recessisti a cruce. Unxisti me oleo tuo quo tu unctus fuisti ut a te Christo dicerer Christianus. Et in manibus tuis descripsisti me; ut semper sit memoria mea apud te, si tamen memoria tua et misericordia semper prævenerunt me: de multis namque periculis sæpe liberasti me, liberator meus; quando erravi, ad viam reduxisti me; quando ignoravi, docuisti me; quando peccavi, corripuisti me; quando fui tristis, consolatus es me; quando desperavi, confortasti me; quando cecidi, erexisti me; quando steti, tenuisti me: quando ivi, duxisti me; quando veni, suscepisti me; quando dormivi, custodisti me; quando clamavi, exaudisti me.

XIV

Quod Deus jugiter inspiciat opera et intentiones hominum.

Hæc et multa alia beneficia fecisti mihi, Domine Deus meus, vita animæ meæ. De quibus dulce esset mihi semper loqui, semper cogitare, semperque tibi gratias agere: ut possim te pro omnibus bonis tuis laudare, et amare te toto corde meo, et tota anima mea, et tota mente mea, et tota fortitudine mea, simul et ex omnibus medullis intimis cordis mei, et omnium compagum mearum, beata dulcedo, Domine Deus meus, omnium qui delectantur in te. Sed imperfectum meum viderunt oculi tui: oculi, inquam, tui multo lucidiores super solem, cir-

cumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, qui in omni loco semper contemplantur bonos et malos. Cum enim cunctis præsideas singula implens, totus semper ubique præsens, cunctorumque ubique curam agens quæ creasti, quia nihil odisti eorum quæ fecisti; sic gressus meos semitasque consideras, et die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ cœli et terræ oblitus, tantum me solum consideres, et nihil sit tibi curæ de aliis. Neque enim crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantum unum aspicias; neque minuitur, si innumera videas et diversa: quia sicut unum totum simul perfecte consideras, sic singula quælibet, licet diversa, perfecte simul totaque totus conspicit visus tuus. Sed omnia sicut unum, et sicut unum omnia, sic singula totus simul sine divisione, vel commutatione, vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore sine tempore, totum me simul semperque consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, et mihi soli intendere velis. Semper quippe te ubique præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum inveneris. Quocumque iero, tu me, Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram. Ubicumque fuero non recedis, quoniam ubique es; ut quocumque iero inveniam te, per quem possim esse ne peream sine te, cum sine te esse non possim. Fateor equidem, quia quidquid facio, quæcumque facio, ante

te facio : et illud quidquid est quod facio, ante te facio : et illud quidquid est quod facio, melius tu vides quam ego qui facto. Quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens assistis : utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, et operationum mearum. Domine, ante te est omne desiderium meum, ante te cogitatio mea. Tu vides unde veniat spiritus, ubi sit, et quo vadat; quia tu es spiritus omnium spirituum ponderator. Et utrum radix sit dulcis an amara, de qua foris pulchra folia emittuntur, tu judex internus melius ipse me nosti, et medullas etiam radicum subtilius perscrutaris : et non solum intentionem, sed etiam radicis ejus medullam intimam discretissima tuæ lucis veritate colligis, intueris et signas; ut reddas unicuique non tantummodo secundum opera vel intentionem, sedetiam secundum ipsam interiorem absconditam medullam radicis, de qua procedit intentio operantis. Ad quid tendo cum operor, quidquid cogito, et in quocumque delector, tu vides, aures tuæ audiunt, oculi tui considerant, signas attente, notas et scribis in libro tuo, sive bonum fuerit sive malum : ut reddas postea pro bono præmia, et pro malo supplicia, quando aperientur libri et judicabimur secundum hæc que fuerunt scripta in libris tuis. Hoc est forte quod jam dixisti nobis « considerabo novissima eorum; » et quod de te, Domine, dicitur, « universorum finem ipse considerat : » quoniam tu quidem in omnibus quæ agimus, finem intentionis, magis quam actum operationis attendis. Cumque hæc dili-

genter considero, Domine Deus meus, terribilis et fortis, timore pariter et ingenti rubore confundor: quoniam magna nobis est indita necessitas juste recteque vivendi, cui cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.

XV

Quod homo per se nihil possit. Quod non habeat unde glorietur. Qui gratiæ divitias promereatur. Quid homo per se. Gratiæ est quod in peccata non labamur.

Fortissime, magnipotens, Deus spirituum universæ carnis, cujus oculi super omnes vias filiorum Adam, a die nativitatis eorum usque ad diem exitus eorum, ut reddas unicuique secundum opera sua bona vel mala; ostende mihi, ut confitear tibi, paupertatem meam, quoniam dixi quod dives essem, et nullius egerem; et nesciebam quia pauper eram, cæcus, nudus, miser et miserabilis. Credebam me fore aliquid, cum nihil essem. Dixi, sapiens efficiar; et stultus factus sum. Cogitabam esse continens; sed deceptus sum. Et video nunc quia donum tuum est, sine quo nihil possumus facere; quia nisi tu, Domine, custodieris civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Sic docuisti me, ut cognoscerem me: quia dereliquisti me, et probasti me; non propter te ut cognosceres me, sed propter me ut cognoscerem me. Num, ut dixi, Domine, credebam me aliquid fore ex me, existimabam me sufficere per me, nec percipiebam quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongasti a

me, et cecidi statim in me : et vidi et cognovi quoniam tu regebas me; et quod cecidi, fuit ex me, et quod surrexi, fuit ex te. Aperuisti mihi oculos, lux, et excitasti et illuminasti me : et vidi quoniam tentatio est hominis vita super terram, et quod gloriari non valeat ante te omnis caro, nec justificetur omnis vivens; quoniam si quid boni est parvum vel magnum, donum tuum est, et nostrum non est nisi malum. Unde igitur gloriabitur omnis caro? Numquid de malo? Hæc non est gloria, sed miseria. Sed numquid gloriabitur de bono? Numquid de alieno? Tuum, Domine, est bonum, tua est gloria. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, et non tibi quærit; hic fur est et latro, et similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. Qui laudari vult de tuo dono, et non quærit in illo gloriam tuam, sed suam : hic licet propter tuum donum laudetur ab hominibus, a te tamen vituperatur; quia de dono tuo non tuam, sed suam gloriam quæsivit. Qui autem ab hominibus laudatur vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec liberabitur condemnante te. At tu, Domine, formator meus ex utero matris meæ, non me sinas cadere in illam exprobrationem, ut exprobretur mihi furari voluisse gloriam tuam. Tibi sit gloria, cujus est omne bonum; nobis autem confusio faciei et miseria, quorum est omne malum, nisi tu volueris misereri. Misereris quippe, Domine, misereris omnium quæ fecisti, et nihil odisti eorum quæ fecisti, et das nobis de bonis tuis, et ditas nos inopes de optimis donis tuis : quoniam diligis pau-

peres, et divites facis eos divitiis tuis. Ecce nunc, Domine, pauperes nos filii tui sumus, et pusillus grex tuus: aperi nobis januas tuas, et edent pauperes, et satiabuntur, et laudabunt te qui requirunt te. Scio etiam Domine, et confiteor docente te, quoniam soli illi qui cognoscunt se pauperes, et confitentur tibi paupertatem suam, ditabuntur a te: quoniam qui se divites existimant cum sint pauperes, a tuis divitiis invenientur exclusi. Et ego igitur confiteor tibi, Domine Deus meus, paupertatem meam: et sit tibi tua gloria tota, quoniam tuum est omne bonum. Per me enim, Domine, fateor, ut docuisti me, nihil aliud sum quam universa vanitas et umbra mortis, et abyssus quædam tenebrosa, et terra inanis et vacua, quæ sine tua benedictione nihil germinat, fructum quoque non facit, nisi confusionem, peccatum et mortem. Si quid boni unquam habui, a te recepi, quidquid boni habeo, tuum habeo. Si quando steti, per te steti, sed quando cecidi, per me cecidi. Semper in luto jacuissem, nisi tu me erexisses: semper cæcus fuissem, nisi tu me illuminasses. Quando cecidi, nunquam surrexissem, nisi tu mihi manum porrexisses. Postquam me erexisti, semper cecidissem, nisi tu me sustinuisses; sæpius periissem, nisi me gubernasses.

Sic semper, Domine, sic semper gratia et misericordia tua prævenit me, liberans me ab omnibus malis, salvans a præteritis, suscitans a præsentibus, et muniens a futuris, præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones et causas; quia nisi tu hoc mihi fecisses,

ego omnia peccata mundi fecissem : quoniam scio, Domine, quod nullum peccatum est quod unquam fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Creator a quo factus est homo. Sed quod non facerem, tu fecisti; quod abstinerem, tu jussisti; et quod tibi crederem, tu gratiam infudisti. Tu namque, Domine, regebas me tibi, servabas me tibi et mihi, ut adulterium et omne aliud peccatum non committerem.

XVI

De diabolo et tentationibus ejus. Diaboli ubique laquei.

Tentator defuit; et ut deesset, tu fecisti. Locus et tempus defuit; et ut hæc deessent, tu fecisti. Adfuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus; sed ut non consentirem, tu me tenuisti. Venit tentator tenebrosus, ut est; et ut eum despicerem, tu me confortasti. Venit tentator fortis armatus; et ut me non vinceret, eum refrenasti, et me roborasti. Venit tentator transfiguratus in Angelum lucis; et ut me non deciperet, tu eum increpasti, et ut eum cognoscerem, tu me illuminasti. Ipse enim est, Domine, draco ille magnus, rufus, serpens antiquus, vocatus diabolus et Satanas, habens capita septem et cornua decem, quem creasti ad illudendum huic mari magno et spatioso manibus, in quo sunt reptilia quorum non est numerus, et animalia pusilla et magna; id est, diversa dæmoniornm genera, quæ nihil aliud die noctuque operantur, nisi quod circumeunt quærentes

quem devorent, nisi tu eripias. Ipse enim est draco antiquus ille, qui ortus est in paradiso voluptatis, qui cauda sua trahit tertiam partem stellarum cœli, et eas mittit in terram, qui veneno suo corrumpit aquas terræ, ut bibentes homines moriantur, qui sternit sibi aurum quasi lutum, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus, qui factus est ut nullum timeat. Et quis defendet a morsibus ejus, quis eruet ab ore ejus, nisi tu, Domine, qui confregisti capita draconis magni? Prætende, Domine, super nos alas tuas, ut fugiamus sub eis a facie draconis hujus, qui nos persequitur, et scuto tuo libera nos a cornibus ejus. Hoc enim est studium suum, hoc unicum desiderium suum, ut animas devoret quas creasti. Et ideo ad te clamamus; libera nos ab adversario nostro quotidiano, qui sive dormiamus, sive vigilemus, sive comedamus, sive bibamus, sive quodcumque opus operemur, omnibus modis instat die ac nocte, fraudibus et artibus, nunc palam, nunc occulte, sagittas venenatas contra nos dirigens, ut interficiat animas nostras. Et tamen, Domine, pessima insania nostra, quia cum continue videamus contra nos draconem ore aperto paratum ad devorandum, nihilominus dormimus et lascivimus in pigritiis nostris, tanquam securi ante eum, qui nihil aliud desiderat quam ut nos perdat. Inimicus ut occidat, semper vigilat sine somno : et nos ut custodiamus nos, nolumus evigilare a somno. Ecce tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos, et omnes vias nostras implevit decipulis ad capiendas animas nostras. Et quis effugiet?

Laqueos posuit in divitiis, laqueos in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno, in vigiliis : laqueos posuit in verbo et in opere, et in omni via nostra. Sed tu, Domine, libera nos de laqueo venantium, et a verbo aspero : ut confiteamur tibi dicentes, « Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus. »

XVII

Lucis Dei ad eos cavendos necessitas. Diaboli versutia.

Et quidem, Domine lux mea, revela oculos meos, ut videam lumen, et ambulem in lumine tuo, et non impinguam in laqueos ejus. Quis enim evadet laqueos istos multos, nisi videat eos? Et quis videbit, nisi quem tu illuminaveris lumine tuo? Ipse enim pater tenebrarum laqueos suos abscondit in tenebris suis, ut capiantur in eis omnes qui sunt in tenebris suis, qui sunt filii tenebrarum harum, non videntes lumen tuum, in quo qui ambulat, non timebit. Qui enim ambulat in die, non offendit : qui autem in nocte ambulat, offendit, quia lux non est in eo. Tu lux, Domine, tu lux filiorum lucis, tu dies qui nescis occasum, in quo ambulant filii tui sine offensione et sine quo omnes qui ambulant, in tenebris sunt, quia te lucem mundi non habent. Ecce quotidie cernimus, quia quo magis a te vero lumine quis elongatur, eo magis peccatorum involvitur tenebris; et quo

magis est in tenebris, eo minus videt laqueos in via sua; et ideo minus cognoscit, et idcirco sæpius capitur, et cadit in eis; et quod est horribilius, etiam se cecidisse ignorat. Qui vero suum casum ignorat, eo minus curat surgere, quanto se existimat adhuc stare. Tu vero, lux mentis, Domine Deus meus, nunc illumina oculos meos, ut videam et cognoscam, ne corruam in conspectu adversariorum meorum. Etenim in exterminium nostrum laborat inimicus noster, quem petimus ut facias liquefieri a facie nostra, sicut cera liquescit a facie ignis. Quoniam, Domine, ipse est latro primus et ultimus, qui consilium fecit ut raperet gloriam tuam, quando inflatus et elatus crepuit et cedidit in foveam suam, et ejecisti eum de monte sancto tuo, et de medio lapidum ignitorum, in quorum medio ambulavit. Et nunc, vita mea, Deus meus, ex quo cecidit, non cessat persequi filios tuos. Et in odium tuum, o Rex magne, cupit perdere hanc creaturam tuam, quam creavit omnipotens bonitas tua ad imaginem tuam; ut non possideat gloriam tuam, quam ipse perdidit per superbiam suam. Sed contere eum, fortis noster, ante nos agnos tuos: et illumina nos ut videamus laqueos quos ipse paravit, et evadamus ad te, lætitia Israel.

Et hæc omnia tu, Domine, melius nosti, qui nosti contentionem ejus, et cervicem ejus durissimam. Nec hoc dico ut ostendam tibi, qui omnia vides, et nulla te latet cogitatio. Sed ante pedes tuæ majestatis de inimico meo querimoniam facio, judex æterne, ut et ipsum dam-

nes, et nos filios tuos salves, quorum fortitudo tu es. Versutus est, Domine, iste hostis et tortuosus ; nec facile deprehendi possunt circuitus viæ ejus, nec cognosci species vultus ejus, nisi tu illumines. Nam nunc hic, nunc illic ; nunc agnum, nunc lupum ; nunc tenebras, nunc lucem se ostendit ; sed singulis quibuslibet qualitatibus, locis et temporibus, secundum varias rerum mutationes, varias exhibet tentationes. Num ut tristes decipiat, tristatur et ipse ; ut gaudentes illudat, fingit se et ipse gaudere ; ut spirituales defraudet, in Angelum lucis se transfigurat ; ut fortes comprimat, apparet ut agnus ; ut mites devoret, apparet ut lupus. Hæc quidem omnia secundum similitudinem variarum tentationum effici habent, sicut alios a timore nocturno, alios a sagitta volante in die, alios a negotio perambulante in tenebris, alios ab incursu, alios a dæmonio meridiano. Et ad hæc quis idoneus ut cognoscat ? Quis revelabit speciem indumenti ejus, et gyrum dentium ejus quis agnovit ? En abscondit sagittas suas in pharetra, et laqueos etiam abscondit sub specie lucis, et hoc difficilius perpenditur, nisi a te, Domine spes nostra, lumen assumamus, ut videamus. Nam non solum in carnis operibus quæ de facili agnoscuntur, non tantum in ipsis vitiis, sed in ipsis quoque spiritualibus exercitiis laqueos abscondit subtiles ; et sub virtutum colore ipsa vitia induit, et transmutat se in Angelum lucis. Hæc et multa alia nititur contra nos filius Belial, iste Satan, Domine Deus noster. Et nunc ut leo, nunc ut draco, manifeste et occulte, intus et extra, die ac nocte insidia-

tur, ut rapiat animas nostras. Et tu eripe nos, Domine, qui salvas sperantes in te : ut ipse de nobis doleat, et tu lauderis in nobis, Domine Deus noster.

XVIII

Ingratudinis mala. Beneficiorum Dei descriptio. De iisdem gratiarum actio. Deum semper diligere tenemur, nec valemus nisi dederit.

Ego autem filius ancillæ tuæ, quæ me commendavit manui tuæ, jam his pauperculis confessionibus meis confitear tibi, liberator meus, toto corde meo; et recolam ad mentem meam bona quæ fecisti mihi a juventute mea, in omni vita mea. Scio namque quod ingratitudo tibi displiceat, quæ radix est totius mali spiritualis, et ventus quidam desiccans et urens omne bonum, obstruens fontem divinæ misericordiæ super hominem : qua et mala mortua jam oriuntur, et viva jam opera moriuntur, et ultra non adipiscuntur. Et ego, Domine, gratias tibi agam, ne sim ingratus tibi, liberator meus, quoniam liberasti me. Quoties me jam absorbuerat ille draco, et tu, Domine, ab ore ejus extraxisti me? Quando vel quoties peccavi, et ipse paratus fuit deglutire me; sed tu defendisti me? Cum contra te inique agebam, cum tua mandata frangebam, stabat paratus ipse ut me raperet ad infernum; sed tu prohibebas. Ego te offendebam, et tu me defendebas; ego te non timebam, et tu me custodiebas. A te recedebam, et inimico meo me exhibebam; tu ipsum ne me acciperet, deterrebas. Hæc mihi tu, Deus meus, beneficia conferebas, et ego non cognosce-

bam. Sic me multoties a faucibus diaboli liberasti, de ore leonis eripuisti, et ab inferno licet me nescientem multis vicibus reduxisti. Descendi enim usque ad portas inferni, et ne illuc intrarem, tu me tenuisti; appropinquavi usque ad portas mortis, et ne me ipsa caperet, tu fecisti. De morte etiam corporis me sæpius eripuisti, Salvator meus, cum me graves morbi tenerent, cum fui in periculis multis, per mare, per terras; ab igne et gladio, et ab omni periculo liberans, semper mihi astans, et misericorditer salvans. Sciebas quidem, Domine, quia si tunc mors me præoccupasset, infernus animam meam suscepisset, et perpetuo damnatus fuissem : sed tua misericordia et tua gratia prævenerunt me, eripiens me de morte corporis et de morte animæ, Domine Deus meus. Hæc et multa alia mihi tua beneficia exhibuisti, et ego eram cæcus, et non cognovi, donec illuminasti me.

Nunc igitur, lux animæ meæ, Domine Deus meus, vita mea per quam vivo, lumen oculorum meorum per quod video, en illuminasti me, et cognosco te, quia vivo per te, et gratias ago tibi, licet viles et exiles et impares beneficiis tuis, quales babet mea fragilitas offero. Quoniam tu es solus Deus meus, creator meus benignus, qui amas animas, et nihil odisti eorum quæ fecisti. En ego primus inter peccatores quos salvasti, ut exemplum aliis tribuam benignissimæ pietatis tuæ, confitear beneficia tua magna, quoniam eripuisti me de inferno semel et secundo et tertio et centies et millies, et ego semper ad infernum tendebam, et tu me semper reducebas : et cum

me juste millies damnasses, si voluisses; noluisti, quia amas animas, et dissimulas peccata mea propter pœnitentiam, Domine Deus meus, quia multæ misericordiæ in omnibus viis tuis. Nunc ergo video hæc, Domine Deus meus, et cognosco per lumem tuum, et deficit anima mea in misericordia tua magna super me; quoniam eripuisti animam meam ex inferno inferiori, et me reduxisti ad vitam. Totus eram in morte, totum me resuscitasti; et tuum igitur sit totum quod vivo. Totus totum me tibi offero : totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea; quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres; totum me refecisti, ut totum me rehaberes. Diligam te igitur, Domine virtus mea, diligam te, ineffabilis exsultatio mea, et vivat jam non mihi, sed tibi tota vita mea, quæ perierat in miseria mea, quæ resuscitata est in misericordia tua, qui es Deus misericors et miserator et multæ misericordiæ in millia his qui diligunt nomen tuum. Idcirco, Domine Deus meus, sanctificator meus, jussisti mihi lege tua, ut diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea, et ex omnibus viribus meis, et etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis et momentis quibus fruor bonis misericordiæ tuæ; quoniam semper perirem, nisi quia semper me regis; semper morerer, nisi quia semper me vivificas, et omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas. Sicut ergo nulla est hora vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar;

sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, et te non diligam ex omni fortitudine mea. Sed nec hoc valeo, nisi tu dederis mihi, cujus est omne donum bonum, et omne datum optimum descendens a Patre luminum; apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Non enim est volentis neque currentis, sed tui miserentis, ut diligamus te. Tuum est, Domine, hoc donum, cujus est omne bonum. Jubes te diligi, da quod jubes, et jube quod vis.

XIX

Amoris fervens desiderium. Beneficiorum Dei recapitulatio.

Amo te, Deus meus, magisque semper amare cupio, quia tu es revera omni melle dulcior, omni lacte nutribilior, et omni luce clarior. Idcirco super omne aurum et argentum et lapidem pretiosum es mihi charior. Displicebat enim mihi quidquid agebam in sæculo præ dulcedine tua, et decore domus tuæ, quam dilexi. O ignis qui semper ardes et nunquam exstingueris, o amor qui semper ferves et nunquam tepescis, charitas Deus meus, accende me. Accende, inquam, totum me, ut totus diligam solum te. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. Diligam te, Domine, quoniam tu prior dilexisti me. Et unde mihi verbum, ut explicem signa dilectionis tuæ, maxime erga me, propter innumera beneficia tua, quibus a principio educasti me? Post beneficium nempe creationis, quando in principio

de nihilo ad imaginem tuam creasti me, honorificans et exaltans me inter eas creaturas quas fecisti, et nobilitans nomine vultus tui, quo signasti superliminare cordis mei, quo ab insensibilibus pariter et sensibilibus brutis discrevisti me, et paulo minus ab Angelis minuisti. Parum hoc fuit ante conspectum bonitatis tuæ, quoniam quotidianis et singularibus maximisque donariis tuorum beneficiorum me sine intermissione nutrivisti, et quasi filium tuum parvulum tenellum uberibus tuæ consolationis lactasti et confortasti me. Ut enim tibi totus servirem, omnia quæcumque fecisti, in meum servitium tradidisti.

XX

Quod omnia serviunt homini ut homo serviat Creatori.

Omnia sub pedibus hominum subjecisti, ut solus homo totus tibi subjiceretur; et ut tuus esset totus homo, super omnia tua dominatus est homo. Exteriora nempe pro corpore cuncta creasti, ipsum vero corpus pro anima, animam vero pro te; ut tibi soli vacaret, et te solum amaret, possidens te ad solatium, inferiora vero omnia ad servitium. Quidquid enim cœli ambitu continetur, inferius ab anima humana est, quæ facta est ut summum bonum superius possideret, cujus possessione beata fieret; cui si adhæserit, cunctarum mutabilitatum inferiorum necessitudines supergrediens, illius summæ majestatis, cujus æmulatur speciem, æternitate immortalitatis cum serenitate gaudebit. Tunc vero illis bonis optimis

fruetur in domo Domini, quorum comparatione cuncta quæ hic cernimus, velut nihilum computantur. Illa sunt quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Et hæc quidem, Domine, daturus es animæ. His etiam quotidie lætificas animas servorum tuorum, qui amas animas. Quid miror hæc, Domine Deus meus? Imaginem quippe tuam honorificas, et similitudinem tuam ad quam creatæ sunt. Nam et corpori nostro, licet adhuc corruptibili et ignobili, ut videret, dedisti claritatem cœli per manum ministrorum tuorum indefessorum, solis et lunæ, qui præcepto tuo jugiter die ac nocte deserviunt filiis tuis; ut spiraret, largitus es aeris puritatem; ut audiret, sonorum varietates; ut odoraret, odorum suavitates; ut gustaret, saporum qualitates; ut contrectaret, dedisti corpulentorum omnium grossitates. Adjumenta suis necessitatibus dedisti jumenta; volucres quoque cœli et pisces maris, et fructus terræ ad reficiendum impendisti. Medicinas de terra propter singulas quasque suas corruptelas creasti, singula solatia singulis malis obviantia præparasti, quoniam es misericors et miserator, et novisti figmentum nostrum figulus noster, et nos omnes quasi lutum in manu tua.

XXI

Ex bonis temporalibus colligitur magnitudo cœlestium.

En aperitur mihi misericordia tua magna; lumine tuo

illustra, quæso, magis adhuc, ut mihi magis aperiatur. Nam ex his minimis tua magna, et ex his visibilibus tua invisibilia comprehendimus, Domine Deus sancte, et bone Creator noster. Si enim, mi Domine, pro hoc corpore ignobili et corruptibili tam magna et innumera beneficia præstas a cœlo et aere, a terra et mari, luce et tenebris, calore et umbra, rore et imbre, ventis et pluviis, volucribus et piscibus, bestiis et arboribus, et multiplicitate herbarum et germinum terræ, et cunctarum creaturarum tuarum ministerio nobis successive per sua tempora ministrantium, ut alleves fastidium; qualia, quæso, et quam magna et innumerabilia erunt illa bona, quæ præparasti diligentibus te, in illa cœli patria, ubi te videbimus facie ad faciem? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Magna et innumerabilia sunt opera tua, Domine rex cœlorum. Cum sint hæc omnia valde bona et delectabilia, quæ bonis pariter malisque communia tradidisti; qualia futura sunt illa, quæ solis bonis recondidisti? Si tam innumera et varia dona tua, quæ nunc amicis pariter tribuis et inimicis; quam magna et innumerabilia, quam dulcia et delectabilia, quæ solis tuis es largiturus amicis? Si tanta solatia in hac die lacrymarum; quanta conferes in die nuptiarum? Si tanta delectabilia continet carcer; quanta, quæso, continet patria? Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te. Secundum enim magnam multitudinem magnificentiæ tuæ est etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Magnus

enim tu es, Domine Deus meus, et immensus, nec est finis magnitudinis tuæ, nec est numerus sapientiæ tuæ, nec est mensura benignitatis tuæ, nec est finis, nec numerus, nec mensura retributionis tuæ : sed sicut magnus es tu, ita magna sunt donaria tua, quoniam tu ipse præmium et donum omnium legitimorum tuorum pugnatorum.

XXII

Consolatio æterna non est speranda cum præsenti. Dulcedo Dei demulcet amaritudinem mundi.

Hæc sunt beneficia magna tua, Domine Deus meus, sanctificator sanctorum tuorum, quibus repleturus es inopiam esurientium filiorum tuorum; quoniam factus es spes desperatorum, consolatio desolatorum : tu corona spei, quæ ornata est gloria, præparata vincentibus; tu famelicorum satietas æterna, danda esurientibus; tu consolatio sempiterna, qui solis illis te tribuis, qui consolationem hujus mundi pro tua consolatione contemnunt. Nam qui hic consolantur, indigni tua consolatione habentur. Sed qui hic cruciantur, a te consolantur : et qui participant passionibus, participant et consolationibus. Nemo enim potest in utroque sæculo consolari, nec potest quis hic et in futuro gaudere; sed unum necesse est ut perdat, qui altum voluerit possidere. Hæc ubi considero, Domine consolator meus, renuo consolari animam meam, ut digna habeatur tuis consolationibus æternis : quia justum est ut amittat te, quicumque in

aliquo alio magis consolari eligit quam in te. Et obsecro, summa veritas, te per te, non permittas me in aliqua consolatione vana consolari quam in te; sed omnia mihi peto ut amarescant; ut tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæstimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur; tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit : tua dulcedo craticulam Laurentio dulcem fecit. Pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati; ibat Andræas securus ad crucem et gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat; hæc tua dulcedo ipsos Apostolorum principes sic replevit, ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret; pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit; pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit. Hanc ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus clamavit quasi ebrius, dicens, Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula : hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus; sufficit nobis, Domine, videre te, sufficit, inquit, tanta dulcedine satiari. Unam enim stillam dulcedinis iste gustavit, et omnem aliam fastidivit dulcedinem; quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis divinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti diligentibus te? Hanc tuam dulcedinem ineffabilem et illa gustaverat virgo, de qua legimus, quod lætissime et glorianter ibat ad carcerem, et quasi ad epulas invitata.

Hanc, ut reor, et ipse gustaverat, qui dicebat, quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Quique monebat, Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Hæc est illa beatitudo, Domine Deus noster, quam exspectamus daturum te nobis; pro qua tibi, Domine, continue militamus, pro qua mortificamur tota die, ut in tua vita vivamus.

XXIII

Aspiratio ad fruitionem Dei. Non obtinetur nisi ex dono Dei.

Tu autem exspectatio Israel, Domine, desiderium ad quod suspirat quotidie cor nostrum, festina, ne tardaveris. Surge, propera, et veni, ut educas nos de isto carcere ad confitendum nomini tuo, ut gloriemur in lumine tuo. Aperi aures tuas clamoribus lacrymarum pupillorum tuorum, qui clamant ad te: Pater noster, da nobis hodie panem nostrum quotidianum, in cujus fortitudine ambulemus die ac nocte, usquequo perveniamus ad montem tuum Oreb. Et ego parvulus inter parvulos familiæ tuæ, Deus pater et virtus mea, quando veniam, et apparebo ante faciem tuam; ut qui nunc tibi confiteor ad tempus, ex tunc confitear tibi in æternum? Beatus ero si fuero admissus ad videndum claritatem tuam. Quis mihi hoc tribuat, ut ad hoc venire permittas me? Scio, Domine, scio et confiteor me indignum ut intrem sub tectum tuum: sed fac propter honorem tuum, et ne confundas in te sperantem servum tuum. Et quis

intrabit in sanctuarium tuum ad considerandas potentias tuas, nisi tu aperias? Quis autem aperiet, si tu clauseris? Si enim dextruxeris, nemo est qui ædificet; et si incluseris hominem, nemo est qui aperiat. Si continueris aquas, omnia siccabuntur; et si emiseris eas, subvertent terram. Si omnia quæcumque fecisti, ad nihilum redigas, quis contradicet tibi? Porro sempiterna bonitas misericordiæ tuæ, qua voluisti et fecisti omnia quæcumque voluisti. Tu nos fecisti, fabricator mundi, rege nos; tu nos creasti, ne spernas nos, quia opera tua sumus. Et quidem, Domine Deus noster, nos lutum et vermiculi non valemus in tuas æternitates intrare, nisi tu induxeris qui de nihilo cuncta creasti.

XXIV

Quod nihil sine Dei gratia possimus.

Ego autem opus manuum tuarum confiteor tibi in timore tuo, quia non in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me, sed dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui. Alioquin desperarem, nisi quia spes mea es tu qui creasti me, et non derelinques me, quoniam non derelinquis sperantes in te. Tu quippe es, Domine Deus noster, suavis et mitis, patiens et in misericordia disponens omnia. Et nos si peccaverimus, tui sumus : et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati. Nos folium universi, et vanitas omnis homo vivens, et ventus est vita nostra super ter-

ram : ne irascaris si cadimus pupilli tui, quoniam tu nosti figmentum nostrum, Domine Deus noster. Num, Deus inæstimabilis fortitudinis, contra folium quod vento rapitur ostendere vis potentiam tuam, et stipulam siccam persequi? Num damnabis, rex Israel æterne, num damnabis pulicem unum? Audivimus de misericordia tua, Domine, quoniam tu mortem non facis, nec lætaris in perditione morientium. Propter te oramus te, ne permittas dominari quod non fecisti huic creaturæ tuæ quam fecisti. Si doles de perditione; quid te prohibet, Domine, qui omnia potes, ne semper læteris de nostra salvatione? Si vis, potes me salvare : ego autem etsi velim non possum; tam magna est multitudo miseriarum mearum mecum. Velle quippe mihi adjacet, perficere autem non invenio. Velle autem quod bonum est non possum, nisi tu velis; nec quod volo possum, nisi tua potentia me confortet; et quod possum, aliquando nolo, nisi tua voluntas fiat sicut in cœlo et in terra; et quod volo et possum, ignoro, nisi tua sapientia me illustret. Et si sciam, quandoque nolens, quandoque non valens, imperfecta et vacua transit sapientia mea, nisi adjuver a vera sapientia tua. In tua autem voluntate cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ, Domine universorum, principatum tenens omnis carnis : et quæcumque vis, facis in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. In nobis igitur fiat voluntas tua, super quibus invocatum est nomen tuum; ne pereat hoc nobile plasma tuum, quod creasti propter honorem tuum. Et quis est homo natus de mu-

liere, qui vivat et non videat mortem, et eripiat animam suam de manu inferi, nisi tu solus eripias, vita vitalis omnis vitæ, per quem omnia vivunt?

XXV

Quod voluntas humana sine gratia inefficax sit ad bona opera.

Ut enim jam tibi confessus sum, laus vitæ meæ, Deus meus, virtus salutis meæ, sperabam aliquando in virtute mea, quæ tamen non est virtus. Et cum sic volui currere; ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi; factusque sum magis retro, et non ante; et quod credebam consequi, longius elongavit a me. Sic per multa similia vires meas probans cognosco nunc, quia illuminasti me, quoniam ubi magis credidi posse per me, minus semper ibi potui. Dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam; fiebatque post nec hoc, nec illud. Aderat voluntas? Non erat facultas. Aderat facultas? Non aderat voluntas; quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi, Domine Deus, Pater cœli et terræ, quia non in fortitudine sua roborabitur vir, ut glorietur ante te stulta præsumptio omnis carnis. Nec est hominis velle quod possit, aut posse quod velit, vel scire quod velit et possit; sed potius a te gressus hominis diriguntur, illorum, inquam, qui non a se, sed a te dirigi se confitentur. Obsecramus itaque viscera misericordiæ tuæ, velis, Domine, salvare quod creasti; quoniam si vis, potes nos salvare; et in tua voluntate virtus est nostræ salutis.

XXVI

Spem sublevant jam præstita Dei beneficia.

Recordare misericordiæ tuæ antiquæ, qua nos a principio in benedictionibus tuæ dulcedinis prævenisti. Antequam enim nascerer ego filius ancillæ tuæ, Domine spes mea ab uberibus matris meæ, tu me prævenisti præparans mihi semitas, quibus incederem et venirem ad gloriam domus tuæ. Priusquam me formares in utero, novisti me : et antequam exirem de vulva, quidquid tibi placuit, præordinasti de me. Quæ qualia sunt in libro tuo de me scripta, in secreto consistorii tui, ego quidem ignoro, unde et valde timeo; tu vero nosti; quoniam quod ego per successus dierum et temporum hinc ad mille annos hujus temporalitatis exspecto, in conspectu æternitatis tuæ jam factum est; et quod futurum est, jam factum est. Ego autem stans in hac nocte tenebrosa hæc ignorans, timor et tremor venerunt super me, dum video mihi undique imminere multa pericula, a multis quoque hostibus venari, multitudineque innumerarum miseriarum in hac vita circumdatum. Et nisi in tantis his malis adforet mihi tuum adminiculum, desperarem. Sed spes mihi magna subest de te, mitissime princeps Deus meus; et consideratio multitudinis miserationum tuarum, quæ apud te sunt, sublevat mentem meam ; et præcedentia signa misericordiæ tuæ, quæ antequam nascerer prævenerunt me, et nunc specialiter in me efful-

serunt, de futuris benignitatis tuæ melioribus et perfectioribus muneribus, quæ tuis amicis reservas, spem meam admonent, ut in te lætetur, Domine Deus meus, lætitia sancta et viva, quæ semper lætificas juventutem meam. Dilexisti enim me, unice amor meus, antequam diligerem te, et ad imaginem tuam creasti me, omnibus creaturis tuis præposuisti me : quam dignitatem tunc quidem servo cum noverim te, propter quod fecisti me.

XXVII

Quanta Deus præstet homini per Angelos custodes. Unde Dei cum homine deliciæ.

Insuper facis Angelos tuos spiritus propter me, quibus mandasti ut custodiant me in omnibus viis meis, ne forte offendam ad lapidem pedem meum. Hi sunt custodes super muros tuos novæ Jerusalem, et montes in circuitu ejus vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem tuum, ne quando rapiat ut leo animas nostras, dum non est qui redimat, ille antiquus adversarius noster, qui quasi leo rugiens semper circuit quærens quem devoret. Hi sunt cives beatæ civitatis supernæ Jerusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis; ut eos liberent ab inimicis suis, et custodiant in omnibus viis suis; confortent quoque et moneant, et orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ majestatis tuæ. Diligunt nempe concives suos, per quos suæ ruinæ scissuras ins-

taurari exspectant : ideoque magna cura et vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis et locis, succurrentes et providentes necessitatibus nostris, et solliciti discurrentes inter nos et te, Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, et referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant nobiscum in omnibus viis nostris, intrant et exeunt nobiscum, attente considerantes quam pie, quamque honeste in medio pravæ nationis conversemur, quantoque studio et desiderio quæramus regnum tuum et justitiam ejus, quantoque timore et tremore serviamus et exsultemus tibi, lætitia cordis nostri. Adjuvant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes : congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus; compatiuntur patientibus, pro te, inquam, patientibus. Grandis est eis cura de nobis, magnus affectus dilectionis eorum erga nos; et hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis; custodiunt quos tu custodis; et deserunt quos tu deseris. Nec diligunt operantes iniquitatem, quoniam et tu odisti omnes operantes iniquitatem, et perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus, gaudent Angeli, et tristantur dæmones; quoties vero a bono deviamus, diabolum lætificamus, et Angelos suo gaudio defraudamus : gaudium est enim eis super uno peccatore pœnitentiam agente, sed diabolo super uno justo pœnitentiam deserente. Da igitur, da Pater, eis semper gau-

dere de nobis, ut et tu per eos semper lauderis in nobis, et nos cum eis in unum ovile tuum adducamur; ut confiteamur simul nomini sancto tuo, Creator hominum et Angelorum. Hæc ipse commemorans coram te, confiteor laudans te, quoniam beneficia tua magna sunt hæc, quibus nos honorificasti, dans nobis Angelos tuos spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim quidquid cœli ambitu continetur; et quasi parva hæc quæ sub cœlo sunt, nisi adderes et ea quæ sunt super cœlos. Laudent te de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, et ipsi sancti tui benedicant tibi. O honorificentia nostra, quos nimis honorificans et ditans multis muneribus decorasti! Admirabile est nomen tuum, Domine, in universa terra. Quid est enim homo, quia magnificas eum, et honorificas eum, et apponis erga eum cor tuum!

XXVIII

De prædestinationis ac præscientiæ Dei mysterio.

Dixisti enim, Veritas antiqua, « Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum. » Nonne homo putredo, et filius hominis vermis? Nonne universa vanitas omnis homo vivens? Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium! Doce me, abyssus profundissima, creatrix sapientia. Qui librasti in pondere montes, et colles in statera, et appendisti molem terræ tribus digitis, suspende molem corporalitatis hujus, quam gero, tribus invisis digitis tuis ad

te, ut videam et cognoscam, quam admirabilis es in universa terra. Lux antiquissima, quæ lucebas ante omnem lucem in montibus sanctis æternitatis antiquæ, cui nuda et aperta erant omnia, antequam fierent; lux, quæ odio habes omnem maculam, utpote mundissima et immaculatissima, quæ tibi deliciæ cum homine? Quæ conventio lucis ad tenebras? Ubi sunt in homine deliciæ? Ubi præparasti tibi in me dignum sanctuarium majestatis tuæ, in quod introiens habeas delicias dilectionis tuæ? Mundum enim cœnaculum decet te, mundans virtus, quæ nonnisi a mundis cordibus videri potes, multo magis nec haberi. In homine autem ubi templum tam mundum, ut te suscipiat, qui regis mundum? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es mundus? Ab immundo enim quis mundabitur? Nam et secundum legem, quam dedisti patribus nostris in igne comburente legem, et in nube tegente aquam tenebrosam, quidquid tetigerit immundus, immundum erit. Omnes autem nos quasi pannus menstruatæ de massa corrupta et immunda venientes, maculam immunditiæ nostræ, quam celare saltem tibi qui omnia vides, non possumus, in frontibus portamus; quare mundi esse non possumus, nisi tu mundaveris, qui solus es mundus. Mundas autem de nobis filiis hominum eos in quibus tibi complacuit habitare; quos ab inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ, semper justorum, licet occultorum, sine eorum meritis prædestinasti ante mun-

dum, vocasti de mundo, justificasti in mundo, et magnificas eos post mundum. Non autem omnibus hoc facis, quod admirantur tabescentes omnes sapientes terræ. Et ego, Domine, hoc considerans expavesco, et obstupesco de altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo, et incomprehensibilia judicia justitiæ tuæ : quoniam ex eodem luto alia quidem facis vasa in honorem, alia in contumeliam sempiternam. Quos igitur tibi elegisti de multis in templum, ipsos mundas, effundens super eos aquam mundam, quorum nomina numerumque tu nosti, qui solus numeras multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocas; qui etiam scripti sunt in libro vitæ, qui nequaquam perire possunt, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata. Cum enim cadunt, non colliduntur, quia tu supponis manum tuam; custodiens omnia ossa eorum, ut unum ex eis non conteratur. Attamen mors peccatorum pessima; illorum, inquam, quos antequam faceres cœlum et terram, secundum abyssum multam judiciorum tuorum occultorum, semper autem justorum, præscivisti ad mortem æternam; quorum dinumeratio nominum et meritorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, et dimensus es profundum abyssi, quos reliquisti in immunditiis suis, quibus omnia cooperantur in malum, et ipsa etiam oratio vertitur in peccatum; ut si etiam usque ad cœlos ascenderint, et caput eorum nubes tetigerit, et inter sidera cœli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinium in fine perdantur.

XXIX

De altitudine judiciorum Dei.

Magna sunt hæc judicia tua, Domine Deus, judex juste et fortis, qui judicas æquitatem et inscrutabilia et profunda : quæ cum considero, contremiscunt omnia ossa mea, quoniam non securatur homo vivens super terram : ut serviamus tibi pie et caste cunctis diebus vitæ nostræ in timore, et exsultemus tibi cum tremore; ut non sit servitium sine timore, neque gaudium sine tremore, et non glorietur accinctus æque ut discinctus, neque glorietur ante te omnis caro, sed pavescat et contremiscat a facie tua, cum ignoret homo utrum amore an odio dignus sit; sed in futurum omnia reservantur incerta. Vidimus enim multos, Domine, et audivimus a patribus nostris (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor), ascendisse primitus quidem usque ad cœlos, et inter sidera nidum suum collocasse; postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, et animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cœlo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis, et eos qui jacebant in pulvere terræ, a facie sublevantis manus tuæ, Domine, mirabiliter ascendisse. Vidimus vivos morientes, et mortuos a morte surgentes; et eos qui inter filios Dei ambulabant, in medio lapidum ignitorum quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, et de tenebris lucem processisse,

quia publicani et meretrices præcedunt incolas in regno cœlorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Quare autem ista omnia, nisi quia in montem illum ascenderunt, in quem primus ascendit Angelus, et descendit diabolus? Quos autem prædestinasti, ipsos et vocasti, et sanctificasti, et mundasti, ut dignum habitaculum sint tuæ majestatis; cum quibus et in quibus sunt tibi deliciæ sanctæ et mundæ, in quibus tu delectaris, et lætificas juventutem eorum, habitans cum eis in medio eorum, ut ipsi templum sanctum tuum sint, quod magnæ dignitatis commendatio est humanitatis nostræ.

XXX

Anima humana unde, quid sit et quo beata.

Anima enim quam creasti non de te, sed per Verbum tuum; non ex qualibet elementorum materia, sed ex nihilo; quæ quidem rationalis, intellectualis, spiritualis, semper vivens, semper in motu, quam signasti lumine vultus tui, et consecrasti virtute lavacri tui : ita facta est capax majestatis tuæ, quod a te solo, et a nullo alio possit impleri. Cum autem te habet, plenum est desiderium ejus; et jam nihil aliud quod desideretur exterius, restat. Dum autem aliquid exterius desiderat, manifestum est quod te non habet interius; quo habito nihil est quod desideretur. Cum enim sis summum et omne bonum; non habet quod desideret amplius, si possidet omne bonum. Quod si non desiderat omne bonum,

restat ut desideret aliquid quod non est omne bonum : ergo nec summum bonum, ergo nec Deum, sed potius creaturam. Cum autem creaturam desiderat, continuam famem habet; quia licet quod desiderat de creaturis, adipiscatur, vacua tamen remanet, quia nihil est quod eam impleat nisi tu, ad cujus imaginem est creata. Imples autem tu eos, qui nihil aliud desiderant præter te; et facis eos dignos te, sanctos, beatos, immaculatos, et amicos Dei; qui omnia reputant ut stercora, ut lucrifaciant te solum. Hæc est beatitudo quam homini contulisti; hic honor quo eum inter omnes creaturas, sed et super omnes honorificasti, ut sit admirabile nomen tuum in aniversa terra.

XXXI

Ubi Deus habitet. Quod per sensus non inveniatur Deus. Quid Deum quærendo quæramus. Creaturarum de Deo testimonium. Qui ab homine ad Dei notitiam ascendatur. Deus sibi soli notus. Quatenus homini innotescat.

Ecce Domine Deus meus summe, omnipotentissime, inveni locum ubi tu habitas : quia in anima quam creasti ad imaginem et similitudinem tuam, quæ te solum quærit et desiderat; quia non in illa quæ te non quærit nec desiderat. Ego erravi sicut ovis quæ periit, quærens te exterius, qui es interius; et multum laboravi quærens te extra me, et tu habitas in me, si tamen ego desiderem te. Circuivi vicos et plateas civitatis hujus mundi quærens te; et non inveni, quia male quærebam

foris, quod erat intus. Misi nuntios meos omnes sensus exteriores, ut quærerem te; et non inveni, quia male quærebam. Video enim, lux mea Deus qui illuminasti me, quia male te per illos quærebam; quia tu es intus, et tamen ipsi unde intraveris nesciverunt. Nam oculi dicunt, si coloratus non fuit, per nos non intravit; aures dicunt, si sonitum non fecit, per nos non transivit; nasus dicit, si non oluit, per me non venit; gustus dicit, si non sapuit, per me non introivit; tactus etiam addit, si corpolentus non est, nihil me de hac re interroges. Non ista sunt in te, Deus meus. Non enim speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis vel colorem, non dulces melodiarum cantus et quæcumque dulce sonantia, non florum et unguentorum vel aromatum odores, non mella vel manna gustui delectabilia, non cætera quæque ad tangendum vel amplexandum amabilia, nec omnia alia sensibus his subjecta quæro, cum Deum meum quæro. Absit ut ista crediderim Deum meum quæ etiam a brutalium sensibus comprehenduntur. Et tamen cum Deum meum quæro, quæro nihilominus quamdam lucem super omnem lucem, quam non capit oculus; quamdam vocem super omnem vocem, quam non capit auris; quemdam odorem super omnem odorem, quem non capit naris; quemdam dulcorem super omnem dulcorem, quem non sapit gustus; quemdam amplexum super omnem amplexum, quem non tangit tactus exterioris hominis mei. Ista lux fulget, ubi locus non capit; ista vox sonat, ubi tempus non rapit;

odor iste redolet, ubi flatus non spargit; sapor iste sapit, ubi non est edacitas; amplexus iste tangitur, ubi non divellitur. Hic est Deus meus, et non æstimabitur alius ad illum; hoc quæro cum Deum meum quæro. Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova; sero te amavi : et tu intus eras, et ego foris; et ibi te quærebam, et in ista formosa quæ fecisti deformis irruebam. Mecum eras, et ego tecum non eram. Ea me tenebant longe a te, quæ esse non poterant nisi in te. Circumibam enim omnia quærens te, et propter omnia derelinquens me.

Interrogavi terram si esset Deus meus, et dixit mihi quod non; et omnia quæ in ea sunt, hoc idem confessa sunt. Interrogavi mare et abyssos, et reptilia quæ in eis sunt; et responderunt : Non sumus Deus tuus; quære super nos eum. Interrogavi flebiles auras; et inquit universus aer cum omnibus incolis suis : Fallitur Anaximenes; non sum ego Deus tuus. Interrogavi cœlum, solem, lunam, et stellas : Neque nos sumus Deus tuus, inquiunt. Et dixi omnibus quæ circumstant fores carnis meæ : Dixistis mihi de Deo meo quod vos non estis; dicite mihi de illo aliquid. Et exclamaverunt omnes voce grandi, Ipse fecit nos. Interrogavi proinde mundi molem, Dic mihi si es Deus meus, annon : et respondit voce forti, Non sum, inquit, ego; sed per ipsum sum ego; quem quæris in me, ipse fecit me; super me quære qui regit me, qui fecit et te. Interrogatio creaturarum, profunda consideratio ipsarum; responsio earum, attestatio ipsarum de Deo, quoniam omnia clamant, Deus nos

fecit : quoniam, ut ait Apostolus, « invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur. »

Et redii ad me, et intravi in me; et aio ad me, tu quis es? Et respondi mihi, Homo rationalis, mortalis. Et incœpi discutere quid hoc esset : et dixi, Unde hoc tale animal, Deus meus? unde nisi abs te? Tu fecisti me, et non ego ipse me. Quid tu? Tu per quem vivo ego, tu per quem vivunt omnia. Quid tu? Tu, Domine, Deus verus et solus, omnipotens et æternus, incomprehensibilis et immensus, qui semper vivis et nihil moritur in te, immortalis, habitans æternitatem, mirabilis oculis Angelorum, inenarrabilis, imperscrutabilis et innominabilis; Deus unus et verus, terribilis et fortis; nesciens principium neque finem, principium omnium atque finis, qui es ante primordia sæculorum, et ante omnes sæculorum origines. Tu es Deus et Dominus omnium quæ creasti; et apud te omnium stabilium stant causæ, et omnium mutabilium apud te immutabiles manent origines, et omnium rationabilium et irrationabilium atque temporalium sempiternæ vivunt rationes. Dic mihi supplici servo tuo, Deus meus, dic misericors misero tuo, dic, quæso per miserationes tuas; unde hoc tale animal, nisi abs te, Deus? An quisquam sese faciendi erit artifex? An aliunde quam a te trahitur esse et vivere? Nonne tu es summum esse, a quo est omne esse? Quidquid enim est, a te est, quia sine te nihil est. Nonne tu es fons vitæ, a quo fluit omnis vita? Quidquid

enim vivit, per te vivit, quia sine te nihil vivit. Tu ergo, Domine, omnia fecisti. Quæro, quis fecit me? Tu, Domine, fecisti me, sine quo factum est nihil. Tu factor meus, ego opus tuum. Gratias tibi ago, Domine Deus meus, per quem vivo ego, et per quem omnia vivunt, quoniam fecisti me; gratias tibi, plasmator meus, quia manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me; gratias tibi, lux mea, quoniam illuminasti me, et inveni me. Ubi inveni me, ibi cognovi me; ubi inveni te, ibi cognovi te; ubi autem cognovi te, ibi illuminasti me. Gratias tibi, lux mea, quoniam illuminasti me.

Quid est quod dixi, cognovi te? Nonne tu es Deus incomprehensibilis et immensus, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habes immortalitatem et lucem habitas inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest? Nonne tu es Deus absconditus et imperscrutabilis majestatis, solus tui ipsius maximus cognitor et mirabilis contemplator? Quis ergo cognovit quod nunquam vidit? Dixit enim veritas tua, « non videbit me homo, et vivet; » dixit et præco tuus per veritatem tuam, « Deum nemo vidit unquam. » Quis ergo cognovit quod nunquam vidit? Dixit etiam veritas tua, « nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius. » Sola Trinitas tua soli sibi integre nota est, quæ exsuperat omnem sensum. Quid est ergo quod dixi, homo vanitati similis quia cognovi te? Quis enim cognovit te, nisi tu te? Tu quippe solus Deus omnipotens, superlaudabilis, et supergloriosus, et superexaltatus, et

superaltissimus, et superessentialis in sanctissimis et divinissimis eloquiis nominaris; quoniam super omnem essentiam intelligibilem sive intellectualem atque sensibilem, et super omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, superessentialiter et superintelligibiliter esse dignosceris; quoniam superessentiali et occulta divinitate, super omnem rationem, intellectum et essentiam inaccessibiliter et imperscrutabiliter habitas in teipso, ubi lux inaccessibilis, et lumen imperscrutabile, et incomprehensibile, et inenarrabile, ad quod non attingit aliquod lumen, quoniam incontemplabile, et invisibile, et superrationale, et superintelligibile, et superinaccessibile, et superincommunicabile creditur, quod nullus unquam Angelorum vel hominum vidit, sed nec videre potest. Hoc est cœlum tuum, Domine, cœlum celans superarcanum, et superintelligibile, et superrationale, et superessentiale lumen, de quo dicitur, Cœlum cœli Domino. Cœlum cœli, cui terra est omne cœlum, quia supermirabiliter superexaltatum est super omne cœlum, ad quod terra est etiam ipsum empyreum cœlum : hoc est cœlum cœli Domino, quia nulli nisi Domino. Ad quod nemo ascendit nisi qui de cœlo descendit, quia nemo novit Patrem, nisi Filius et eorum Spiritus : et nemo novit Filium nisi Pater et eorum Spiritus. Soli quidem tibi soli, Trinitas, integre nota es, Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, et superinenarrabilis, et superinscrutabilis, et superinaccessibilis, et superincomprehensibilis, et superintelligi-

bilis, et superessentialis, superessentialiter exsuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem essentiam supercœlestium animorum : quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est, etiam oculis Angelorum. Unde ergo cognovi te, Domine Deus altissimus super omnem terram, super omne cœlum, quem neque Cherubim perfecte cognoscunt neque Seraphim; sed alis contemplationum suarum velatur facies sedentis super solium excelsum et elevatum, clamantes et dicentes, « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus; » et expavit Propheta, et dixit, « Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum : » et expavit cor meum, et dixi : Væ mihi quia non tacui, quia vir pollutus labiis ego sum : sed dixi, Cognovi te. Verumtamen, Domine, væ tacentibus de te, quoniam loquaces muti fiunt sine te. Et ego non tacebo, quoniam fecisti me, et illuminasti me; et inveni me, et cognovi me, et inveni te et cognovi te, quoniam illuminasti me.

Sed qualiter cognovi te? Cognovi te in te. Cognovi te non sicut tibi es, sed cognovi te sicut mihi es; et hoc non sine te, sed in te, quia tu es lux quæ illuminasti me. Sicut tibi es, soli tibi cognitus es : sicut mihi es, secundum gratiam tuam et mihi cognitus es. Sed quid mihi es? Dic mihi misericors misero tuo, dic mihi per miserationes tuas, quid mihi es? Dic animæ meæ, « Salus tua ego sum. » Noli abscondere a me faciem tuam, ne

moriar. Sine me loqui apud misericordiam tuam, me terram et cinerem, sine me loqui apud misericordiam tuam, quoniam misericordia tua magna est super me. Loquar ad Deum meum, cum sim pulvis et cinis. Dic mihi supplici tuo, dic misericors misero tuo, dic per miserationes tuas, quid mihi es? Et intonasti desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei, et rupisti surditatem meam, et audivi vocem tuam, et illuminasti cæcitatem meam, et vidi lucem tuam, et cognovi quoniam Deus meus es. Propterea dixi quod cognovi te; cognovi te, quoniam Deus meus es; cognovi te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Erat enim tempus quando non cognoscebam te. Væ tempori illi quando non cognoscebam te! Væ cæcitati illi quando non videbam te! Væ surditati illi quando non audiebam te! Cæcus et surdus, per formosa quæ fecisti deformis irruebam: et mecum eras et tecum non eram; et ea me tenebant longe a te, quæ non essent nisi essent in te. Illuminasti me, lux; et vidi te, et amavi te; nemo quippe te amat, nisi qui te videt; et nemo te videt, nisi qui te amat. Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua; sero te amavi. Væ tempori illi quando non amavi te!

XXXII

Quod tenebræ a nobis, a Deo lux nostra. Gratiarum actio ob fugatas tenebras et impertitam lucem.

Quis similis tibi in Diis, Domine? Quis similis tibi, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis et

faciens mirabilia? Sero te cognovi, lumen verum; sero te cognovi: erat autem nubes magna et tenebrosa ante oculos vanitatis meæ, ita ut videre non possem solem justitiæ et lumen veritatis. Involvebar in tenebris filius tenebrarum, tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam; cæcus eram, cæcitatem amabam, et ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit ubi eram homo cæcus in tenebris et umbra mortis? Quis accepit manum meam, ut inde me educeret? Quis est illuminator meus? Non quærebam eum, ipse quæsivit me: non invocabam eum, et ipse vocavit me. Quis est ille? Tu, Domine Deus meus, misericors et miserator, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis; tu, sancte Deus meus, quem confiteor toto corde meo, gratias agens nomini tuo. Non te quærebam, tu me quæsivisti; non te invocabam, tu me vocasti. Vocasti me nomine tuo, intonasti desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei, Fiat lux; et facta est lux, et descendit lux magna, et liquefacta est nubes tenebrosa, quæ operuerat oculos meos. Et levavi oculos meos; et vidi lucem tuam, et cognovi vocem tuam: et dixi, Vere, Domine, tu es Deus meus, et eduxisti me de tenebris et umbra mortis, et vocasti me in admirabile lumen tuum; et ecce video. Gratias tibi, Deus meus, ecce video; gratias tibi, illuminator meus. Et conversus sum, et vidi tenebras meas in quibus fueram; et contremui, et expavi: et dixi, Væ! væ tenebris meis in quibus jacui; væ! væ cæcitati illi in qua videre non poteram lumen cœli! Væ præ-

teritæ ignorantiæ, quando non cognoscebam te, Domine. Gratias tibi, illuminator et liberator meus, quoniam illuminasti me et cognovi te. Sero cognovi te, veritas antiqua; sero te cognovi, veritas æterna. Et tu eras in lumine, et ego in tenebris, et non cognoscebam te; quia illuminari non poteram sine te, et non est lux extra te.

XXXIII

Dei summa majestas. Lucis amplioris postulatio.

Sancte sanctorum, Deus inæstimabilis majestatis, Deus Deorum et Dominus dominorum, mirabilis, inenarrabilis, inexcogitabilis, quem tremunt in cœlo angelicæ Potestates, quem adorant Dominationes et Throni, et omnes Virtutes pavent a conspectu tuo, cujus potentiæ et sapientiæ non est numerus, qui fundasti mundum super nihilum, et mare colligasti in aere quasi in utre; omnipotentissime, sanctissime, fortissime, Deus spirituum universæ carnis, a cujus conspectu fugit cœlum et terra, ad cujus nutum omnia se subjiciunt elementa: te adorent et glorificent omnes creaturæ tuæ. Et ego filius ancillæ tuæ per fidem tuam flecto cervicem cordis mei sub pedibus majestatis tuæ, gratias agens quoniam dignatus es per tuam misericordiam illuminare me. Lumen verum, lumen sanctum, lumen delectabile, lumen admirabile, lumen superlaudabile, quod illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, et etiam oculos Angelorum, ecce video; gratias ago.

Ecce video lumen cœli, interlucet oculis mentis meæ radius desuper a facie luminis tui, et lætificat omnia ossa mea. O si perficeretur in me! Auge, quæso, luminis auctor, auge, quæso, quod interlucet in me; dilatetur, obsecro, dilatetur ex te. Quid est hoc quod sentio? Quis est ignis qui calefacit cor meum? Quæ est lux quæ irradiat cor meum? O ignis qui semper ardes, et nunquam extingueris, accende me! o lux quæ semper luces et nunquam offuscaris, illumina me! o utinam arderem ex te! ignis sancte, quam dulciter ardes, quam secrete luces, quam desideranter aduris! Væ his qui non ardent ex te, væ illis qui non illuminantur ex te, o lumen veridicum, illuminans omnem mundum, cujus lux implet mundum! Væ cæcis oculis qui te non vident, sol illuminans cœlum et terram; væ caligantibus oculis qui te videre non possunt; væ avertentibus oculos, ut non videant veritatem; et non avertentibus, ut non videant vanitatem! Nequeunt enim oculi tenebris assueti summæ veritatis radios intueri, nec sciunt de lumine aliquid æstimare, quorum est in tenebris habitatio. Tenebras vident, tenebras diligunt, tenebras approbant; de tenebris euntes in tenebras, nesciunt ubi corruant miseri, nesciunt quid amittunt; miseriores utique qui et sciunt quid amittunt, qui cadunt apertis oculis, et descendunt in infernum viventes. O lux beatissima, quæ non nisi a purgatissimis oculis videri potes! « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Munda me, mundans virtus, sana oculos meos, ut sanis te contempler oculis, quem non nisi sani oculi intuentur;

aufer squamas caliginis antiquæ radiis tuæ illuminationis, splendor inaccessibilis, ut te videre valeam irreverberatis obtutibus, et in lumine tuo videam lumen. Gratias tibi ago, lux mea, ecce video. Dilatetur, obsecro, Domine, visus meus ex te; revela oculos meos, ut considerem mirabilia de lege tua, qui es Deus mirabilis in sanctis tuis. Gratias tibi ago, lumen meum, ecce video, video, sed per speculum in ænigmate; sed quando facie ad faciem? Quando veniet dies lætitiæ et exsultationis, in qua ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, ut videam videntem me facie ad faciem, et satietur desiderium meum?

XXXIV

Dei ardens desiderium. Beatorum quanta felicitas. Miseria exsilii nostri, et aspiratio ad patriam.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei? O fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra deserta, invia et inaquosa, ut videam virtutem tuam et gloriam tuam, et satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio, Domine; fons vitæ, satia me: sitio, Domine, sitio Deum vivum. O quando veniam et apparebo, Domine, ante faciem tuam! Putasne videbo diem illam, diem, inquam, jucunditatis et lætitiæ; diem quam fecit Dominus, ut exsultemus et lætemur in ea? O dies præ-

clara, nesciens vesperum, non habens occasum, in qua audiam vocem laudis, vocem exsultationis et confessionis, «intra in gaudium Domini tui,» intra in gaudium sempiternum, in domum Domini Dei tui, ubi sunt magna et inscrutabilia et mirabilia, quorum non est numerus; intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiam, ubi erit omne bonum, et non erit aliquod malum; ubi erit quidquid voles, et non erit quidquid noles; ubi erit vita vitalis, dulcis et amabilis, semperque memorialis; ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra, sed summa et certa securitas, et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas, et jucunda felicitas, et felix æternitas, et æterna beatitudo, et beata Trinitas, et Trinitatis unitas, et unitatis deitas, et deitatis beata visio quæ est gaudium Domini mei! O gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Dominum meum qui habitat in te? Ibo et videbo visionem hanc grandem. Quid est quod me detinet? Heu me! quia incolatus meus prolongatus est: Heu me! quandiu dicetur mihi, Exspecta, reexspecta? Et nunc quæ est exspectatio mea? Nonne tu, Domine? Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Exspectamus Dominum quando revertatur a nuptiis, ut inducat nos ad suas nuptias. Veni, Domine, et noli tardare. Veni, Domine Jesu, veni visitare nos in pace, veni et educ vinctum hunc de carcere, ut lætemur coram te corde

perfecto. Veni, Salvator noster, veni, desideratus cunctis gentibus, ostende faciem tuam, et salvi erimus. Veni, lux mea, Redemptor meus, educ de carcere animam meam ad confitendum nomini sancto tuo. Quandiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te, Domine, et non exaudis? Audi clamantem, Domine, de hoc mari magno, et educ me ad portum felicitatis æternæ.

Felices qui de periculo maris hujus educti ad te Deum portum tutissimum pervenire meruerunt! O vere felices, qui de pelago ad littus, de exsilio ad patriam, de carcere ad palatium pervenerunt, optata jam quiete beati; quia bravium illud perpetuæ gloriæ, quod hic per multas tribulationes quæsierunt, jam felici jucunditate adepti, lætantur in perpetuum! O vere beati, o terque quaterque beati, qui jam omnium malorum exuti, securi jam de sua immarcessibili gloria ad regnum decoris pervenire meruerunt! O regnum æternum, regnum omnium sæculorum, ubi lumen indeficiens, et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, in qua sanctorum animæ requiescunt, et lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium et exsultationem obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus! O quam gloriosum est regnum in quo tecum, Domine, regnant omnes sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso! O regnum beatitudinis sempiternæ, ubi tu, Domine, spes sanctorum et diadema gloriæ, facie ad faciem videris a sanctis, lætificans eos undique in pace tua quæ exsuperat omnem sen-

sum! Ibi gaudium infinitum, lætitia sine tristitia, salus sine dolore, vita sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo. Ibi juventus nunquam senescit, ibi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi dolor nunquam sentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi triste nihil videtur, ubi lætitia semper habetur, ubi malum nullum timetur; quoniam ibi summum bonum possidetur, quod est semper videre faciem Domini virtutum. Felices igitur qui de naufraga vita præsenti ad tanta gaudia jam pervenire meruerunt.

Infelices heu nos et miseri, qui per hujus maris magni fluctus procellosasque voragines navem trahimus, ignorantes an ad portum salutis pervenire valeamus. Infelices, inquam, quorum est vita in exsilio, via in periculo, finis in dubio; nescientes finem nostrum, quia omnia in futurum reservantur incerta, et adhuc in pelagi fluctibus versamur, suspirantes ad portum. O patria nostra, patria secura, a longe te videmus. Ab hoc mari te salutamus, ab hac valle ad te suspiramus; et nitimur cum lacrymis si quo modo ad te perveniamus. Spes humani generis Christe, Deus de Deo, refugium nostrum et virtus, cujus lumen a longe inter caliginosas nebulas super maris procellas, quasi stellæ maris radius oculos nostros irradiat, ut dirigamur ad portum, guberna, Domine, navem nostram tua dextera, clavo crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempestas aquæ,

neque absorbeat nos profundum; sed virtute crucis tuæ trahe nos ab hoc pelago ad te, solamen unicum nostrum, quem a longe quasi stellam matutinam et solem justitiæ vix lacrymantibus oculis in littore cœlestis patriæ nos exspectantem videmus. En ad te clamamus redempti tui, sed et nunc exsules tui, quos pretioso sanguine redemisti. Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ et in mari longe: in mari turbulento versamur; tu in littore stans aspicis pericula nostra, salvos nos fac propter nomen tuum. Da nobis, Domine, inter Scyllam et Charibdim ita tenere medium, ut salva navi et mercibus securi perveniamus ad portum.

XXXV

De gloriæ lumine. Deum videre facie ad faciem quid. Visio hæc tota beatitudo. Interim Deum unum intendere.

Cum ergo pervenerimus ad te sapientiæ fontem, ad te lumen indeficiens, ad te lumen inexstinguibile, ut te non jam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem videamus; tunc satiabitur in bonis desiderium nostrum, quia nihil erit exterius quod desideretur. Tu, Domine, summum bonum, eris præmium beatorum, et diadema decoris eorum, et lætitia sempiterna super capita eorum, pacificans eos intus et extra in pace tua quæ exsuperat omnem sensum. Ibi videbimus, amabimus et laudabimus. Videbimus in lumine tuo lumen tuum. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Quale autem lumen? Lumen immensum, lumen incor-

poreum, incomprehensibile, lumen indeficiens, inexstinguibile et inaccessibile, lumen increatum, lumen veridicum, quod illuminat oculos Angelorum, quod lætificat juventutem sanctorum, quod est lumen luminum et fons vitæ, quod tu es, Domine, Deus meus. Tu es quippe lumen, in cujus lumine videbimus lumen : te scilicet in te, in splendore vultus tui, quoniam te videbimus facie ad faciem.

Quid est videre facie ad faciem, nisi quod ait Apostolus, cognoscere sicut et cognitus sum ? Cognoscere Trinitatem tuam, hoc est videre facie ad faciem. Cognoscere Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti clementiam, ipsius summæ Trinitatis unam et indivisam essentiam, est videre faciem Dei vivi. Hoc est summum bonum, gaudium Angelorum atque Spirituum, lætitia sempiterna, corona decoris, bravium felicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum et æternum gaudium, paradisus Dei, Jerusalem cœlestis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium æternitatis, pax Dei quæ exsuperat omnem sensum. Hæc est plena beatitudo et tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum qui fecit eum, qui salvavit eum, qui glorificavit eum. Videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. Ipse enim erit hæreditas populi sui, populi sanctorum, populi quem redemit. Ipse possessio felicitatis eorum, ipse præmium et merces exspectationis. Ero, inquit, merces tua magna nimis. Vere, Dominus Deus meus, magnus es tu nimis super omnes deos,

et merces tua magna nimis. Magnum enim magna decent. Neque enim magnus es tu, et parva merces tua : sed ut magnus es tu, magna est merces tua; quoniam non aliud tu, et aliud merces tua : sed tu ipse magnus nimis, tu ipse merces magna nimis, tu ipse coronator es et corona, tu ipse promissor es et promissio, tu remunerator es et munus, tu præmiator et præmium felicitatis æternæ. Tu ergo coronator es et corona, Deus meus, diadema spei meæ quæ ornata est gloria, lumen lætificans, lux renovans, decor adornans, spes mea magna, desiderium cordis sanctorum, et desideratus eorum. Visio ergo tua tota merces est, totum præmium, totum gaudium quod exspectamus. Hæc est vita æterna. « Hæc est, inquit Sapientia tua, hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Cum igitur videbimus te solum Deum, Deum verum, Deum vivum, omnipotentem, invisibilem, incircumscriptibilem, incomprehensibilem, et Filium tuum unigenitum, consubstantialem et coæternalem tibi Deum, Dominum nostrum Jesum Christum, quem pro salute nostra misisti in mundum, in unitate Spiritus Sancti trinum in personis, et unum in essentia, Deum sanctum solum, extra quem non est Deus; tunc habebimus quod quærimus, vitam æternam, gloriam sempiternam, quam præparasti diligentibus te, quam abscondisti timentibus te, quam daturus es quærentibus te, quærentibus faciem tuam semper.

Et tu, Domine Deus meus, formator meus ex utero

matris meæ, quæ me recommendavit manui tuæ, non me permittas amplius ex uno distrahi in multa : sed collige me de exterioribus ad me, de me ad te, ut dicat tibi semper cor meum, « Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram,» faciem Domini virtutum, in qua sola consistit tota gloria beatorum, quam videre vita æterna est, et lætitia sempiterna sanctorum. Lætetur ergo cor meum ut timeat nomen tuum, lætetur cor quærentium Dominum, sed multo magis cor invenientium. Si enim lætitia est in quærendo, qualis lætitia erit in inveniendo? Quæram ergo semper ardenter et indesinenter faciem tuam, si quo modo tandem aperiatur mihi ostium et porta justitiæ, ut intrem in gaudium Domini mei. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

XXXVI

Oratio ad Sanctam Trinitatem.

O tres coæquales et coæternæ personæ, Deus unus et verus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui solus habitas æternitatem et lucem inaccessibilem; qui fundasti terram in potentia tua, et regis orbem prudentia; sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, terribilis et fortis, justus et misericors, admirabilis, laudabilis, amabilis; unus Deus, tres personæ in una essentia; potentia, sapientia, bonitas, una et indivisa Trinitas : aperite mihi clamanti portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino. En ad ostium tuum,

summe Pater familias, mendicus pulso. Jube aperiri pulsanti, qui dixisti, «pulsate et aperietur vobis». Pulsant ad ostium tuum, Pater misericordissime, desideria rugientium præcordiorum meorum, et clamores lacrymarum oculorum meorum. Ante te est omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Et tu, Domine, non avertas faciem tuam amplius a me, nec declines in ira a servo tuo. Pater misericordiarum, audi ejulatum pupilli tui, et porrige manum tuam optimam adjutricem, ut trahat me de profundis aquarum, et de lacu miseriæ, et de luto fæcis; ne peream vidente misericordia oculorum tuorum, aspiciente clementia viscerum tuorum; sed evadam ad te Dominum Deum meum, ut videam divitias regni tui, et intuear faciem tuam semper, et laudem dicam nomini tuo sancto, Domine, qui facis mirabilia, qui cor meum lætum facis memoria tua, qui illuminas juventutem meam, et non despicis senectutem meam, sed jubilare facis omnia ossa mea, et rejuvenescere facis ut aquilæ canos meos. Omnis gloria, omnis laus, omnis virtus, omnis potentia, omnis magnificentia, omnis beatitudo, omnis clementia sit Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto. Amen.

XXXVII

Laudandi cupidus petit unde digne laudet. In Deum avolat. Angeli quam præstent nobis in Deo laudando. Precatio ardens in jugem Dei laudem.

Te decet laus, te decet hymnus, tibi omnes Angeli,

tibi cœli et universæ potestates hymnos dicunt, et laudes indesinenter concinunt, utpote creatori creaturæ, domino servi, regi milites : te sanctam et individuam Trinitatem omnis creatura magnificat, omnis spiritus laudat. Tibi sancti et humiles corde, tibi spiritus et animæ justorum, tibi omnes superni cives et cuncti beatorum spirituum ordines, gloriam et honorem suppliciter adorantes concinunt sine fine. Laudant te, Domine, illi superni cives magnifice et mirabiliter : laudet te homo, magna portio creaturæ tuæ.

Sed et ego peccator homuncio, desiderio magno laudare te cupio, amare te opto amore præcipuo. Deus meus, vita mea, fortitudo et laudatio mea, dignare me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore : ut cor meum meditetur gloriam tuam, et lingua mea tota die cantet laudes tuas. Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris, et quia vir pollutus labiis ego sum ; munda, obsecro, os meum ab omni inquinamento. Sanctifica me, sanctificator omnipotens, interius et exterius, et fac me dignum laudibus tuis. Suscipe benigne et acceptabiliter de manu cordis, de mentis amore suscipe sacrificium labiorum meorum, fiat acceptabile in conspectu tuo, et ascendat ad te in odorem suavitatis. Memoria tua sancta, dulcedo tua beatissima possideat totam animam meam, atque in invisibilium amorem rapiat eam. Transeat de visibilibus ad invisibilia, de terrenis ad cœlestia, de temporalibus ad æterna : pertranseat, et videat visionem mirabilem.

O æterna veritas, et vera charitas, et chara æternitas, tu es Deus meus: tibi suspiro nocte ac die, tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire desidero. Qui novit te, novit veritatem, novit æternitatem. Tu veritas, super omnia præsides: quem videbimus sicuti es, cum pertransierit hæc vita cæca et mortalis, in qua dicitur nobis, ubi est Deus tuus? Et ego dico, Deus meus ubi es? Respiro in te paululum, cum effundo super me animam meam in voce exsultationis et confessionis soni festivitatem celebrantis: et adhuc tristis est, quia relabitur et fit abyssus, vel quin potius sentit se adhuc esse abyssum. Dicit ei fides mea, quam accendisti in nocte ante pedes meos, quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Domino, lucerna pedibus meis verbum ejus; spera, et persevera, donec transeat nox mater iniquorum, donec transeat ira Domini, cujus fuimus aliquando filii: fuimus enim aliquando tenebræ: donec transeant istæ penitus, quarum residua adhuc trahimus in corpore propter peccatum mortuo, donec aspiret dies, et removeantur umbræ, spera in Domino. Mane astabo, et contemplabor, semperque confitebor ei. Mane astabo, et videbo salutare vultus mei, Deum meum qui vivificabit mortalia corpora nostra propter spiritum qui habitat in nobis: ut jam simus lux, dum adhuc spe salvi facti sumus, et filii lucis, et filii diei, non noctis neque tenebrarum. Fuimus enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in te, Deus noster: et tamen adhuc per fidem, necdum per speciem. Spes quæ videtur, non est spes.

Laudent te, Domine, illi populi Angelorum tuorum immortales, et glorificent nomen tuum supercœlestes Virtutes, quæ non habent opus legere hanc scripturam nostram, et cognoscere te sanctam et individuam Trinitatem. Vident enim faciem tuam semper, et ibi legunt sine syllabis temporum quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, et diligunt. Semper legunt, et nunquam præterit quod legunt. Eligendo et diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui. Non clauditur codex eorum, nec plicabitur liber eorum; quia tu ipse illis hoc es, et eris in æternum. O beatæ nimium illæ cœlorum. Virtutes quæ laudare te possunt sanctissime et purissime cum nimia dulcedine et ineffabili exsultatione ! Inde laudant, unde gaudent, quia semper vident unde gaudere valeant et laudare. Nos vero mole carnis pressi, et procul a vultu tuo in hac peregrinatione positi, atque per mundanas varietates distenti, digne laudare nequimus : per fidem enim ambulamus, necdum per speciem : illi vero angelici spiritus per speciem, non per fidem ; hæc enim causa facit ut multo aliter laudemus quam illi. Sed licet diversis modis laudes dicamus ; tu tamen unus es Deus creator omnium, cui sacrificium laudis in cœlo et in terra offertur. Perventuri tamen sumus misericordia tua ad eorum consortium, cum quibus te semper videbimus, et sine fine laudabimus.

Tribue, Domine, ut donec in hoc fragili corpore positus sum, laudet te cor meum, laudet te lingua mea : et omnia ossa mea dicant, Domine, quis similis tui ? Tu es

Deus omnipotens, quem trinum in personis, et unum in substantia deitatis colimus et adoramus, Patrem ingenitum, Filium de Patre unigenitum, de utroque procedentem et in utroque permanentem Spiritum Sanctum, sanctam et individuam Trinitatem, unum Deum omnipotentem: qui cum non essemus, potenter fecisti nos; et cum perditi fuissemus culpa nostra, pietate et bonitate tua mirabiliter recuperasti nos. Ne sinas nos esse, obsecro, ingratos tantis beneficiis, et indignos tam multis miserationibus. Te deprecor, supplico et rogo, auge fidem, auge spem, auge charitatem. Fac nos per gratiam tuam semper et in fide stabiles, et in opere efficaces; ut per fidem rectam et condigna fidei opera ad vitam te miserante perveniamus æternam: ut ibi videntes gloriam tuam sicuti est, adoremus majestatem tuam, et dicamus pariter quos dignos feceris videre immensam pulchritudinem tuam. Gloria Patri qui fecit nos, gloria Filio qui redemit nos, gloria Spiritui Sancto qui sanctificavit nos, gloria summæ et individuæ Trinitati, cujus opera inseparabilia sunt, cujus imperium sine fine manet. Te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis gloria. Tibi benedictio et claritas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIONES BEDÆ VENERABILIS.

ORATIO 1a.

Liberator animarum, mundi Redemptor, Jesu Christe, Deus æterne, Rex immortalis, supplico ego peccator immensam clementiam tuam, ut per magnam misericordiam tuam, et per modulationem psalmorum, quam ego indignus peccator decantavi, liberes animam meam de peccato. Averte cor meum de omnibus malis, pravis et perfidis cogitationibus, libera corpus meum de servitute peccati, repelle a me concupiscentiam carnalem, eripe me de omni impedimento Satanæ et ministrorum ejus visibilium et invisibilium, infidelium tuorum inimicorum quærentium animam meam. Custodi me ab his et ab omnibus malis, Salvator mundi, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas ac dominaris, Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO 2a.

Domine Deus omnipotens, adaperi cor meum, et Sancti Spiritus gratia illumina, ad petenda ea quæ sunt tuæ beneplacita voluntati. Dirige cogitationes meas et sensus ad meditanda atque tractanda, qualiter dignis moribus et actibus, cœlestis vitæ gaudia æterna merear. Dispone actus meos ad mandata tua, ut ea jugiter opere complere studeam, ut pro his etiam præmia sempiterna percipiam.

3ª. IN LAUDEM DEI ORATIO PURA.

Adesto mihi, una spes mea, Domine Deus meus. Adesto lumen verum, Pater omnipotens Deus.

Adesto, lumen de lumine et Verbum et Filius Dei, Deus omnipotens.

Adesto, Sancte Spiritus, Patris et Filii concordia, Deus omnipotens.

Adesto, Deus unus omnipotens Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Doce fidem, excita spem, infunde charitatem.

Velle mihi adjacet, sed hoc non a me, sed a te.

Mundum et terras linquere, et cœlum petere.

Sed imbecilla pluma est velle, sine subsidio tuo.

Da fidei pennas ut volem sursum ad te.

Hanc fidem in te, per te, de te confiteor.

Te unum in substantia, Trinitatem in personis confiteor.

Te semper idem esse, vivere et intelligere confiteor.

Et tres unum, et unum tres confiteor.

Pater et Filius et Spiritus Sanctus. O beata Trinitas.

Deus, Dominus, Paraclitus. O beata Trinitas.

Charitas, gratia, communicatio. O beata Trinitas.

Charitas Deus est, gratia Christus, communicatio Spiritus Sanctus. O beata Trinitas.

Verum lumen, verum ex lumine, vera illuminatio. O beata Trinitas.

Invisibilis invisibiliter, visibilis invisibiliter, invisibilis visibiliter. O beata Trinitas.

Fons, flumen, irrigatio. O beata Trinitas.

Ab uno omnia, per unum omnia, in uno omnia. O beata Trinitas.

A quo, per quem et in quo omnia. O beata Trinitas.

Vivens vita, vita a vivente, vivificator viventium. O beata Trinitas.

Unus a se, unus ab uno, unus ab ambobus. O beata Trinitas.

Unus a se, unus ab altero, unus ab utroque. O beata Trinitas.

Omne autem, omne semper in tribus, et omne omne æqualiter in singulis. O beata Trinitas.

Verus Pater, veritas Filius, veritas Spiritus Sanctus. O beata Trinitas.

Una igitur Pater, Logos, Paraclitusque substantia est. O beata Trinitas.

Una essentia, una virtus, una bonitas omnia. O beata Trinitas.

Deus beatitudo, in quo et a quo et per quem beata sunt quæcumque beata sunt. O beata Trinitas.

Deus vera et summa vita, in quo et a quo et per quem vivunt quæcumque vere summeque vivunt omnia. O beata Trinitas.

Deus bonum et pulchrum, in quo et a quo et per quem bona et pulchra sunt quæcumque bona et pulchra sunt omnia. O beata Trinitas.

Deus cui nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit. O beata Trinitas.

Deus qui petere jubes et invenire facis et pulsantibus aperis. O beata Trinitas.

Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil. O beata Trinitas.

Deus sub quo totum, in quo totum, cum quo totum. O beata Trinitas.

Te invocamus, te adoramus, te laudamus. O beata Trinitas.

Exaudi, exaudi, exaudi, ô beata Trinitas.

Spes nostra, salus nostra, honor noster. O beata Trinitas.

Auge in nobis fidem, auge spem, auge charitatem. O beata Trinitas.

Libera nos, salva nos, justifica nos. O beata Trinitas.

Miserere, Domine, quia misericordia tua liberavit nos. O beata Trinitas.

Miserere, Domine, quia misericordia tua credimus in te. O beata Trinitas.

Miserere, Domine, quia misericordia tua speramus in te. O beata Trinitas.

Miserere, Domine, quia misericordia tua amamus te. O beata Trinitas.

Te adoramus cuncti unum Deum Patrem, Filium, Sanctumque Spiritum. O beata Trinitas.

De peccatis veniam, præsta æternam vitam, dona pacem et gloriam. O beata Trinitas.

O beata et benedicta et gloriosa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. O beata Trinitas.

O beata, benedicta, gloriosa Unitas Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. O beata Trinitas.

O vera, summa, sempiterna Trinitas Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. O beata Trinitas.

O vera, summa, sempiterna Unitas, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. O beata Trinitas.

Miserere nobis, miserere nobis, miserere nobis. O beata Trinitas.

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna. Amen.

SEX FORMULÆ ORATIONIS BEDÆ VENERABILIS.

ORATIO 1ª.

Rectorem mundi Christum regem ex virgine natum, Dominum precibus peculiariter et Apostolos rogemus. Petrus mihi Apostolus aperiat januam vitæ, et Paulus prædicator gentium introducat in cœlum. Andræas virtutem tribuat ante tribunal Christi. Jacobus atro prostratro agmine, Angelorum me sinibus tradat. Joannes cum gratia me potet ab omnipotentis pectore. Philippus me lampadibus ornatum, lætum ad regem perducat. Thomas mihi organorum laudibus in ævum cantet triumphalia merita. Bartholomæus me mellifluis mandet alloquiis, ubi Angelorum amator agmina delectet secum. Jacobus

mihi Alphæus auream reddat coronam, variisque floribus gemmarum in fulgido splendescat lumine. Simon mihi monilia tribuat zelotes sancta, unde angelica celsitudo admirabilis videtur omnibus. Judas me confessis vocibus ad ineffabilem patientiam vehat, ubi Trinitas divina ternis adoratur vocibus : Patrem, et Filium, et Spiritum uno ore omnes collaudant Dominum.

ORATIO 2a.

O Jesu Nazarene, Fili Mariæ, reus tibi sum regum Regi, cujus regnum est sine fine. Deus, Domine meus, tibi sum reus mortis; esto mihi nunc patiens, qui es fortis et potens. Adjuro Dominum verum, unum semper et trinum, ut adire tantum possim sanctum Martinum. Rogo nunc Regem regum, qui est lumen divinum, ut valeam sanctum visitare Martinum. Christe Deus deorum, cujus est numen mirum, fac me lugere sanum, juxta sanctum Martinum. Viam dirige plane, o Jesu Nazarene, ut valeam pure ibi peccata flere. Mihi adjutorium erit per naufragium, Christi militis miri suffragium Martini. Volo te visitare; fac me ad te venire, qui es virtutis tantæ, o mi sancte Martine, O sancte Martine, nunc intercede, quæso, pro me dolente, male labe culparum presso. O mi sancte Martine, pro me nunc intercede, ne me contingant comæ flammæ perennis pœnæ. O mi sancte Martine, turbæ cœlorum chare, ne sim particeps pœnæ, mihi auxiliare. O sancte Martine, mihi auxiliare,

ut fruar in fine vitæ perenni pane. Gloria tibi pater, qui es frater et mater.

ORATIO 3ª.

Dominator Deus omnipotens, qui es Trinitas una, Pater in Filio, et Filius in Patre, cum Spiritu Sancto, qui es semper in omnibus, et eras ante omnia, et eris per omnia Deus benedictus in sæcula. Commendo animam meam in manus potentiæ tuæ, ut custodias eam diebus ac noctibus, horis atque momentis, miserere mei, Deus Angelorum. Dirige me Rex Archangelorum, custodi me per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per victorias Martyrum, per fidem Confessorum, qui placuerunt tibi ab initio mundi. Oret pro me sanctus Abel, qui primus coronatus est martyrio. Oret pro me sanctus Enoch, qui ambulavit cum Deo, et translatus est a mundo. Oret pro me sanctus Noe, quem Dominus servavit in diluvio propter justitiam. Roget fidelis Abraham, qui primus credidit Deo, cui reputata est fides ad justitiam. Intercedat pro me sanctus Isaac, qui fuit obediens patri usque ad mortem, in exemplum Domini nostri Jesu Christi, qui oblatus est Deo Patri pro salute mundi. Postulet pro me felix Jacob, qui vidit Angelos venientes in auxilium sibi. Oret pro me sanctus Moyses, cum quo locutus est Dominus facie ad faciem. Subveniat mihi sanctus David, quem elegisti secundum cor tuum, Domine. Deprecetur pro me sanctus Elias propheta, quem elegisti in curru igneo usque ad cœlum.

Oret pro me sanctus Eliseus, qui suscitavit mortuum post mortem. Oret pro me sanctus Isaias, cujus labia mundata sunt igni cœlesti. Adsit mihi beatus Hieremias, quem sanctificasti in utero matris. Oret pro me sanctus Ezechiel, qui vidit visiones mirabiles Dei. Deprecetur pro me electus Daniel, desiderabilis Dei, qui solvit somnium regis, et interpretatus est, et bis liberatus est de lacu leonum : et tres pueri liberati ab igne : duodecim Prophetæ, Oseas, Amos, Micheas, Joel, Abdias, Abacuc, Jonas, Nahum, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Esdras. Hos omnes invoco in auxilium meum. Assistant mihi omnes apostoli Domini nostri Jesu Christi, Petrus et Paulus, Joannes et Andræas : tres Jacobi, Philippus, Bartholomæus, Thomas et Mathæus, Barnabas et Mathias, et omnes martyres tui. Depelle a me, Domine, concupiscentiam gulæ, et da mihi virtutem abstinentiæ; fuga a me spiritum fornicationis, et da mihi amorem charitatis; exstingue cupiditatem, et da mihi voluntariam paupertatem. Cohibe iracundiam meam, et accende in me nimiam suavitatem, et charitatem Dei et proximi. Abscinde a me, Domine, tristitiam sæculi, et auge mihi gaudium spirituale. Depelle a me jactantiam mentis, et tribue mihi compunctionem cordis. Minue superbiam meam, et perfice in me humilitatem veram. Indignus ego sum, et infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus peccati, nisi gratia Domini nostri Jesu Christi; quia peccator ego sum, et innumerabilia sunt delicta mea, et non sum dignus vocari servus tuus.

Suscita in me fletum, mollifica cor meum durum et lapideum, et accende in me ignem timoris tui; quia ego sum canis mortuus, libera animam meam ab omnibus insidiis inimici, et conserva me in tua voluntate : doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus meus es tu, tibi honor et gloria, per omnia, etc.

ORATIO 4ª.

Deus meus, et Pater meus, Rex meus, Protector meus, munda me a peccatis meis, et ab iniquitate mea lava me, Domine, et salva me ; quoniam peccata multa feci coram te, et non sum dignus vocari servus tuus, propter iniquitates meas, quæ sunt innumeræ. Dimitte, Domine, debita mea, quia deprecor cum omni diligentia, et intimo cordis amore : supplico tibi, Domine, immitte veram dilectionem in cor meum, et amorem cœlestem in sensum meum, et obumbrent me misericordiæ tuæ, Domine Deus ; revoca mihi ad memoriam agonem, ut merear videre in regno cœlesti, ubi Pater regnat cum Filio et Spiritu Sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO 5ª.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti : Gabriel, esto mihi lorica, Michael, esto mihi baltheus ; Raphael, esto mihi scutum ; Uriel, esto mihi protector ; Rumiel, esto mihi defensor ; Paniel, esto mihi sanitas ; et omnes sancti ac martyres deprecor, ut juvent me apud justum judicem, ut dimittant mihi in die judicii peccata mea,

in nomine Domini nostri Jesu Christi. Oro vos et deprecor, ut me in orationibus vestris dignemini habere, ut nunquam inimicus vel adversarius nocere possit. Peccavi, Domine, coram te et coram Angelis tuis; fac cum servo tuo misericordiam tuam; tibi, Domine, justitia; tibi, Domine, misericordia. Sana me, Domine, et sanabor, quoniam salus mea tu es, et veniat oratio mea ad templum sanctum tuum; tibi honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO 6a.

Aperi mihi pulsanti januam vitæ, princeps tenebrarum non occurrat mihi, nec veniat mihi pes superbiæ, et manus extranea a te non contingat me; sed suscipe me secundum verbum tuum, et perduc me ad convivium epularum tuarum, ubi epulantur tecum omnes amici tui. Tu es Christus Filius Dei vivi, qui cum Patre tuo vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

DE SEPTEM VERBIS CHRISTI IN CRUCE.

ORATIO.

Benedictum sit dulce nomen Domini Dei nostri Jesu Christi, et dulcissimæ Virginis Mariæ matris ejus in æternum et ultra. Amen.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui septem verba

ultimo vitæ tuæ in cruce pendens dixisti, ut semper illa sanctissima verba in memoria habeamus, rogo te, per virtutem illorum septem verborum, ut mihi parcas et indulgeas, quidquid peccavi et commisi per septem peccata mortalia, vel ex eis procedentia, scilicet de superbia, avaritia, luxuria, invidia, ira, gula et acedia. Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, sicut tu dixisti, « Pater, ignosce crucifigentibus me, » fac ut ego amore tuo parcam cunctis mihi mala facientibus; et sicut tu dixisti matri tuæ, « Mulier, ecce filius tuus, » deinde dixisti discipulo tuo, « Ecce mater tua, » fac ut matri tuæ me societ amor tuus et charitas vera: et sicut tu dixisti latroni, « Hodie mecum eris in paradiso, » fac me ita vivam, ut in hora mortis dicas mihi, « Hodie mecum eris in paradiso. » Et sicut dixisti, « Heli, Heli, Lamma Sabachtani, » hoc est, « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me, » fac me dicere in omni tempore angustiæ et tribulationis meæ, Pater mi Domine, miserere mihi peccatori, rege me, Rex meus et Deus meus, qui tuo proprio sanguine me redemisti. Et sicut tu dixisti, « Sitio, » scilicet salutem animarum sanctarum, quæ in limbo erant, adventum tuum exspectantium, fac ut ego semper sitiam te diligere, fontem aquæ viventis, fontem æternæ lucis, et ut toto corde desiderem te. Et sicut tu dixisti, « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, » fac ut in hora mortis meæ perfecte et libere possim dicere tibi, « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Recipe me venientem ad te, quia non constituisti certum

tempus vitæ meæ; et sicut tu dixisti, « Consummatum est, » quod significat et dolores, quos pro nobis miseris peccatoribus susceperas, jam finiri : fac ut in egressu animæ meæ audire valeam illam dulcissimam vocem tuam : Veni anima mea dilecta, quia jam disposui penurias tuas consummare : veni ut mecum conscendas cum sanctis et electis meis in regno meo epulari, jucundari, et commorari per infinita sæcula sæculorum. Amen.

INNOCENTII III PAPÆ

DIALOGUS INTER DEUM ET PECCATOREM, QUI LEGENTIUM PIETATEM EXCITAT MORUMQUE EMENDATIONEM SUADET.

Peccator ad Deum.

Deus æterne, cujus natura bonitas, et opus misericordia est, qui etiam cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, quibus verbis digne te potero invocare ut et tu digneris invocantem misericorditer exaudire ? Scio quia Redemptor meus, Filius tuus, doctor veritatis et sapientiæ, cum ad eum diceret unus ex discipulis suis : Domine, doce me orare ; ait : Dicite : « Pater noster qui es in cœlis. » Si igitur, Domine, sic orando invocavero te, poterone percipere quod verbum illud a fideli propheta tuo probatum in me impleatur ?

Deus ad peccatorem.

Pro certo quod sic orare docuit te Filius consubstantia-

lis mihi et coæternus; sed quia tu temetipsum mihi non exhibes sicut filium, non potes in oratione prædicta digne invocare me sicut patrem. Nam ex persona mea dicit propheta : « Si ego Pater, ubi est amor meus ? » Si autem me tanquam Patrem, homo quem creavi, diligeres, mandata mea tanquam filius qui patrem diligit custodires; exhibitio enim operis, probatio est dilectionis. Sed consideranti mihi omne genus hominum et universum statum in carne viventium, rarus occurrit in prælatis et subditis, in regibus et ministris, in claustralibus et professis, in dominis et servis, in clericis et laicis, qui adimpleat meam voluntatem in exsequendis mandatis meis, et tanquam patri amorem exhibeat mihi filialem. Omnis sexus et ætas corrupit viam suam, ut eat post concupiscentias suas contemnendo universam traditionem evangelicam et doctrinam.

Peccator ad Deum.

Mirabilis facta est scientia tua, Domine, contra me, et non potero ad eam. Claudis os meum et obstruis rationibus tuis, ut ad invocationem tuam prosilire non audeam verbis orationis præfatæ. « Loquor tamen ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis, » mutabo verbum, si forte digna inveniatur invocatio mea in auribus tuis; assumam ad te invocandum illam orationem fidelis prophetæ tui David, cui perhibuisti testimonium tuum dicens : Inveni virum secundum cor meum. Sic enim orando clamabo ad te, Domine : « Miserere mei. » Et

itidem ego dixi : «Domine , miserere mei;» et alibi : «Miserere mei, Domine, et exaudi orationem meam.»

Deus ad peccatorem.

Non bene sonat hæc oratio illa in ore tuo, quia non habes me pro Domino, quia non times me sicut servus timere debet dominum suum, licet diffiteri non possis te servum meum. Ego quidem qui per prophetam dixi contra filios inobedientiæ : « Si ego Pater, ubi est amor meus?» per eumdem clamavi contra servos qui sunt sine timore : « Si ego Dominus, ubi est timor meus?» Quod autem non timeas me, vel non habeas me pro Domino, de facili tibi probo. Si enim esses in aliquo loco secreto solus cum sola muliere aliqua, quam valde diligeres, paratus et valde accensus in eam ut libidinem corporalem impleres, nonne si aliquis quem tu formidares irrumperet, statim dimitteres opus incœptum, et fugeres præ timore illius, vel saltem ne videreris ab illo præ verecundia et timore seu pudore, si posses, ad latibulum aliquod convolares? Pro me vero non dimittis vicinis oculis talia operari, cui etiam displicere, et ne facias, inhibere cognoscis? De me enim ait propheta: «Numquid Deus e vicino?» En Deus a longinquo ego sum. Numquid si absconderit se homo, ego non videbo eum? Unde magis illum quam me timere convinceris; imo illum metuere tanquam Dominum, qui similis est tibi homo mortalis et corruptibilis; et me, qui sum omnipotens et æternus, et velis nolis, Dominus tuus,

contemnere comprobaris. Non ergo digne convenit tibi ut sic invoces me dicendo, Domine, miserere.

Peccator ad Deum.

Convincis me, Domine, evidenter et concludis argumentando irrefragabiliter. Ad hoc cum loquor ad Dominum meum homo ego putredo, et filius hominis vermis, occurrit, Domine, menti meæ oratio illa peccatoris et publicani, quam tu misericors acceptasti, cum orans in templo et nolens levare oculos in cœlum, percuteret pectus suum, dicens : « Deus, propitius esto mihi peccatori. » Ipsius exemplo et similibus verbis ad te clamabo, si forte sic invocantem exaudias, et propitieris peccato meo, multum est enim.

Deus ad peccatorem.

Si Dominus Deus tuus ego sum, qui solus certe sum, omnino irrisorie ad me clamare videris, utens ad invocandum me verbis orationis prædictæ; cum aliud sit præter me quod colis ut Deum, ad quod principaliter dirigis affectum tuum. Illud enim est Deus tuus quod magis a te diligitur. Si enim avarus es, pecuniam tanquam idololatra colis et amas ut Deum. Avaritia siquidem, teste Apostolo meo, « idolorum est servitus. » Si gastrimasgus sive gulosus, venter est Deus tuus, quia de his curam habes quæ maxime ingluviem ventris incendunt. Dicitur a prædicto Apostolo : « Hi sunt quorum Deus venter eorum est. » Unde si alium Deum præter me

habes, istud scilicet vitium quod plus amas quam me, qui verus sum Deus, ad propitiandum tibi digne non invocabis me. Imo videtur quod velles irridere me, et velut ironice Deum invocare, si cultum et amorem mihi debitum alii exhibendo, ad me clamares : « Deus, propitius esto mihi peccatori ;» cum hæc stulta opinio contraria sit Scripturæ dicenti : « Deus non irridetur. » Sed tu facis sicut adultera, quæ habens ex una parte legitimum virum suum, ex alia recipit amatorem suum. Nam me qui sum sponsus tuus, tanquam meretrix impudica contemnis, et excludis thalamo animæ tuæ, ubi tecum deberem delicioso et sancto amore quiescere, quia deliciæ sunt mihi esse cum filiis hominum. Non sine injuria mea diabolum velut amatorem externum inducis ad lasciviendum cum eo in concupiscentiis et desideriis tuis. Quibus vere dicit Scriptura : « Angustum, inquit, est stratum, ita ut alter decidat. » Ideo relinquo stratum, et recessi a te, quia in fornicationibus suis alii inhærendo impudenter anima reliquit me, virum utique pubertatis suæ, cui debuerat inseparabiliter adhærere. Cæterum quando credis te posse me invocare ut respondeam tibi, cum non sim in te? Quare pertransis clausis oculis? et vim illius verbi quod ponit Propheta, scilicet : « invocabis, et Dominus exaudiet te, » non attendis? Invocare enim dicitur quasi intus orare, ad eum scilicet qui intus est vociferando clamare. Certe si sæpe pulsando clamares ad ostium alicujus domus in qua nullus esset, tota die clamare posses, et quia nemo intus esset qui te audiret,

nemo tibi clamanti, quamvis fortiter et frequenter, responderet. Sic est de me, qui cum dimiserim habitaculum animæ tuæ, a quo me exire coegisti propter immunditiam ejus, longe factus a te jam audire non possum clamorem vocis tuæ, nedum quod te debeam, donec operaris ea quæ mihi displicent, favorabiliter exaudire.

Peccator ad Deum.

Quid ergo, piissime Domine, faciam ut redeas ad me, a quo te propter iniquitates meas, proh dolor! elongasti? Ut sic intus existens respondeas invocanti, et salvus fiam, qui fueram a te derelictus, cum scriptum sit: « longe a peccatoribus salus. »

Deus ad peccatorem.

Audi Scripturæ sanctæ consilium, et si feceris illud, reduces me statim ut invocantem exaudiam te ad hospitium tuum. Habe contritionem cordis, et dole fortiter, quia offendisti me peccatis tuis; juxta quod tibi et tibi similibus ait Propheta: « Scindite corda vestra et non vestimenta vestra. » Item: « Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. » In ipsa quoque contritione propone constanter peccata tua sacerdoti veraciter confiteri, dicente propheta David: « Dixi, confitebor adversum me injustiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. » In quo potes manifeste intelligere quam magna et quam

incomparabilis sit clementia mea, quæ ad tale propositum relaxat et dolet crimina universa. Concessa vero tibi copia confiteri, dicente Propheta et clamante : «Dic tu iniquitates tuas, ut justificeris ;» id ipsum Apostolo : «Confitemini alterutrum peccata vestra.» Sed et Filius meus tanquam magni consilii Angelus venit salvum facere populum suum a peccatis eorum, confessionem, quam Apostolus suus expresse præcepit, significative et figurative mandans curatis a lepra corporali per ipsum : «Ite et ostendite vos sacerdotibus ;» per hæc innuens quod pœnitens qui conteritur cum proposito confitendi, a sordibus peccatorum, in anima tanquam spirituali lepra mundatus est ; quia cum pœnæ remanent debiti, ad confessionis sacramentum accedant humiliter, sacerdotum arbitrio se devote committant, et opere satisfaciant juxta illud quod sacerdotes mandaverint.

Peccator ad Deum.

Magna est et ineffabilis, Domine, virtus contritionis per quam tu justificas impium, et de perverso bonum mirabiliter facis. Sed ego peccator eam mereri non possum, et nisi per infusionem gratiæ tuæ non potero illam aliquatenus obtinere. Quid enim illa contritio sit nescio, sed quod solius tuæ gratiæ donum sit non ignoro, a quo tanquam a Patre luminum descendit omne datum optimum et omne donum perfectum. Cur autem, Domine, requiris a me ut per contritionem bonum me faciam, qualem me ipsum facere non possum ? Cum etiam tan-

quam reus et sordidatus eam mereri nequeam, nisi per æstimabilem gratiam misericordiæ tuæ.

Deus ad peccatorem.

Noli errare vel teipsum decipere; non enim requiro a te ut te facias bonum, qualem te scio facere non posse cum hoc sit in me; sed ut applicando liberum arbitrium tuum ad me, divina super beneficia meditando, reddas te mihi habilem. Quod si feceris, cum hoc sit in te, indubitanter gratiæ meæ recipies influxionem, quam semper de bonitate mea paratus sum dare cuilibet eam efficaciter volenti recipere; quamvis habilitas illa non de merito, sed de congruo infusionem gratiæ meæ præcedat in peccatore. Unde Augustinus: « Præcedit quoddam in peccatoribus, qui licet non justificentur, digni tamen justificationibus et habiles inveniuntur.» Sic est in eo qui clausos habet oculos, a quo nihil exigitur ut videant, nisi tantum illud quod in eo est posse facere, scilicet oculos aperire, cum exterius parata sit claritas solis, quæ protinus ad videndum apertos oculos illustrabit. Tali exemplo considera manifeste quod ad infundendum se homini divina gratia sit parata, solius habilitatis in eo requiritur congruentia per liberi arbitrii applicationem inventa.

Peccator ad Deum.

Evidenter agnosco, Domine, quod mirabiliter informat et erudit me inscrutabilis altitudo scientiæ tuæ. Meditabor ergo sollicite beneficia tua, piissime Deus, quibus

multipliciter obligasti me, dirigens intellectum meum, et applicans tenuiter prout possum sicut terra sine aqua tibi, si forte per hujusmodi cogitationes congruum me, Pater misericordiarum, invenias cui rorem gratiæ tuæ, quam non merui, dignanter infundas, cujus etiam adminiculo valeam excitatus ad bonum de commissis impietatibus meis sufficienter in corde atteri, cum proposito easdem humiliter confitendi. Quamvis hæc ipsa meditatio beneficiorum tuorum sine te menti meæ innasci non possit ex me, dicente Apostolo : « Non sumus sufficientes aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. » Verumtamen miser ego quid faciam, quia compunctus ex gratia tua propono sæpius confiteri; sed multa occurrunt mihi, quæ me impediunt et revocant ab exsecutione propositi? Primum impedimentum est verecundia magna quæ tota die contra me est, et confusio vultus mei quæ operuit me. Dispono multoties ad sacerdotem accedere, sed quia valde pudenda sunt quæ commisi, declino a tali proposito præ pudore. Multoties sacerdotem adire disposui, sed et iniquitatem meam devote revelaturus adivi, et cum pedibus ejus assisterem, stimulante me conscientia mea, irruit super me confusio repentina, et turbatus in seipso spiritus meus fluctuare cœpit et dicere : Heu quid agam? referamne scelus? poterone referre? Sicque prævalente in me verecundia mea, confessione postposita, sine medicamento salutis a pœnitentiali foro recessi, corruptæque sunt et deteriores effectæ cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ.

Deus ad peccatorem.

Stultus nimis et indiscretus argueris fore, dum sicut luna mutaris, et confiteri peccata tua præ verecundia et pudore dimittis. Laudabile est si confunderis et invadit te pudor, quando ad memoriam tuam scelera tua reducis, Jeremia propheta dicente: «Confusus sum et erubui, quia sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.» Sed cavere debes omnino, ne talis sit verecundia que te revocet a confessione peccati; quia ejusmodi confusio reatum accumulat, non diminuit, cum pœnitentem non sinit confitendo detegere quod commisit. Est confusio adducens gloriam, et est confusio adducens reatum; nam culpabilis est si confessionem excludit, laudanda si sic pudet, ut etiam confitendi comes existat, jactantiæ siquidem potius quam devotionis signum exponere sine rubore peccatum. Cur autem insipiens pudet te dicere semel, quod non puduit commisisse frequenter? Loquere tamen ante, si tentaris et dicito : Non erubescam Deo in ministro suo, qui mei similis homo mortalis est, confiteri quod non potest ab oculis majestatis suæ abscondi. Non erubescam homini reatum meum exponere in vita præsenti, quem si non detexero ei, scio fore omnibus manifestum in die judicii. Si autem hic illum revelavero, Deus illum conteget et abscondet de inæstimabili bonitate, et faciet me de numero beatorum, « quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.»

Peccator ad Deum.

Confortasti me, Domine, verbis tuis et corroborasti sermonibus sanctis, et non præ verecundia jam dimittam quando ad ministrum tuum excessus meos per confessionem revelaturus accedam. Sed aliud est, mi Domine, quod ne confitear magnum mihi præstat obstaculum, scilicet timor pœnæ. Peccavi, Domine, super numerum arenæ maris, et multiplicata sunt peccata mea; quare timeo valde ad confessionem accedere, quia si juxta quantitatem culpæ injungenda est quantitas pœnæ, tanta potero satisfactionis sarcina prægravari, quæ juxta meorum æstimationem reatuum mihi debebit imponi, quod si longissimo tempore viverem, eam explere miserrimus non valeam.

Deus ad peccatorem.

Adhuc stultitia tua non deserit, et indiscreta opinio in cor tuum ascendit. Nunquam credere debes, quod Deus præcipiat homini impossibile, vel eam tibi jubeat imponi pœnam quam tu nequeas sustinere. Vicarius meus Papa, quem ego constitui loco mei in terris judicem tuum, dolorem confitentis mitigabit attentis circumstantiis peccatorum. Et quia potestatem a me ligandi pariter et solvendi ministerio quidem non auctoritate suscepit, moderabitur pœnam juxta suæ discretionis arbitrium, et talem injunget pœnitentiam, ut per eam, me cooperante, justitiæ recipias incrementum: qui etiam tantum in te dolorem,

amaritudinem, et contritionis invenire poterit vehementiam, quod postmodum de injuncta pœna partem maximam vel forte totam de bonitate Dei præsumas relaxandam. Sed et tu, quem timor pœnæ præsentis retrahit a proposito confitendi, quare non consideras et revolvis mente, quod pœna hujus vitæ quantumcumque sit longa, brevis est respectu æternæ; quantumcumque amara, dulcis est infernali pœnæ collata. Quamobrem melius est tibi hic pœnitere, quam intolerabiliter postmodum et amarissime cruciari. Ne tibi contingat quod ait Job: « Qui timet pruinam, irruet super grando; » et qui pœnam metuit temporalem, indubitanter æternam incurret. Item « Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum. » Pœna siquidem præsens quæ cito transit et consumitur, per arma ferrea designatur, quæ per rubiginem consummantur; pœna vero æterna quæ finiri non potest, per arcum æreum, qui æs est incorruptibile significatur. Maxime tamen fructuosa sit in hoc mundo, infructuosa vero penitus, imo perniciosa pœnitentia in futuro. Illud etiam Apostoli verbum tibi debet præstare solatium, et ad sustinentiam temporalis pœnæ te fortiter animare quod dicitur: « non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. » Item hoc leve et momentaneum tribulationis nostræ, sublime pondus operatur in æternitate.

Peccator ad Deum.

Jucunda sunt, Domine, eloquia tua servo tuo, super

mel et favum ori meo dulciora, licet indignus sum altitudinem inspicere. Non dedigneris adhuc, supplico, sustinere quid modicum insipientiæ meæ. Ecce, Domine, jam non impediet in me confessionem pudor culpæ vel timor pœnæ. Sed est aliud quod retardat me modicum, imo revocat a confessione cor meum, temporalium scilicet rerum affectus vel desiderium. Considero apud meipsum et colloquor menti meæ : Si delicta mea confessus fuero sacerdoti, forsitan injunget mihi ut Hierosolymam proficiscar, vel laborem alicujus peregrinationis assumam vel saltem ut ecclesias visitem, et in eis diutius vacaturus orationes frequentem; et possem interim temporalibus lucris insistere, et acquisitionibus multis et mihi et meis hujus mundi substantiam ampliare; sed si qua penes me sint, oportebit minui potius quam augeri, donec assumpta peregrinatio valeat peragi, vel quamdiu spiritualibus exercitiis me contigerit occuppari. Quapropter utilius est mihi a confessione desistere, quam acquisitionis mundanæ studium impedire.

Deus ad peccatorem.

Vana est cogitatio illa, imo tentatio Satanæ, quæ te apprehendit. Ut autem cogitationem illam procul a te expellas, recordare quod Scriptura evangelica proclamat : « Væ prægnantibus et nutrientibus in illa die. » Prægnantes quidem sunt animæ perversæ, quæ per illicita desideria temporalium, vel alicujus iniquitatis consensum, tanquam a diabolo malitiæ semine injecto

mente concipiunt. Nutrientes vero animæ dicuntur illæ quæ terrenas delicias non desinunt per avaritiam cumulare; vel de perpetratis iniquitatibus, delectabiliter perseverantes in eis, differunt pœnitere. Veniet procul dubio mors super illos, et descendent in infernum viventes, quoniam nequitia in hospitiis et in medio mentis eorum. Certe si sane saperes, quando te ad sui concupiscentiam res istæ mundanæ sollicitant, meditari deberes quia quæcumque concupiscibilia videntur in mundo, sunt transitoria : quæ vero a Deo promittuntur, æterna; ista terrena, illa cœlestia; ista modica, illa magna; ista mentita, illa certa; ista infima, illa superna; ista minima, illa maxima; ista cum labore acquiruntur, cum timore et sollicitudine conservantur, cum dolore et angustia amittuntur. Licet autem in his acquirendis sit labor, quia « regnum cœleste vim patitur et violenti rapiunt illud, » de ipsorum tamen custodia nullo modo possessores eorum pungi possunt sollicitudinum stimulo, nec dolore torqueri de ipsorum amissione vel damnatione, quia « ibi ærugo vel tinea non demolitur, nec fures effodiunt et furantur. »

Peccator ad Deum.

Ne irascaris, Domine, si et hac vice modo, loquendi audaciam in conspectu altitudinis tuæ vilissimum figmentum ego assumo; et sicut in aliis, in eo quod propositurus sum inveniam apud abyssum sapientiæ tuæ tanquam positus in perturbatione consilium. Est adhuc

quiddam quod valde me concutit, et difficilius cæteris mihi confessionis impedimentum apponit, unde desperationem incurro ex gravi difficultate resistendi peccato. Infelix ego multoties cecidisse me memini, qui et postmodum pœnitendo, te adjuvante, surrexi, sed stare non prævalens, relapsus sum, et redii multoties in idipsum, revertens iterum atque iterum tanquam canis ad vomitum et sus ad luti volutabrum. Unde cum lubricus et instabilis tanquam cereus sim in vitium flecti, de mea stabilitate despero, et propterea penitus de confessione desisto, existimans nihil prodesse si erigor et resurgo qui sum casurus in proximo, et stare diffido brevi temporis intervallo, existimans nihilominus veniam impetrare non posse de facili, qui frequenter erectus, et frequenter ad peccatum relapsus, ingratus et indevotus invenior erigenti.

Deus ad peccatorem.

In eo quod modo proponis non tam insensatus quam insanus esse probaris. Nam recte facis si de te ipso diffidas, et fragilitatem tuam attendens, de tuis viribus non præsumens, existimes quod postquam surrexeris, de tua virtute sperare non possis. Sed de me sperare debes, quod licet infirmus et debilis sis ex te, possum tamen si de mea misericordia voluero, quamvis debilem stabilire, et quantumvis infirmum ne corruas confirmare. Cur autem de me desperes, qui nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat, qui utique misericors sum

et præstabilis super malitia? Attende quia si desperes de me, peccatum incurris irremissibile, quod est peccatum in Spiritum Sanctum; nec est peccatum huic comparabile, quia ipsum est solum quod nec in hoc sæculo neque in futuro creditur remittendum. Attende, quia, si de me desperes, tanto gravius me offendis quanto clementius potentiam meam exstinguere, et meam mihi benignitatem, quam non ex accidentali dono, sed naturalem habeo, auferre conatus sis, et omnipotentiam meam a me interim separare. Ego enim sum cui dicitur : « Deus cui proprium est misereri semper et parcere. » Ego ad quem congregatio fidelium clamat : « Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas. » Cur, infelix, de me debeas desperare qui gaudium mihi reputo et Angelis meis super uno peccatore pœnitentiam agente; qui et nonaginta novem ovibus in deserto relictis, misi pastorem earum ut unam perditam quæreret, inventam portaret in humeris suis; qui filium prodigum revertentem lætanter excepi, stolam primam et annulum ei dedi, et faciens ei grande convivium pro eo, vitulum saginatum occidi. Ego sum qui tanquam mater filiis etiam delinquentibus viscera pietatis aperio; qui offendentes me multoties usque ad finem vitæ sustineo, et punire differens ut pœniteant patienter exspecto. De me siquidem propheta clamat dicens : « Audite, domus Jacob et residuum Israel, quoniam portamini a meo utero, et gestamini a mea vulva; ego feci, et ego feram, et usque ad canos ego portabo. » Cur de me

debeas desperare qui postquam creavi hominem, ut facerem eum gloriæ meæ participem, ex nimia charitate qua eum dilexi, unigenitum meum in mundum misi, qui eum venundatum sub peccato non corruptibilibus auro et argento redemit, sed pretioso sanguine suo quem pro eo abunde effudit? Scito et videto qui renuis confiteri, pro eo quod ipsa eadem, quæ sæpe confessus es, nimis iterans, vias tuas viliter corrupisti; quia cum malum sit et amarum reliquisse te Dominum Deum tuum, longe deterius revelatur perseverare in malo, et ipsius amore postposito, elongare te jugiter et avertere vultum tuum ab eo. Quare non consideras tu quod sæpius cadis, et sæpius surgis, quod minus malum cadere sit alternatim et surgere, quam in peccato continuo permanere? Potest enim ex Dei benignitate quando sic surgis, in bono statu temporali te mors intercipere ut salveris. Si vero permanens in peccato perversus fueris in fine vitæ tuæ repertus, procul dubio deportaberis ad æterna supplicia condemnandus; quia, dicente Scriptura, judicat Dominus fines terræ et finalia opera; et arbor si ad aquilonem vel ad austrum ceciderit, prius ut reor eligeret ab ipso luto extrahi, et inde postea cadere, quam in illo jugiter permanere. Sic etiam qui laborat aliqua febre, nonne gravius reputaretur eam pati continue, quam ab ea interpolatim vexari? Ita et tu duobus malis propositis, scilicet cadere in peccatum et surgere consequenter ab eo, vel irregressibiliter et irreverenter perseverare in malo, potius debes fugere secundum quam primum.

Noli ergo tanquam diffidens et desperans de Deo, te a confessione retrahere, sed quoties miseriam pateris ea quæ confessus es iterum committendo, tu nihilominus eadem iterum confitere. Nam sicut aqua vestimentum, quod sæpius inquinatur, quandocumque illud abluit, mundat a sordibus et efficit quasi novum; sic et confessio quoties ad eam recurritur, restituit animæ eum, quem amittit decorem ex reiteratione peccati, munditiæ candidatum. Te autem confitente peccatum, et expulso ab anima tua veneno nequitiæ per confessionis antidotum, statim ad eam regrediar tanquam ad domum meam unde prius exivi. Et ex tunc si me invocaveris, exaudiam te, et tanquam intus habitans sine mora respondebo clamanti.

Peccator ad Deum.

Domine Deus salutis meæ, verba sunt vitæ æternæ, quæ loqueris, et salutaria monita quæ hortaris. Adjutus ergo a te requiram devote ministrum tuum, et effundam coram illo sicut aquam cor meum, aperiam in conspectu ejus labia mea locuturus in amaritudine animæ meæ. Sicut qui digitum ingerit gutturi suo, scrutabor scrutinio conscientiam meam et non desistam, donec evomam illam amaram super absinthium et fel, quæ latet intrinsecus, meorum saniem peccatorum; ut sic evomita foris et ejecta putredine, cujus fetor abominabilis te relinquere fecerat mentis meæ hospitium, cum inæstimabili fragrantia unguentorum tuorum clementer in illud

regredi et inhabitare digneris, juxta sanctum et ineffabile tuum promissum; qui es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIONES SANCTO BERNARDO ADSCRIPTÆ

PRO ANIMA DE SE HUMILITER SENTIENTE ET INFIRMITATES SUAS CUM GEMITIBUS INENARRABILIBUS DEPLORANTE.

I

Deplorat homo coram Deo miserias suas, inquietudines cordis, et ad mala propensionem.

Audi, piissime Deus, confessionem meam; et respice ad pietatem tuam, et fac mecum secundum misericordiam tuam. Audi quam sæpe de memoria mea te expulit irruens turba plurimarum cogitationum, quæ velut plebs ad aliquod spectaculum solent effluere in cor meum. Dum orare vel cantare in monasterio volo, nescio cujusmodi stulta cogitatio cor meum rapit, et ducit per diversa loca. Cumque illud ad me revoco, tenere non possum, sed illico elabitur, et huc illucque dispergitur, et per innumera effunditur. Idcirco crebra terrenarum cupiditatum illecebra, et vanitatum effusio ita cor meum occupant, ut quod vitare studeam, hoc cogitem, animoque volvam. Non enim est in potestate mea cor meum et cogitationes meæ, quæ ex improviso effusæ mentem meam animumque confundunt, atque alio trahunt quam ego proposueram. Ad sæcularia revocant, mundana infe-

runt, voluptaria ingerunt, illecebrosa contexunt : ipsoque in tempore quo levare mentem meam ad te paro, inanibus cogitationibus infectus, ad terrena plerumque dejicior. Hujusmodi perstrepentium cogitationum tumultus a corde quotidie amovere volo, nec valeo : sed visa et audita, dicta et facta ad memoriam revocant, et in ea cum magna importunitate perstrepunt. Cogitanda cogito, cogitata recogito, et eadem iterum atque iterum replicare non cesso : et cum diu multumque quidquid potero cogitavero, sine cogitationibus esse non possum, sed intrant et exeunt, atque aliæ alias introducunt et excludunt. Hæc invitus sustineo; plerumque tamen consentio, cum per ea quæ vidi, vel feci, sine utilitate, absque discretione, vaga mente discurro. Ita mens mea semper mobilis, et nunquam stabilis, semper vaga et velut ebria, per diversa distrahitur. Graviter pecco, cum cor meum derelinquo; quoniam gravis jactura est quæ per negligentiam fit. Vim patior cum illud me deserit. Confirma cor meum, Deus, quoniam cum stare in semetipso nititur, aliquo modo a semetipso etiam nesciendo derivatur. Ita peccandi consuetudine etiam cum nescio pecco : et cor meum, cor vanum, per infinita deducitur, et in multa desideria dividitur.

In nocte vero cum dormire volo, multarum rerum imagines et phantasias clausis oculis video, easque invitus tolero : quantoque ab eis aciem mentis avertere nitor, tanto amplius illæ se mihi ingerunt, et molestiis turpium cogitationum cor meum maculant. Inde est quod

sæpe mihi nocuit mortifera delectatio, quæ ex recordatione præteritorum peccatorum nasci solet, sed maxime ex recordatione libidinis. Hæc enim pestis quo præ cæteris vitiis est mihi familior, eo ad nocendum proclivior, et ad repellendum difficilior. Nam cum eam repellere volo, nolenti mihi se ingerit, blande onerosa, displicendo placens, et placendo displicens. Carnis libidinem nunquam fugere potui, sed semper me persequitur, et cum aliqua delectationis cogitatione, vel visus intentione me comprehendere potest, non diebus neque noctibus requiescere sinit. Subtiliter intrat, et mentem occupat, et nisi subito repellatur, allicit et incendit, et quasi virus pestilentiæ per totum corpus paulatim se diffundit. Cogitationes pravas multiplicat, affectiones malas generat, delectatione illicita mentem afficit, et ad consensum pravitatis animum inflectit, omnesque animæ virtutes corrumpit. Hac peste cum astrictus teneor, divelli ab ea vix possum, quoniam stimulos ejus confiteri aut nescio, aut erubesco; tam subtiles et turpes sunt. Revera difficile est libidinis incendia exstinguere. Impuberes stimulat, juvenes inflammat, viros enervat, senes et decrepitos fatigat. Non aspernatur tuguria, non reveretur palatia. Utinam sola cœnobia fugiat. Adjuva me, Domine Deus meus, ut huic tam pestifero et mortifero vitio resistere possim. Scio enim quia quod resistentem fatigat, vincentem coronat. Scio etiam quoniam si mentem meam cogitatione immunda polluero, tibi, qui munditiæ auctor es, placere non valeo.

II

Pergit accusare et deplorare miserias suas circa cogitationes amarulentas, abusum membrorum, et rerum exteriorum ad vitæ usum spectantium.

Cor mundum crea in me, Deus, quoniam non solum vana cogitatio illud occupat, et turpis inquinat, verum etiam amara dissipat. Sæpe namque aliqua injuria commotus, densis cogitationum tumultibus in corde premor. Hinc inde sollicitus et cæcus, occasionem vindictæ de accepta injuria rimor, consilia multiplico, et nihil aliud nisi jurgia quæ foris desunt, in corde perago. Præsentes non video, absentibus contradico, intra memetipsum contumelias profero et recipio, receptis autem durius respondeo. Cumque qui obviet nullus adsit, rixas in corde compono, insidias invidentium considero, et quid contra jurgia movere possint penso : exquiro quid respondeam, et cum rem nullam teneam, vacuus litigator elaboro. Sicque diem in otium, noctem vero in cogitationem verso. Torpeo ab utili opere, quoniam fatigor illicita cogitatione. Ita mens intus pugnat, cum menti nemo repugnat. Nonnunquam vero quod egi in corpore, hoc postmodum importuna cogitatione verso in mente: et multoties gravius torqueor in recordatione, quam prius captus fueram in operis perpetratione. Sæpe etiam ea quæ nunquam feci, nec in voluntate habui, ita recogito, quasi pœniteat me illa non fecisse. Ab occultis meis munda me, Domine; quoniam cum nihil exterius ago,

intus graviter pecco. In corde enim servo depicta, quæ vidi et feci. Ideo temporalium rerum tumultus in corde versare non cesso, etiam cum vaco. In cogitatione enim comedo, cum jejuno: loquor, cum taceo: irascor, et tranquillus sum: corpus requiescit, et animus huc illucque discurrit.

Ita vitam istam sine culpa nunquam transire potui : nec hoc quidem quod laudabiliter vixi, si remota pietate discutiatur. De necessitatibus meis eripe me, Domine. Crebro namque dum necessitatis debita reddere studeo, voluptatis vitio deservio : sub velamine necessitatis, cado in laqueum voluptatis. Sæpissime namque comedi et bibi non ad necessitatem, sed ad voluptatem : et quod necessitati satis erat, voluptati parum erat. Cogitavi etiam de cibo et potu, quando non debui, et plus quam debui. Cogitando de escis, epulas in cogitatione tota die ruminabam. Cum tegendis membris vestimenta quæro, non solum quæ tegant, sed quæ extollant, expeto : et contra frigoris torporem, non solum quæro quæ muniant per pinguedinem, sed quæ mulceant per mollitiem : non solum quæ per mollitiem tactum mulceant, sed quæ per colorem oculos seducant. Cum pro aliqua necessitate licentiam loquendi alicui habui, locutus sum non solum de necessariis, verum etiam de non necessariis, et de his quæ ad me non pertinebant, et de quibus licentiam non habebam. Immersi me colloquiis hominum. Ibi locutus sum non ad ædificationem, sed ad destructionem; non quod decebat, sed quod libebat : locutus

verba vana et risui apta, verba otiosa et inutilia. Verbositati deserviens, detractioni studens, os meum mendacio et detractione inquinavi. Lingua mea omni fallacia plena est, et nocuit mihi plus quam omnia membra. Nam ea quæ audivi vel vidi, nunquam eo modo quo dicta vel facta sunt, referre possum : sed alia affirmo pro aliis, et sæpe multa intersero superflua; atque ita vel nimium laudando, vel vituperando, fere quoties loquor, mentior.

Guttur insatiabili ardet gluvie : gula diversis saporibus satiari non potest. Cor pravum, dolo et malitia plenum, per puram confessionem purgare nunquam potui. Manus ad opus pravum fuerunt paratæ, et ad operandum bonum pigræ. Stomachus et intestina nimio cibo et potu sæpe sunt distenta, et ideo dolore sunt plena. Nam unde gula delectatur, inde venter inflatur, corpus infirmatur, et sæpe mors sequitur. Per gulæ delectationem corrui in ventris ingluviem : et unde debui mihi parare salutem, inde contraxi nimium comedendo perniciem. Pedes velocius me portaverunt ad aliquam curiositatem speculandam, quam ad ecclesiam. Oculi iniquo intuitu me perverterunt, omnemque motum corporis mei ad immunda desideria traxerunt. Aures citius aperui verbis otiosis et vanis, quam sanctis. Delectatus est odoratus vanis odoribus; gustus, diversarum rerum diversis saporibus : nec non singuli alii sensus, his et illis, juxta quod cuique suus ferebat appetitus. Ita, Deus meus, in omnibus membris meis naturæ modum excessi. Omnia membra mea

velut conjuratione facta inimico meo dominium tradidere, cum morte fœdus iniere, pactum pepigere cum inferno.

III

Ulterior accusatio propriæ iniquitatis, præsertim circa vitium invidiæ, odii, jactantiæ, etc.

Eripe me, Domine, ab homine malo, id est a me ipso; a quo recedere non possum. Nam quocumque me verto, vitia mea me sequuntur : ubicumque vado, conscientia mea non me deserit, sed præsens assistit, et quidquid facio, scribit. Idcirco quanquam humana subterfugiam judicia, judicium propriæ conscientiæ fugere non valeo. Et si hominibus celo quod egi, mihi tamen, qui novi malum quod gessi, celare nequeo. Proprii reatus conscientia non me requiescere sinit, sed de die in diem vehementer me torquet, et de die judicii vehementius terret. Nam in die illa cum Dominus ad judicium venerit, uniuscujusque conscientia ad testimonium adducetur, et aperto libro conscientiæ, omnis culpa ante oculos reducetur : atque ita cogente conscientia, unusquisque erit accusator et judex suus. Propterea statuam me ante me, et judicabo meipsum, ut illius extremæ et tremendæ diei judicium evadere possim. Damnat me conscientia mea, quanquam divinum judicium nondum me damnet. Accusat me de homicidio, quod, si opere non feci, voluntate tamen ac desiderio sæpe peregi. Accusat me de adulterio, et eodem modo respondeo. Accusat me de invidia; confiteor et ego, quoniam invidia sæpissime cor meum lania-

vit. Per invidiam namque, sancte viventium merita, mea feci invidendo peccata. Nam bona quæ ab eis fieri, vel dici audiebam, vera omnino non credebam : ipsas res bene gestas, in malum male interpretando convertebam. Omne malum quod de illis mendax fama jactabat, statim tanquam si ego vidissem, credebam. Omnia mala meis æmulis fingebam, et ex profectu eorum deficiebam. Hæc vero odia intra me abscondebam, et in meos cruciatus enutriebam. Proficientibus invidebam, peccantibus favebam, de malis eorum gaudebam, et de profectibus lugebam.

Gratuitis inimicitiis ardebam, et hanc malitiam mei pectoris deprehendi timebam. Semper eram ei amarus, et nunquam certus: et ita amicus eram diaboli, et inimicus mei. Inter amicos discordias seminavi, discordantes in dissensione confirmavi, opiniones eorum mendaciis decoloravi, in spiritualibus carnalia laudavi, ut spiritualia bona eis deesse persuaderem. Amicitias simulavi, ut eos qui se incaute mihi committebant, qua possem arte deciperem. Odiorum mihi occasionem pravis suspicionibus coacervavi; et ita dæmones, quorum facta sectabar, lætificavi. Multis velut amicus fui in obsequio, hostis in anima, comptus in verbo, turpis in facto. Proditor fui secretorum, tenax malarum suspicionum, utrobique perversus. Et ita persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam. Piissime Domine, unde possum esse bonus qui in bono sic fui malus? Ego peccabam, et tu dissimulabas: prolongabam multo tempore

iniquitatem meam, et tu pietatem tuam; quia pœnitentiam et indulgentiam cogitabas. Da ergo misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso. Credo namque quoniam quidquid mihi condonare decreveris, sic erit quasi nunquam fuerit.

Non solum invidia cor meum afflixit, veram etiam vanitas circa varias delectationes languentem animum involvit. Per vanitatem namque de operibus, quorum mihi conscius non eram, turpiter me jactavi. Gestiebam etiam docere quæ nesciebam. Credi de me sublimia volebam, delectabilia gravibus anteponebam, exsecrabar quod animo concupiscebam, apellationes virtutum meis vitiis, et ita me ipsum fallebam, et faventes mihi decipiebam. In promissione honesta fui velox, in exhibitione mendax; a bono mutabilis, mali tenax; in verbo gravis, animo turpis, ubique fallax; lætus ad prospera, fragilis ad adversa; inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta. Misericordissime Domine, ita defecerunt in vanitate dies mei, in quibus debui flere commissam iniquitatem, excitare remissam voluntatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, properare ad angelicam societatem, repropitiari tuam majestatem.

IV

Adhuc gemit et plangit coram Deo miserias ac vitia sua.

Terret me tota vita mea, Deus meus, quoniam dili-

genter discussa apparet mihi aut peccatum, aut sterilitas: et si quid fructus in ea videtur, sic est aut simulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, ut possit aut non placere, aut displicere tibi. Et cum vere ita res sit, sic est mihi quasi non ita sit: quod est miseria super miseriam. Sic comedo, bibo, et dormio securus, quasi jam transierim diem mortis, et evaserim diem judicii et tormenta inferni. Sic ludo et rideo, quasi jam regnem tecum in regno tuo. Idcirco multitudinem iniquitatum mearum expavescens, sed de tua pietate confidens, tibi Creatori et Redemptori meo, qui veniam et indulgentiam post reatum per puram et lacrymabilem confessionem assequi promisisti, confiteor, quoniam in peccatis conceptus sum, et in peccatis nutritus; et per omne tempus vitæ meæ usque ad hanc diem in peccatis sum conversatus. Nullum invenio peccatum, a quo non sim aliquo modo iniquinatus. Per superbiam namque præcepta tua et seniorum meorum transgressus sum. Silentium et taciturnitatem, sicut regula docet, non tenui. Quod mihi licitum non fuit, habui, dedi, et accepi. Clamores pauperum et miserorum non libenter aut misericorditer audivi, nec eos in infirmitatibus suis visitavi. Suadentibus mihi in malum consensi. Facilius multa in imo, quam unum in summo cogito; facilius reprehendo aliorum vitia quam mea: et quod in aliis reprehendo facere non erubesco. Facilius uniuscujusque vitia quam virtutes intendo. Cum aliorum delicta cerno, mea non aspicio. In meis delictis sum clemens, in alienis rigorem

tenere volo. Ad irrogandas contumelias sum validus, ad tolerandas infirmus; ad obediendum piger, ad lacessendos vero alios importunus; ad ea quæ facere et debeo, et valeo, torpens, ad ea vero quæ facere nec debeo, nec valeo, paratus. Ita repleta est malis anima mea, peccatis meis exigentibus.

In ecclesia me deteriorem reperio; ante altaria sacra devote non supplico; vasa sacra non reverenter tracto: in choro sum corpore, et in aliquo negotio mente. Nunc intus maneo, nunc foras exeo: tanta est levitas corporis, necnon et mentis. Aliud canto, et aliud cogito. Psalmodiæ verba profero, et psalmodiæ sensum non attendo: sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, huc et illuc prospiciens; quæcumque ibi geruntur, perlustro et perspicio. Væ mihi! quoniam ibi pecco, ubi peccata emendare debeo. Nonnunquam vero in ipsis bonis quæ ago, ad deterius propinquo; quia dum menti lætitiam pariunt, et quamdam securitatem gignunt, mens mea secura redditur, et in torpore laxatur. Sæpe etiam meipsum et opera quæ feceram laudavi, et ab aliis laudari volui. Plerumque laus humana, quam non quærebam, mihi oblata placuit: et cum ex ea incaute extollerer, subito multa quæ feceram ad memoriam venerunt, ut amplius in admiratione attollerer. Quæ subtiliter replicans atque in unum cuncta coacervans, cœpi magis magisque deceptus intumescere. Dumque in mei admiratione occupatus defigerer, mihi dans gloriam, et non Deo a quo omnia acceperam, omnium fructum amisi: atque ita

didici quoniam qui me laudabant, adversum me jurabant. Quanto enim quisque in semetipso gloriatur, tanto a Dei amore disjungitur.

Ita, Deus meus, inferno appropinquavit vita mea. Si me liberabis, habebo unde tibi gratias agam : si inde non liberabis, non habebo unde te reprehendam, quoniam justus es. Heu mihi ! qualis vixi ! Quanta mala feci, et dixi ! Pudet qui sic vixerim, et quod natus fuerim. Mallem non esse, quam talis esse. Bonus eram, et malum me feci : utique qui sponte me feci miserum, justum est semper esse miserum. Conscientia mea meretur damnationem; pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem : sed certum est quoniam misericordia tua delet omnem offensionem. Dele ergo, pie Domine, iniquitatem meam multitudine miserationum tuarum. Ego vero qui usque ad hanc diem sine causa vixi, amodo sine causa vivere nolo.

Sed heu miser ! hæc tam sæpe sic confessus; surgens, cadens sum defessus : repeccando toties, confitendo toties. Multoties promisi me emendare ; et nunquam tenui, sed semper ad peccatum redii, et prioribus sceleribus nova et deteriora conjunxi. Nunquam, ut debui, mores meos in melius mutavi; nec a malefactis recessi. Plurimos etiam, me perdens, peccare feci, et multis causa mali exstiti : et exemplis vitæ meæ nonnulli subversi sunt. Ecce peccata mea, misericordissime Deus, non abscondo, sed ostendo; accuso me, non excuso ; quoniam iniquitatem meam cognosco. Nec idcirco justus sum : quoniam si

alter ita me accusaret, sicut ego meipsum accuso, patienter sustinere non possem. Desperare utique potuissem propter nimia peccata et vitia, culpas et infinitas negligentias meas, quæ egi, et quotidie indesinenter ago corde, ore, opere, et omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare potest; nisi Verbum tuum, Deus, caro fieret, et habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo, quoniam subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum; et affigens illud cruci, peccatum crucifixit et mortem. Gratias tibi ago, Domine Deus meus, quoniam visitasti me, et ostendisti mihi peccata mea. Nunc primum te inspirante didici ad cor meum redire, et meipsum cognoscere.

Advocabo ergo aliquem de amicis tuis, et ei omnia delicta mea exponam, sicut mihi præcepisti; ut ejus consilio et auxilio ab omnibus meis possim iniquitatibus liberari et tibi reconciliari.

V

Confessio coram Deo.

Audi ergo, Pater, miserum peccatorem : audi vocem lacrymantis et pœnitentis : attende quam graviter peccavi, et Creatorem meum offendi. Deo jubente ad cor meum redii; et inde exclusis omnibus præter Dominum Deum et meipsum, totam vitam meam discussi tanto diligentius, quanto familiarius; et ut verum fatear, nihil aliud ibi inveni, nisi locum horroris, et vastæ solitu-

dinis; conscientiam videlicet diu neglectam, omnino incultam, spinis et tribulis obsitam, et omni horrore plenam. Nullum enim invenio vitium, a quo non traxerim aliquod contagium. Turbavit me ira, laceravit me invidia, inflavit superbia. Inde contraxi mentis inconstantiam, oris scurrilitatem, opprobria proximorum, scelera detractionum, linguæ effrenationem. Seniorum meorum imperia non servavi, sed judicavi : de meis negligentiis objurgatus, aut rebellis fui, aut murmuravi; præferri me melioribus impudenter affectavi; simplicitatem spiritualium fratrum irridenter exagitavi; meas sententias procaciter jactavi; obsequia delata fastidivi, negata quæsivi; juniores meos elatus despexi. Non observavi in obsequio reverentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam. Habui in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in sermocinatione jactantiam. In humilitate fui fallax, in odio pertinax, in jocatione mordax. Subjectionis impatiens, potentiæ sectator, ad opus bonum piger, ad unitatem ferus, ad obsequium durus; ad loquendum quæ nesciebam promptus, ad supplantandum paratus, fraternæ societati inhumanus. Temerarius in judicando, clamosus in loquendo, fastidiosus in audiendo, præsumptuosus in docendo, effrenatus deformiter in cachinnando : onerosus amicis, infestus quietis, ingratus beneficis, inflatus obsequiis, et imperiosus subjectis. Sæpe jactavi me fecisse quod non feceram, vidisse quod non videram, dixisse quod non dixeram. Dissimulavi etiam me non fecisse quod feceram; negavi me

dixisse quod dixeram, non vidisse et audisse quod videram et audieram : et ita ex omni parte sum reus. Reus in sæculo, reus in claustro : sed ibi per ignorantiam, hic per negligentiam; et utrumque me terret.

Verumtamen multo amplius terret me, quod in monasterio ante conspectum Dei deteriorem me invenio. Collocavit me Deus in loco voluptatis, in domo ubertatis, in paradiso deliciarum; ego vero miser et miserabilis, inter mensas epulantium fame pereo, juxta fontem sitio, ante ignem algeo, et ad neutrum manus extendere volo, tam piger sum et desidiosus. Ita tempus amitto quod Deus mihi sua pietate indulserat ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam , ad promerendam gloriam. Quasi quoddam monstrum inter filios Dei sto , habitum monachi, non conversationem habens. In magna corona, et ampla cuculla, salva mihi omnia existimo. Tanquam arbor sterilis terram occupo , et velut jumentum vile, plus consumo quam proficio. Altiorem alterius locum teneo, et nullius officium suppleo : sed sum sicut truncus sine frondibus et fructibus. Alii me pascunt de laboribus manuum suarum, sicut præbendarium suum. Ego autem tanquam pauper et miser, nec clericum, nec laicum gero. Cantare namque et legere nequeo, laborare nescio : Sed sum opprobrium hominum, pecore vilior, cadavere pejor. Tolerabilius enim canis putridus fetet hominibus, quam anima peccatrix Deo. Idcirco tædet me vivere : vivere erubesco, quia parum proficio. Mori timeo, quo-

niam non sum paratus : malo tamen mori, et misericordiæ Dei me committere et commendare, quia benignus et misericors est, quam de mala mea conversatione alicui scandalum facere. Tota namque die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me, cum video me somnolentum ad vigilias, tardum ad horas canonicas, et pigrum ad opera manuum. Alios autem video tam strenue et devote divinis interesse laudibus; alios vero ita reverenter et alacriter coram Deo assistere, et eum laudare : ego autem compungi ad lacrymas nequeo; tanta est duritia cordis mei. Cantare non libet; orare non delectat; meditationes sanctas non invenio : tanta est sterilitas animæ meæ, et devotionis inopia quam patior.

Heu mihi! omnes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Nam alium quidem intueor singularis abstinentiæ; alium admirandæ patientiæ; alium summæ humilitatis et mansuetudinis; alium multæ misericordiæ et pietatis : illum in contemplatione frequenter excedere; hunc, pulsare et penetrare cœlos orationis instantia; aliosque, in aliis præeminere virtutibus. Omnes considero et prospicio ferventes, omnes devotos, omnes in Christo unanimes, omnes donis cœlestibus et gratia affluentes, tanquam revera spirituales homines, quos Deus visitat, et in quibus habitat. In me vero nihil horum invenio; quoniam declinavit Dominus in ira a servo suo. Inde est quod, cum alii vigilant, ego dormio; quando alii cantant in monasterio, ego huc et illuc dis-

curro : quando alii in aliquo secreto loco se furantur a colloquiis hominum, ut ibi loquantur cum rege Angelorum, ego quæro colloquia hominum : cum alii vacant lectionibus, ego fabulis et verbis otiosis : quando alii discutiunt et dijudicant semetipsos, ego judico alios. Aliis placet communis vita, communis disciplina, et commune studium : et mihi placent anguli et diverticula. Sic, sic ex quo peccare potui, nunquam a peccatis et malis operibus cessavi. Peccatis peccata semper accumulavi ; et peccata quæ aliquando operibus implere non potui, malis voluntatibus et malis desideriis nunquam perficere cessavi.

Super omnia mala delectatio carnis, quæ ab ipsis cunabulis semper mecum crevit, mihi semper adhæsit, nec adhuc jam præ senectute deficientibus membris me deserit, multis et variis modis infelicem animam meam maculavit, dissolvit, captivavit, et omni virtute destitutam, inanem et debilem reddidit. Fateor hujus operis nefarii immundis recordationibus me sæpe esse commotum et incensum, ardores non modicos et inhonestos passum : et non solum mearum delectationum mala memoria et stultæ recordationes mihi nocuere ; sed etiam aliorum malefacta mihi narrata, et per recordationes sordidas ad memoriam reducta, cor meum non parvo veneno iniquitatis maculavere. Et in hoc miserabiliter miserabilis sum, quia non tantum doleo quantum dolendum me cognosco ; sed sic securus torpeo, velut quid patiar ignorem.

Hoc vero mihi est omni infelicitate miserius, quod ita opere perversus, ore pollutus, corde immundus ad altare accedo, et Christi corpus manibus meis pertractare non pertimesco. Accedo elatus ad humilem, iratus ad mitem, crudelis ad misericordem : et tamen patitur humilis elatum, mitis iratum, crudelem misericors. Accedo servus ad Dominum, non amore, sed timore; non devotione, sed usu. Accedo ad Dominum cujus percussi servum. Ad Patrem accedo, cujus occidi filium; percussi verbo, occidi exemplo : nec tamen pertimesco Dominum, nec revereor Patrem. Manens in turba fratrum, turbans aliquos, et ab aliquo turbatus, quandoque accedo ad pacificum. Appropinquo etiam talis ad osculum pacis, qui prius reconciliatus accedere debuissem ad osculum turbati fratris. Convincit me reum et Dei inimicum mea iniquitas; peccatum meum sæpe separavit me a Deo. Idcirco obsecro te, pater, ut me instruas, quomodo possim, aut semper stare cum Deo meo, aut redire, cum ab eo, peccatis meis exigentibus, motus fuero.

VI

De cordis instabilitate confessio pœnitentis, et responsio.

Solus solitudinem cordis mei ingredior, et cum corde meo paulisper confabulor, ab ipso quærens de ipso et de his quæ circa ipsum sunt. Cor meum, cor pravum, vanum et vagum, omni volubilitate volubilius : de uno in aliud vago incessu transit, quærens requiem ubi non est. In omnibus enim quæ videntur, requiem quæ-

sivi, et veram requiem in eis invenire non potui. Deinde rediens ad me, consistere in me ipso non possum : quoniam mens mea valde levis, multumque instabilis, vaga et profuga, ubique se variat, undique fluctuat; quia vult et non vult pigra, consilia mutat, voluntates alternat, similis folio quod a vento movetur et circumfertur. Inde est quod cogitationes meæ vanæ et importunæ me trahunt, et ducunt modo ad forum, modo ad litigia altercantium, nunc ad convivia pinguium, nunc ad immunda libidinum. Modo sordida titillatione caro inflammatur; nunc vero fœda cogitatione animus sordidatur : et cum confusionis meæ caliginem declinare volo, non valeo. Sic, sic dum me diligenter inspicio, tolerare me ipsum non possum. Non est enim hora diei, nec momentum temporis, quo Creatorem meum in aliquo non offendam, et imaginem suam in me aliquo modo non obfuscem. Vitam meam cum diligenter exploro, quotidiana confessione confiteri non possum pessima vitiorum germina, quæ in me quotidie repullulant. Ecce audisti, pater, abominationes meas malas et pessimas; et adhuc scias multa pejora et iniquiora in angulis cordis mei latere, quæ ad lucem veræ confessionis venire erubesco.

Cum per pravas ineptasque cogitationes vaga mente discurris, deceptoriis spiritibus tentandi aditum in te aperis. Et ita te a Deo separas, quoniam perversæ cogitationes separant a Deo, et Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt

sine intellectu. Mens vero instabilis inquieta, dum semper nititur apprehendere quod appetit, desideriis suis circumagitata nunquam requiescit. Idcirco in uno æternitatis desiderio immobiliter debet figi. Peccata autem tua confiteri non erubescas : quoniam omnia in confessione lavantur ; et nullum peccatum dimittitur, nisi prius confiteatur. Prosequere igitur, et si ad perfectam sanitatem pervenire desideras, quidquid conscientiæ stomachum gravat, totum vomitu puræ confessionis evomere non differas. Virus enim vitiorum, nisi festinanter ejiciatur, prius interiora corrumpit; deinde ad exteriora ebulliens, totum corpus occupat et maculat.

VII

Pergit pœnitens aperire conscientiam et statum animæ suæ.

Quoniam Ægyptium tuum non abominaris, sed foves et instruis; manifestabo tibi, non solum peccata actionnum, verum etiam cogitationum. Audi ergo miseriam meam. Sæpe veniunt ad mentem meam cogitationes innumeræ, et surgunt affectiones multæ, et sollicitant me de cura corporis, et suggerunt multa de usibus necessitatis. Conveniunt ibi ad consulendum, veraciter autem ad decipiendum : et congregantur consiliarii multi, et consiliatores vani, imo deceptores veri. Congregantur autem quasi in consilium unum, et quasi ad quærendum consilium bonum, et dantur in commune consilia multa, sed inutilia et vana; quia consilium vanitatis est, et totum eorum consilium de vanitate est. Suadent mihi

sanguinem minuere, ut possim pausare, et lautiores cibos sumere; remanere de vigiliis, ut satis possim dormire. Consulunt corpus recreare ne deficiat, carnem fovere ne tabescat, abstinentiam aliquantulum relaxare, quieti parumper indulgere : et in hunc modum agitur de cura corporis, cura superflua, et de vanitate ventilatur quæstio vana, et super hujusmodi inutili negotio consumitur sæpe hora una.

Qui carnis suæ desideriis non resistit, et motus cordis sui custodire negligit; ita tandem prava consuetudine illigatur, ut postmodum etiam volens eis resistere non possit. Propterea quoties hujusmodi consiliarios improbos et iniquos in unum convenire sentis; non eis consentias, sed illico excute te, nunc ad orationem, modo ad operationem, sæpe autem ad meditationem : nec prius cesses, donec illi evanescant. Intuere quomodo Christus stetit in cruce; considera quomodo morieris, vel ubi, vel quando : statue te ante terrificum tribunal tremendi judicis; descende usque ad infernum inferiorem, et ibi cerne quomodo pro peccatis suis animæ puniuntur. Talis enim cogitatio probatissimum remedium est contra turpes cogitationes.

VIII

Confessio pœnitentis de cura carnis, et vitiis gulæ.

Quoniam verba delictorum meorum audire non dedignaris, sed patienter auscultas, fateri oportet quod adhuc fatendum est. Cum supradictis consiliaris iniquis et

iniqua consulentibus acquiesco, et eorum consilia libenter recipio; adsunt subito cogitationes pravæ, assurgunt affectiones perversæ, multum sollicitæ, sed parum discretæ, quomodo carnem meam delicatissime foveam: quæ quantumcumque suavissime nutriatur, semper caro est. Offerunt mihi infirmitorium; sed quoniam turpe est in illo diu permanere, equitandi occasionem quærunt et inveniunt. Nec mora, equi parantur, cadi implentur, hospitia eliguntur, et ea quæ sunt necessaria in via, ligantur et parantur. Vocor, et vocatus venio. Injungitur mihi obedientia illa: ego vero metuens ex meo desiderio vilescere, recuso ore, quod corde desidero; acquiesco tanquam coactus, et ideo lætus ascendo, et iter arripio. Proh dolor! religio relinquitur, et silentium rumpitur: hinc inde volant verba vana et inutilia, forsitan et detractoria. Sic confabulando sæpe consumitur dies integra. Venio ad hospitium, assideo ad mensam, apponitur albus et vinum bonum, piscis et caseus, ova, etc. Interea recurrit animus meus ad fratres qui sunt in conventu, et grave est mihi ut dissimiliter ab eis reficiar; et epuler splendide, illis aride reficientibus: et remordet me conscientia mea, si pro faba piscem, si pro cepe seu milio caseum, si pro mica gastellum ad refectionem sumam; si vinum bibam, et fratres aquam.

Gula vero exspectationis impatiens, invitat et instigat ut comedam et bibam. Dicit enim: non debes esse molestus ei qui te charitative suscepit, sed ad nutum illius te per omnia debes habere, et monitis illius libenter obedire,

et impensa beneficia cum gratiarum actione percipere, quoniam nihil respuendum est quod cum charitate offertur. Charitatis est ut quod ille tibi apponit, cum ipso pariter de eodem sumas, ne scandalisetur si viderit te aliud quam se comedere. Ita ergo fac ut convenit, communica et participa cum hospite, sicut scriptum est: « Comedentes et bibentes quæ apud illos sunt. » Ego vero his persuasionibus victus, communico et participo cum hospite et pro hospite. Et quoniam de alieno ministratur, et non de proprio, incipio mihi esse indulgentior, et manu largior. Prosequor causam pro qua veni ad mensam. Nam comedo et bibo profuse, sicut mos est: et multiplicantur fercula et pocula, donec et venter gravetur, et cerebrum turbetur; nec arguitur superfluitas, quam excusat hospitalitas. Sic, sic mei oblitus, dum gulæ appetitum sequor, oblivisci mox incipio quid faciant fratres in refectorio; et cadit a memoria faba, caulis, panis durus et aquæ potus. Sicut fabula, sic est vita mea. Timeo etiam ne egomet sic fabulando fabula efficiar, si sine bonis operibus inveniar. Dicito ergo mihi quid debeo facere, et quomodo possim gulam continere, ne tam parvi bidelli servus efficiar.

Gula semper est in pugna, et in culpa. Sive manduces, sive bibas, adest illa tecum pugnatura: si bene non pugnas, certe vinceris ab illa; quæ cum multis pugnat, et a paucis expugnatur. Tu ergo tanto vehementius illam expugna, quanto manifestius illam esse expugnandam cognoscis. Et quoniam ad Dei cognitionem pervenire non

potes, nisi per cognitionem tui; iterum atque iterum discute te ipsum, si forte aliquid in te lateat quod Deo displiceat. Videre enim Deum non potes, nisi mundo corde : nec fiet cor jucundum, nisi prius fiat mundum ab omni contagione.

IX

Accusat se pœnitens de confessionis vitiis et de invidia.

Multa habeo adhuc tibi dicere, sed confiteri erubesco. Verumtamen, quia aliter Deum videre non possum, aperiam tibi cor meum. Fateor quoniam peccata mea recogitare neglexi, et ideo multa oblivioni tradidi. Cognita autem non omnia confessus sum, propter multitudinem. Quæ vero confessus sum, non pure sum confessus propter turpitudinem, aut omnino celavi. Quæ autem sive bene, sive male sum confessus, non digne flevi, propter vetustatem, et inveteratam consuetudinem. Confessus sum cui non debui; et cui confiteri debui, celavi; et, quod pejus est, de confessione inanem gloriam quæsivi. Manifesta vero peccata excusavi, cum de illis convictus fui, vel, quod deterius est, defendi. Culpam meam præ rubore confusionis palliavi, Sic, sic peccatis peccata semper accumulo, et vitam meam quotidie corrigere dispono : semper autem de die in diem differo, et dum hoc in futuro fieri propono, fit ut illud futurum semper sit futurum, imo fortassis nunquam futurum. Domine Deus meus, quandiu ponam consilia in anima mea? Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in

corruptionem? Non est vitium cui aliquo modo non servierim. Omnia enim contendunt de me, cujus potissimum videar. Verumtamen super omnia vitia, invidia me persequitur. Pestis hæc ubique me torquet.

X

Propositum pœnitentis de seipso diffidentis, et ad Dei familiaritatem anhelantis.

Scire vellem qualis ipse sum, sed vix de me ipso vera discernere possum. Amor namque privatus, quem erga me ipsum habeo, aufert mihi verum judicium de me ipso. Idcirco parum mihi credo de me ipso, utpote homini mendaci, timens ne, si meipsum judico, mentiatur iniquitas sibi. Judicet ergo me ille, cui omnia nuda sunt et aperta: quem fallere non possum, quia sapientia est; nec effugere, quia ubique est: neque corrumpere, quia justitia est. Ille veniat ad me, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum: qui stat ad ostium et pulsat, paratus introire, si ei aperuero. Intret ergo et sanctificet sibi sanctuarium, quoniam sanctus est, et domum ejus decet sanctitudo. Extirpet vitia, ordinet cogitationes, sanet affectiones, mores componat. Nullus ei in aliquo resistat; ut sit in pace locus ejus. Utinam nullus hominum esset mecum exterius, ut familiarius loqui possem cum eo interius. Ipse enim et secretum quærit, et solitarium locum diligit. Fugiam ergo hominum solatia et colloquia, ut in secreto cordis mei Deum habitatorem habere possim. Valde tamen difficile est ab exterioribus ad interiora

mentem revocare, et ibi permanere. Nec minus difficile est de visibilibus ad invisibilia penetrare, et in illis diutius consistere. Dura sunt hæc, et multum laboriosa, sed valde fructuosà. Assuescam igitur sola intima cogitare, sola interiora diligere, et in illis permanere, ut possim audire quid loquatur in me Dominus Deus meus. Ecce adsum, piissime Domine : tecum sum, intus sum. Quandiu in exterioribus occupatus fui, vocem tuam intra me audire non potui. Nunc autem reversus ad me, ingressus sum ad te, ut possim te audire, et tibi loqui. Loquere ergo, misericordissime, quia audit servus tuus : loquere, quia paratus sum obedire. Quidquid jusseris, pro posse meo libenter devotus implebo.

O anima mea, Rex angelorum venit ad nos, et hospitatus est nobiscum. Lætemur ergo de tanto hospite nostro corde perfecto. Demus ei gloriam et honorem, quoniam dignatus est visitare servos suos. Epulemur et jucundemur cum eo in lætitia et exsultatione. Delectemur in eo de eo, et nullus sit ei in aliquo molestus, ne in ira recedat a nobis, et inducat super nos maledictionem pro benedictione. Exhibeamus ei omne servitium charitatis, rogantes et deprecantes ut nobiscum manere dignetur. Si vero non possumus persolvere et totum quod debemus; saltem nos metipsos humiliter ei subdamus ad omnem voluntatem ejus. Sit hæc dies solemnis, in qua Salvatorem nostrum in hospitio nostro læti suscepimus. Nullum membrum, nullum officium ab hoc gaudio excludatur. Conveniant ergo in unum omnes cogitationes

et affectiones, diem festum celebrantes in omni puritate et sanctitate. Nulla se aliena cogitatio interserat, quæ hujus solemnitatis gaudia perturbet. Oculi mei semper ad Dominum, per quem sum, vivo et sapio ; nec cessent lacrymis pedes ejus rigare. Audiant et intelligant aures quid in nobis ei displiceat vel quid ei placeat; quid damnet, vel quid approbet. Delectetur odoratus illo suavissimo odore dulcedinis ejus. Odor ejus odor vitæ æternæ, odor totius suavitatis et jucunditatis. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, altissime Domine. Sit meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, ut te possim videre per fidem et contemplationem, donec merear videre facie ad faciem. Clementissime Pater, nihil in nobis cesset a laude tua. Benedic, anima mea, Domino; et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, et dic : Gloria, laus et honor tibi sit, rex Christe Redemtpor.

INDEX

RERUM QUÆ IN TOMO PRIMO CONTINENTUR.

ORATIONES EX LIBRO DE USU PSALMORUM DESUMPTÆ.

ORATIONES EX SANCTI JOANNIS GUALBERTI.

ORATIONES EX LIBRO DE USU PSALMORUM DESUMPTÆ.

ORATIONES EXCERPTÆ EX LIBRO VETERI, CUI TITULUS : OFFICIA PER FERIAS.

PRECES SANCTI PETRI DAMIANI.

ORATIONES SANCTI ANSELMI.

ORATIONES AB HUGONE VICTORINO COLLECTÆ.

PARS TERTIA.

MENTIS AD DEUM ELEVATIONES PIÆ ET DEVOTÆ. — ORATIONES SANCTO AUGUSTINO ADSCRIPTÆ.

ORATIONES BEDÆ VENERABILIS.

INNOCENTII PAPÆ DIALOGUS.

ORATIONES SANCTO BERNARDO ADSCRIPTÆ.

Vesontione, ex typis viduæ Caroli Deis.